JOANNIS DEVOTI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPI CARTHAGINIENSIS

JUS CANONICUM UNIVERSUM PUBLICUM ET PRIVATUM

NOVA ROMANA EDITIO ACCURATIOR

TOMUS I.

QUI PROLEGOMENA COMPLECTITUR



ROMÆ
APUD JOANNEM FERRETIUM
M.DCCC.XXXVII
Superiorum facultate

PRÆFATIO.

Qui recte de Ecclesiae auctoritate sentiunt, atque ex sanctissimis ejus regulis mores, uti par est, vitaeque actiones conformare student, ii fatentur omnes, praeclarum quiddam, et eximium esse ecclesiasticam jurisprudentiam, in eamque Christianos homines omnes curas, et cogitationes conferre oportere. Ac multi quidem ex Catholicis omni aetate fuerunt, qui in his studiis magna animi contentione elaborarunt; sed illud accidit perincommode, quod etiam Haeretici sese in eodem curriculo exercere voluerunt; et his porro longe aliud, quam illis, propositum, et consilium fuit. Nam Catholici fere omnes, qui Jus Canonicum universum scriptis illustrarunt, id sibi tantum laboris imposuerunt, ut illud plane, perspicue, diligenter sine fuco, ac fallaciis ostenderent, atque ad idem instituerent homines, qui cognitas, atque perspectas habere cupiunt Ecclesiae leges, et illam esse intelligunt certam vivendi regulam, ac normam, quae ab ea praescripta est. Itaque minus accurate rerum origines, et antiquitates investigandas putarunt, ac solum in explananda legum praescriptione, atque in adhibenda interpretatione eorum, quae obscura, quaeque ambigua viderentur, omnem suam operam, studiumque posuerunt. In quo sane eos, et egregie exequutos fuisse munus, quod susceperunt, et magnam hujus nostrae jurisprudentiae studiosis utilitatem attulisse, inter omnes convenire oportet; sed ab his cum illa tam sedula, tamque accurata Juris explicatione conjungenda erant studia antiquitatum, ac diligenter enucleanda, quae sunt ecclesiasticae historiae tradita monumentis. His enim praesidiis non solum efflorescit, suoque quasi sanguine, et succo nutritur ecclesiastica jurisprudentia; sed etiam ex iisdem arma sumimus,

quibus jura Ecclesiae, ac sacrorum Canonum vim, aequitatem, veritatem tueri, ac defendere possimus. Sic homines in eam male animati saepe nobis objiciunt antiquitatem, quasi annis labentibus Ecclesia usurpaverit ea jura, quae initio non habuit; saepe vitia quorumdam hominum, qui ad has disciplinas animum appulerunt, tamquam ipsius jurisprudentiae vitia traducunt; saepe puram illam, et integram disciplinam, qua Majores nostri regebantur, novis legibus depravatam contendunt, quod praesertim ajunt Romanorum Pontificum opera accidisse, et culpa. Quid his respondeas, nisi ecclesiasticae historiae, et antiquitatis literatae peritus ex omni aetate colligas monumenta, eosque convincas erroris, et impudentiae in isto ipso, in quo exultant audacius, et docti, atque intelligentes videri volunt?

Contra Haeretici, qui sunt in his studiis, doctrinisque versati, vim omnem ingenii contulerunt in illam ejus jurisprudentiae partem, quae spectat ad eruditionem, et antiquitates, quamque ex nostris plerique neglexerunt; idque ab iis eo consilio factum est, ut Ecclesiae auctoritatem in discrimen adducerent, atque in primis in ejus caput, et principem Romanum Pontificem virus evomerent acerbitatis suae. Hujus rei frequens exemplum est in falsis decretalibus Summorum Pontificum Siricio antiquiorum, quas IX. saeculo Isidorus Mercator evulgavit. Nemo ignorat, quot de his decretalibus haeretici triumphos agant, quanta exinde seges, ac materia sumatur callidae, et malitiosae calumniae contra Sedem Apostolicam, quasi ipsa in fraude Isidori partes aliquas habuerit, ejusque inventis antiquam disciplinam evertere, suamque auctoritatem amplificare studuerit. At si omnes Catholici Scriptores rerum ecclesiasticarum (si paucos quosdam excipias, qui rei diligentius expendendae laborem ferre noluerunt) ultro, ac libenter fatentur, falsas esse vetustas illas decretales, quae sola Isidori fide nituntur, si clarissime

ostendunt, nullam a Romanis Pontificibus in iis evulgandis interpositam fuisse auctoritatem, nullum adhibitum studium, nullam curam, et solicitudinem, imo rem totam gestam fuisse, iis ignaris, nec opinantibus, quid est quod Isidori commenta nobis objiciant, eaque Sedi Apostolicae vitio vertenda existiment? Neque his decretalibus sublata vetus, ac nova inducta disciplina est. Fraudis architectus, quisquis is fuerit, in eo peccavit, quod antiquioribus Pontificibus ea scita, ac jussa attribuit, quae ipsorum revera non sunt, sed quae tamen sua aetate facta jam erant, et ubique recepta, ac comprobata; verum nihil novi constituit, neque si constituisset, tam facile Ecclesia recepisset novam, eamque traditam ab ignoto homine disciplinam, exterminata veteri, quam per novem saecula retinuerat. Ex quo intelligitur, quam procul absint a veritate, qui ab Isidori collectione novi Juris initium repetunt, cum revera jam ubique ea aetate vigeret Jus illud, quod ipse literis consignavit. Simili modo haeretici, et qui istorum imitatores videri volunt, omnes ingenii vires excutiunt, ut insectentur, et exagitent decretales Pontificum Romanorum, quas saepe minus congruentes aequitati, aut ecclesiasticae disciplinae, Patrumque sententiis, ac scitis Conciliorum, ac saepe nulla justa causa editas impudentissime criminantur. Horum hominum maledicta refutanda sunt ipsa rei evidentia; in medium proferenda scripta Patrum, et decreta Conciliorum, exponenda Ecclesiae disciplina; patefaciendae causae, propter quas illae Pontificum leges latae sunt; ut illi, his omnibus demonstratis, vocem comprimant stultitiae, et ignorantiae testem.

Atque ex numero eorum, qui gravi odie prosequuntur Romanos Pontifices, deque eorum potestate multum detrahunt, fortasse concedit nemini Zegerus Bernardus Van-Espenius Professor Lovaniensis, cujus omnibus notum est *Jus Canonicum*

universum, quo in opere nihil ipse omittit, quantum facere, enitique potest, ut Romanorum Pontificum auctoritatem imminuat, eorumque scita vel elevet, vel in aliquam suspicionem adducat. Fatendum sane est, in hoc opere non illam desiderari ecclesiasticae historiae, et antiquitatis cognitionem, quae Jus Canonicum plurimum ornat, multumque affert delectationis, ac voluptatis; sed in illo ipso apparatu, ornatuque eruditionis saepe ambigua pro certis sumuntur, falsa pro veris, ac multa, quae antiquissima sunt, recentiori aetate adscribuntur. In quo praesertim magna hujus hominis sive inscitia, sive impudentia est; quoniam saepissime nihil haesitans quasi de tribunali pronunciat, recenti memoria constitutum unum, aut alterum disciplinae caput, quod multa ante saecula jam obtinuisse constat. Quod si magna haec sunt in eo opere vitia, nihil ei certe commendationis accedit ex styli elegantia, ac rerum ordine, ubertate, delectu, ac veritate sententiarum; quoniam et in his rebus Van-Espenius multa peccat. Sed illa ecclesiasticae eruditionis cum ipsa Juris praescriptione consociatio, quam ille habet, fecit, ut ejus opus praeferendum videretur operibus Fagnani, Laurenii, Pirhinghii, Anacleti, Schmalzgrueberii, ceterorum similium, qui licet ecclesiasticas leges multo verius, diligentius, accuratius Van-Espenio interpretati sint, tamen nihil de rerum originibus, et antiquitatibus investigandis laborarunt, et in multis rivulos consectari, quam eadem ex fontibus haurire maluerunt. Quare si quis habeat, quod hi habuerunt, et simul expleat, quod his defuit, is et optime merebit de ecclesiastica jurisprudentia, et manifestum faciet, Van-Espenium longe abesse ab iis laudibus, a quibus immerito est a quibusdam cumulatus.

Hoc ego opus aggredior, non quod tantum in me ingenium, tantamque doctrinam esse credam, ut illud satis digne,

ornate, graviter me perfectum existimem; sed ut experiar id, quod tentare, atque experiri suo proprio jure videtur licere homini, qui in his studiis suam contrivit aetatem, quique adolescens annorum viginti duorum in Romana Academia alios ad ea coepit instituere. Quam meam hujus operis suscipiendi voluntatem jampridem animo conceptam exacuerunt consilia, et hortatus amicorum, ex quibus honoris causa nominare lubet virum doctissimum, omniumque ob egregia, quae reliquit, opera sermone celebratum, Thomam Mariam Mamachium, cujus memoriam nullà umquam vetustas ex animo evellet meo, quoque ego duce, magistro, suasore, hortatore totum me tradidi ecclesiasticae jurisprudentiae. Is ut me amabat plurimum, saepe et voce, et literis (quarum unam (*) describam lubens, non ut judicii, sed ut benevolentiae testimonium proferam) hortatus est, ut quoniam Institutiones Juris Canonici absolveram, majorum illud vigiliarum opus susciperem, Jusque ipsum universum explanarem. Utinam ante hoc tempus perficere licuisset, quod et Mamachius, et ceteri amici concupiverant, quod-

●●

MAMACHIUS DEVOTO S. D.

(*) Animo hercle (nam verbis, qui tandem possim, cum nihil ad rem apta non suppetant?) animo inquam, tibi, mi Devoti, opere maximo gratulor, quod Jus Canonicum Universum, *unus Italorum tribus explicaris chartis, doctis Jupiter, et laboriosis*. Eò vero tibi gratulor vehementius, propterea quod perfectio hujusce tui operis omen sit solvendae propediem fidei, quam mihi ante hos annos viginti dederas, quaque confirmaras, corpus te solidum juris ejusdem conditurum, inque lucem hominum elaturum. Age proinde, fac ut promissa servans, non tam mihi, quam Christianae reipublicae idipsum abs te expetenti, quam potes ocissime, satisfacias. Vale, nosque ut amas, ama.

XV. Kal. Martias MDCCLXXXIX.

que ego me facturum promisi, cum primum evulgavi Institutiones Juris Canonici, quae intra hos paucos annos non merito aliquo meo, sed felici quodam earum fato jam pluries, non solum in Italia, sed etiam extra eam, typis excussae sunt! Sed et aliae, quae me distentum, impeditumque tenuerunt, occupationes, eaeque praesertim, quae ab Episcopali munere abesse non possunt, et ipsa operis magnitudo, ac difficultas et superiorum temporum calamitates fecerunt, ut serius quam voluissem, et meum explerem desiderium, et promisso, ac recepto satisfacerem. Nunc igitur primus hic prodit tomus *Juris Canonici universi publici, ac privati*, in quo *prolegomena* complexus sum. In his autem explicavi Ecclesiae naturam, institutionem, potestatem, ejusque regendae, et administrandae rationem, Praefectos ei datos a Divino Conditore Christo Jesu, eorumque munus, auctoritatem, praescripta, quibus semper Christiani omnes sine ulla cunctatione parere debuerunt; deinde fontes Juris Canonici, ac praecipuas canonum collectiones indicavi.

Initium duxi a civilis societatis, et potestatis origine; quoniam omnes, qui Juri dant operam, primum scire oportere arbitror, quomodo conflatae sint hominum societates, et quomodo constituti Rectores, sine quibus illae salvae, et incolumes esse nequeunt. Qui Jus naturae et gentium scriptis illustarunt, abripi se maluerunt ab aestu quodam ingenii, quam duci ab amore, et studio veritatis; ideoque in illis originibus demonstrandis tantum opinionum commenta protulerunt (*). Nos in his rebus sequuti sumus auctorem, a quo certe in errorem

(*) Quam gravia absurda sint, in quae juris naturae ac gentium Scriptores inciderunt, ostendunt praesertim Hubuerus *essai sur l' Histoir. du droit nat.*, et Agatopistus Cromazianus *della restaurazione di ogni Filosofia.*

certam esse fidem, quod omnia scripsit Divino Spiritu instinctus; tamen ejus auctoritatem ceteris Historiarum Scriptoribus potiorem habere oporteret, quoniam eum omnium antiquissimum esse constat. Is autem tam perspicue describit ortum, et progressum civilium societatum, ut nihil supra; adeout his adversaria more poetarum quodam afflati quasi furoris conficta videantur. Ex eodem quoque intelligimus, quomodo civiles Potestates institutae sint. Cum enim illa hominum multitudo, quae unum in locum convenerat, sine uno omnium rectore stare non posset, communi voluntate constitutus est, qui praeesset ceteris, rectaque, et utilia, et cum commodo societatis conjuncta praescriberet. Patria potestas, quam et Adam, et reliqui parentes in filios habuerunt, multiplicatis hominibus, exemplo fuit, ut ipsi sibi reges constituerent; qui pastoriciam vitam agebant haud sane reges vocabant rectores suos, sed eos tamen eodem, quo illi ceteris erant, habebant auctoritatis, et dignitatis loco. Pastorale hoc vitae institutum sequuti sunt Abraham, Isaac, Jacob; hi praefuerunt familiis, quas sibi subjectas habebant, neque inferiores fuerunt regibus, cum quibus ab Abrahamo bellum gestum, ab eodemque, et Isaaco foedus quoque ictum est. Ita orta civilis Potestas, cujus origo a Deo recte ducitur, quoniam ipse homines in societate viventes justitia, ac tranquillitate frui voluit; quod cum fieri nequeat, nisi sit qui societatem cum imperio, et potestate moderetur, eaque curet, atque perficiat, quae sunt pro illius incolumitate necessaria, ea sane res merito divinae voluntati tribuitur.

Sed ecclesiasticae Potestatis institutio prorsus divina est, neque in ea partem aliquam homines habuerunt. Nam unigenitus Dei filius, consubstantialis Patri, ut suam Ecclesiam conderet, humanam carnem sumpsit, annosque tres ac triginta, ut vulgo recepta opinio fert, inter homines versari, ac demum pro

induci non possimus, Moysen videlicet, cujus etsi non sciremus eorum salute cruci affixum mortem obire voluit. Ecclesia haec hominum societas erat, et ideo suos habere debebat praesides, qui eam regerent, atque administrarent, et in quibus vis omnis inesset, et auctoritas, quam ejusdem societatis institutum, et ratio postulabat. Civilis potestas divinae quidem voluntati congruens, et conveniens est; sed tamen institui potuit facto hominum, quibus visum est sese uni, aut pluribus subjicere, qui ceteris praesiderent. Verum ecclesiastica potestas ab hominibus institui non poterat; quare Deus ipse, qui invisibilis natura erat, visibilis factus est, ut eam per sese ordinaret, atque homines eligeret, in quibus eadem resideret. Hi autem homines, quos ipse elegit, ut hanc obtinerent exercerentque potestatem, Apostoli sunt. Hos e medio populo sumpsit, ut ubique Evangelium nunciarent, ac suam componerent, et propagarent rempublicam, in eamque homines cooptarent, invitis etiam Civitatum Principibus, in hos omnem contulit potestatem; quam post eorum mortem deferri voluit ad successores, ut eadem semper esset auctoritas, ratioque administrationis in Ecclesia, quae stare debet *usque ad consumationem saeculi.* Sed inter eos, quos Christus constituerat Ecclesiae moderatores, unum omnium caput, et principem esse oportebat; quoniam ille ita Ecclesiam suam composuerat, ut ubique diffusa esset, gentesque complecteretur locis disjunctissimas, maximeque diversas lingua, moribus, institutis, quibus tamen omnibus una esse debebat fides, et una caritas, sive communio. Qui fieri istud potuisset, ut gentes pene innumerabiles in unam, eamdemque fidem, et communionem conspirarent, nisi omnes unum haberent commune caput, et centrum, quod praeesset ceteris, essetque nodus, et vinculum, quod eas colligaret? Itaque Christus ex Apostolorum collegio elegit Simonem, quem *Petrum* vocari

jussit, ut nomine ipso designaret officium, quo fungi debeat, *patriae*, ac fundamenti totius Ecclesiae, eumque ejus visibile caput sui loco esse voluit, ac centrum unitatis, in quo tot gentes longe, lateque diffusae una fide, et caritate, seu communione copularentur. Et quoniam Ecclesia et semper stare, et semper una esse debet, sequitur necessario, ut mortuo Petro, idem munus et capitis, et centri praestare debeant Romani Pontifices, qui ei tum in Romano Episcopatu successerunt, tum in Primatu Ecclesiae universae. Ex quo patet, amplam illam potestatem, quam vivens habuit Petrus, moriensque transmisit in suos successores, non extraordinariam, sed ordinariam esse; quoniam necessaria est ad retinendam, et conservandam illam in Ecclesiae natura penitus insitam unitatem tot populorum, quos mores, instituta, regiones disjungere quidem possunt, sed qui per unum commune centrum una fide, et communione conjuncti *unam* efficere Catholicam Ecclesiam debent. Ceteri quoque Apostoli per totum orbem potestatem exercuerunt; sed haec extraordinaria potestas fuit, quae in illis initiis fuit necessaria, ut Christi religio citius, et facilius propagaretur.

Cujus rei quoniam est facta mentio, placet referre sermonem, quem non ita pridem habui cum docto viro, mihique amicissimo, qui cum illum hujus mei operis legisset locum, in quo de hac extraordinaria Apostolorum potestate disseritur, hanc quidem communem ajebat esse sententiam, quam ego descripsi, sibi tamen videri rem omnem posse explicari commodius, atque expediri. Nam et ego, inquiebat, hanc extraordinariam potestatem in Apostolis agnoscerem, si singuli eamdem per totum orbem a Christo accepissent; ita ut ubique illam exercerent propter collatam in unumquemque singularem auctoritatem. Tunc quidem extraordinaria esset haec potestas, qua Apostoli per orbem universum usi sunt, eaque illorum morte exspirare debuisset; quoniam si eadem ad Episcopos

pervenisset, gravia exinde mala, et incommoda accepisset Ecclesia. Verum uni Petro separatim, ac seorsim a ceteris ampla illa ac nullis inclusa, et constricta finibus in totum orbem potestas a Christo data est. Ceteris Apostolis est attributa omnibus universe, et conjunctim cum Petro; et certe quisquis sacras literas diligenter legit, is duas tantum reperit a Christo institutas potestates, quae sese in totam effundunt Ecclesiam, Petri scilicet, et totius cum Petro collegii Apostolorum. Quae duae sunt in totum orbem terrarum summae potestates, quas semper Catholici agnoverunt, nimirum potestas Summorum Pontificum Petri successorum, et potestas totius collegii Episcoporum, qui cum suo capite conjuncti Ecclesiam referunt universam. Quomodo igitur Apostoli mundum peragrarunt, ubique Christi fidem nunciarunt, particulares fundarunt Ecclesias, omnem potestatem exercuerunt? Rem omnem in illustri loco ponunt ea, quae ab iis post acceptum Spiritum S. gesta sunt. Christus sane omnibus conjunctim dixerat — *sicut misit me pater, et ego mitto vos euntes in universum mundum etc.*, quae verba non unum, aut alterum singillatim Apostolum, sed omnes respiciunt universe. Hanc a Christo datam toti collegio auctoritatem Apostoli ut ad actum perducerent, postquam omnes Christi fidem in Palaestina praedicaverant, ad gentes migraturos eosdem communi consilio inter se provincias divisisse traditum est, *ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Graeciam pergeret, et unusquisque in Evangelii sui, atque doctrinae provincia requiesceret* (*). Tunc in illa per cunctam terram potestate versari coeperunt, neque eos ante hoc tempus eadem extra

(*) S. Hieronymus *in Isaiam cap.* 24. *opp. tom.* 4. *col.* 446. *edit. Venet.* 1766. Vide etiam S. Leonem M. *serm.* 82. *in natal. Apostol. Petri et Pauli cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 322. *edit. Ballerin. Venet.* 1753.

Palaestinam usos fuisse proditum memoriae est. Non igitur Christus extraordinariam aliquam instituit potestatem, qua singuli Apostoli fruerentur; sed omnis, quae ab eo creata est, ordinaria fuit, uti sunt duae illae potestates, quarum est facta mentio. Verum extraordinariae potestatis unicuique separatim attributae nullum in sacris literis indicium est; neque ego sane ullam video causam, propter quam ea concederetur. Nam eaedem illae perpetuae, atque ordinariae potestates, per quas semper regi debebat societas Christianorum, erant plane aptae, et idoneae ad eam initio propagandam; quoniam collegium Apostolorum, uti revera factum est, quemlibet eorum huc illuc cum omni auctoritate mittebat, ut ubique terrarum Christiana Religio stabiliretur. Simili modo duae illae potestates, quae manent, semperque in Ecclesiae manebunt, Romanus Pontifex, aut cum eo conjunctus coetus omnium Episcoporum, ad eas gentes, quas erroribus imbutas deprehendit, mittit selectos viros cum Episcopali, ubi opus est, auctoritate, ut ex populorum animis omnem errorem evellant, eosque ad Christi fidem instituant. Scio Paulum, et Barnabam ab ipso Deo Apostolos fuisse constitutos, et illum quidem diserte profiteri, sese non ab aliis Apostolis, sed a solo Christo omnem doctrinam, et missionem accepisse. Verum fuit hoc singulare in his duobus, ut post Christi mortem divino mandato Apostoli crearentur, et simul divinitus adipiscerentur per totum orbem potestatem, quam ceteri ab Apostolorum collegio obtinuerunt.

Exposui sententiam hominis in Jure Canonico multum, et multa cum laude versati; sed is etsi mecum ea de re, quam summatim perscripsi, longa oratione disseruisset, tamen impetrare non potuit, ut a communi sententia discederem. Nam, quae supra descripta sunt, Christi verba tum ad singulos Apostolos, tum ad totum eorum collegium aptissime referuntur;

neque obscura videri possunt verba Pauli, qui ab ipso Christo totam repetit auctoritatem suam. Quare ego sententiam illam sequutus ordinariam quidem statui potestatem totius collegii Apostolorum, quae universae Ecclesiae potestas est; sed in singulis Apostolis duplicem distinxi, alteram extraordinariam, propriamque solius Apostolatus, quae ad fundandam, et ubique propagandam Ecclesiam fuit necessaria, alteram ordinariam, atque Episcopatus propriam, quae pertinet ad Ecclesiae gubernationem. Haec tantum ad Apostolorum successores Episcopos delata est, propterea quod Christus eos esse voluit Ecclesiae rectores, ita ut omnes cum suo capite conjuncti totam Ecclesiam repraesentent; divisim singuli particularibus praesint Ecclesiis, quas regendas acceperunt; cuncti autem uno, et eodem centro conjuncti una fide, et comunione consentiant, ut ex omnibus hoc modo copulatis una existat catholica Ecclesia. Et quoniam eadem à Christo constituta est tamquam vera, ac perfecta Respublica, quae suos habet Rectores, suumque regimen, administrationem, jurisdictionem, sequitur, ut etiam habeat in iis, quae ad sese pertinent, condendarum legum potestatem. Hujus ego vim, finesque explicavi, quoniam rerum temporalium, ac profanarum administratio tota civilis Reipublicae propria est. Ne multa longiori oratione persequar, totam hanc Ecclesiae auctoritatem, et administrationem paulo accuratius exposui, ut aperirem, et munirem viam ad universam Ecclesiasticam jurisprudentiam, quam late, et quantum potero, diligenter explanare constitui reliquis tomis, qui hunc consequentur.

Illud postremo animadverti volo, me in his prolegomenis haud voluisse, ac ne potuisse quidem complecti omnia, quae postulare videbatur absoluta, et copiosa disputatio rerum omnium, de quibus sermonem institui. Neque enim id patiebatur indoles horum Prolegomenorum, quibus id mihi

unum propositum fuit, ut ostenderem universae Ecclesiae naturam, institutionem, gubernationem, potestatem; singula, quae ex his oriuntur, alibi opportunius, atque commodius evolvenda sunt. Sic ex. g. multa sunt jura, quae ad Romani Pontificis auctoritatem referuntur, propter Primatum honoris, et jurisdictionis, quem in tota Ecclesia divinitus accepit. Mihi nunc satis visum est generatim demonstrare vim, et naturam hujusce Primatus; si quid attigi eorum, quae sunt consequentia, id cum re ipsa, de qua agebam, ita connexum putavi, ut ab ea dividi, ac separari non posset; de cetero distuli in aliud tempus singulorum jurium, quae ex Primatu descendunt, explanationem. Idem de reliquis dictum volo. Nam quae in his prolegomenis comprehenduntur, quasi genera sunt; partes his generibus subjectae suis enucleandae sunt locis. Quod mihi praedicendum, atque ante denunciandum fuit, ne in vituperatione inciderem semidoctorum, qui cuncta, quae didicerunt, uno spiritu emitti, et effundi vellent; neque animum attendunt ad Auctoris propositum, aut ad accuratiorem ordinem, aut ad id, quod postulat longi operis, multarumque rerum tractandarum ratio. In omni argumenti, et scriptionis genere retinenda est Horatii regula (*).

> Ordinis haec virtus erit, et venus, aut ego fallor,
> Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
> Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.

(*) Horatius *de art. poetic. vers.* 42. *seqq. pag.* 776. *edit. Lugd. Batav.* 1663.

ADPROBATIONES.

Cl. Praesulis, ac de re canonica egregie meriti Joannis Devoti Carthaginiensis Archiepiscopi, et Pii Septimi Pontificis Maximi Brevium ad Principes Secretarii Opus, cui titulus *Jus Canonicum Universum publicum, et privatum Tomum II.*, ea, qua potui, diligentia perlegi; ut commisso mihi a Reverendissimo Patre S. P. Apostolici Magistro Fr. Thoma Vincentio Pani O. P. muneri satisfacerem. In eo autem cum nihil offendi, quod aut morum puritati, aut Catholicae Religioni adversetur, tum maxime admiratus sum Cl. Auctoris diligentiam, ingenium, doctrinam, methodum, perspicuitatem, omnigenam eruditionem, sermonis elegantiam. Quare hoc Opus in publicam lucem (si iis, ad quos spectat, videbitur) emittendum censeo, quin imo ut omnium Ecclesiasticae Jurisprudentiae Cultorum, quibus illud perutile futurum prospicio, manibus teratur, vehementer opto.

Dabam Romae ex aedibus in Palatio Quirinali octavo Kalendas Septembris anno 1804.

Franciscus Bertazzoli Archiepiscopus Edessenus, SSmi D. N. Papae Pii VII. Elemosinarii, et Congregationis super Ecclesiasticis negotiis a Secretis.

Cum pro munere a Reverendissimo Patre Sacri Palatii Apostolici Magistro Fratre Thoma Vincentio Pani O. P. mihi delegato praeclarissimi Operis, cui titulus: *Joannis Devoti Archiepiscopi Carthaginiensis Jus Canonicum universum publicum et privatum* tomum secundum quam diligentissime perpenderim, ipsum publica luce, modo iis, ad quos spectat, videatur, dignissimum censeo. In eo namque, cum nihil a Catholicae fidei doctrina, et a Christianae vitae regulis alienum offendi, tum illam Canonicae disciplinae partem, quam amplissimus Praesul, ab aequissimo meritorum ejus aestimatore Pio VII. Pont. Opt. Max Secretarius Pontificiorum ad Principes *Brevium* institutus, hoc volumine complexus est, non modo summa perspicuitate, elegantisque sermonis expositam, sed etiam multiplici solidae eruditionis copia illustratam, confirmatamque, falsis, commentitiisque opinionibus, quas proximis maxime temporibus, vel haeretici, vel novarum rerum cupidi scriptores in scholas invexerunt, graviter confutatis, a doctissimo Auctore perspexi. Quare in certam spem venio fore, ut omnes Juris Canonici cultores ex hujus quoque tomi, si in illorum manus venerit, lectione uberrimos fructus percipiant.

Romae ex Coenobio Sanctae Mariae super Minervam VII Kal. Julias anno MDCCCIV.

Fr. Thomas Maria Soldatus O. P. Sac. Indicis Congreg. a Secretis, Romani Cleri, et promovendorum ad Episcopatum Examinator, et Congregationis super Ecclesiasticis negotiis Theologus Consultor.

Reimprimatur
Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A.
Magister.

—

Reimprimatur
A. Piatti Archiep. Trapezunt Vicesg.

DE CIVILIS SOCIETATIS, ET POTESTATIS ORIGINE.

CAPUT I.

I. Homo a Deo procreatus ad aliorum hominum societatem. Origo patriae potestatis.
II. Cain, et Seth principes duorum populorum. Confusio linguarum, ac populorum divisio.
III. In omni societate necessarii rectores, ac certa administrationis ratio.
IV. Regiae potestatis origo.
V. Regna armis acquisita. Respublicae.
VI. et VII. Leges constitutae. Origo dominii.
VIII. Homines numquam exleges, et more bestiarum in solitudine vixerunt.
IX. Homo hominis auxilio indiget.
X. Hominum conjunctio, et societas maximam attulit utilitatem.
XI. Duplex in media societate Potestas constituta, utraque cum imperio, et auctoritate.
XII. et XIII. An omnes homines inter se aequales sint?

§. I.

Hominem consilii, et rationis plenum, multiplicem, sagacem, providum, acutum, memorem creavit Deus; non ut solitariam ageret vitam, sed ut sui similium consociatione frueretur. Omnes ab uno parente progeniti inter nos fratres sumus; et omnibus est proposita lex illa Juris Divini, ac naturalis, ut prae cunctis Deum, caeteros homines tamquam nosmetipsos diligamus, et omnes spectant summum bonum, quod in solo Deo haberi potest, in his autem rebus caducis, et mobilibus frustra quaeritur (1). Communis origo, communia officia, commune studium ejusdem quaerendi boni, oratio, cogitatio, ratio cunctis hominibus ostendunt, sese natos esse ad congregationem hominum, et ad societatem, communitatemque generis humani. Praeclara conditione generatus a summo Deo, miserrimus omnium animantium esset homo, si solus viveret alienae opis indigens, neque opem inveniens sejunctus a societate reliquorum hominum, inter quos procreator omnium Deus fraternae caritatis officia voluit exerceri. Primam societatem ipse Deus instituit; cum hominem mulieri conjunxit „ non est, *inquit*, bonum esse hominem solum; „ faciamus ei adjutorium simile sibi (2) „. Caetera animan-

tia cum creavit Deus, separatim creavit marem, et faeminam, sed cum creavit mulierem, quam viri sociam esse volebat, in eam *aedificavit costam, quam tulerat de Adam* (3); ut omnes intelligerent, quam arcte haec societas astringi deberet, cum *os de ossibus* viri; *et caro de carne* esset. Ex hac viri, et mulieris conjunctione nati sunt filii Cain, et Abel, cumque illum peperit Heva, *possedi*, inquit, *hominem per Deum* (4). Haec patriae potestatis in filios origo est, quoniam hic filius magis patri, cui Deus mulierem ipsam subjecerat, quam matri obnoxius esse debebat. Cain, qui, Abele interfecto, primus fraternae caritatis jura violavit, primus item sese abalienavit a patria potestate, cumque omnibus odio esset, ubique vagus, ac profugus ejus fortunae miserae, atque jactatae perfugium quaesivit, aedificata civitate, quam e nomine filii sui Henoch appellavit (5). Verum Seth, quem Abelis loco Deus Adamo dederat, sine dubio semper patri obediens fuit una cum universa familia sua, atque ita ipse Adam, quandiu vixit, patriam potestatem exercuit.

(1) Summum illud bonum, in quod homines cogitationis, rationisque participes feruntur, in rebus creatis, quae fragiles, caducaeque sunt, consistere non posse manifestum est. Illud itaque, in quo plane conquiescit homo, in solo Deo, nempe Ente infinito, et perfectissimo haberi potest. Cumque hoc studium, ac desiderium summi boni omnes homines pariter attingat, idem profecto omnes ad mutuam conjunctionem, et amorem impellit. Nam cum omnes procreati sint, ut unius summi boni possessione copulentur, ac simul unam, et eamdem felicitatem consequantur; profecto in via directa ad eumdem finem, atque ad unius, ejusdemque boni fruitionem homines inter se conjuncti esse debent, ut eo, quo omnes generatim, et universe tendunt, mutua concordia, et amoris conspiratione perveniant. Hinc studium summi boni, quod in Deo est, Juris naturae principium haberi debet, et hinc hominum societas, atque conjunctio repetenda est, uti ostendit Joannes Domatus *Traité des Loix chap.* 1. *num.* 3. *pag.* 2. *edit. Paris.* 1705.

(2) Genesis *cap. II. vers.* 18.

(3) Ibidem *vers.* 22. *et* 23.

(4) Ibidem *cap. IV. vers.* 1.

(5) Ibidem *vers.* 17.

§. II. Seth, et Cain Principes evaserunt duorum populorum, qui in sacris literis *filii Dei*, ac *filii hominum* appellantur (1); et hi quidem populi etiam moribus inter se differebant. Verum postea conciliatis inter utros-

que nuptiis, ictisque foederibus ita omnium corrupti mores, depravatique sunt, ut Deus universam terram aqua inundare, totumque genus humanum, excepto Noemo, qui justus erat, ejusque familia perdere ac delere voluerit. Noemi filii tres capita fuerunt complurium nationum, quae deinceps in alias divisae sunt, quaeque varias occuparunt regiones; et earum nomina a Moyse describuntur (2). Ex eo genere fuere Sidonii, Hethaei, Jebusaei, Amhorraei, caeteri ex Canaan descendentes, qui omnes propter communem originem consociati inter se, conjunctique fuerunt. Hominum autem in dies aucta multitudine, venit in eorum mentes consilium illud inanitatis, et arrogantiae plenum de Turre Babelica aedificanda, sed incaeptum, conatumque nefarium prohibuit Deus, confusis linguis omnium, qui pridem ejusdem linguae societate conjungebantur. Haec linquarum confusio (3), et multitudo hominum, qui in diversas, longeque dissitas regiones abierunt, et pravae eorum cupiditates (4) fecerunt, ut illi sese invicem sapararent, atque alii alias quaererent regiones, in quibus domicilium collocarent. Ita instituti sunt populi, et nationes, quae, ut locorum distantia, ita moribus inter se differunt.

(1) Genes. *cap. VI. vers.* 2. *et* 4. atque ex hac filiorum Dei cum filiabus hominum conjunctione Gigantes orti sunt.

(2) Ibidem *cap. X.*

(3) Ibidem *cap. XI. vers.* 8. *et* 9. » Atque ita divisit eos Dominus » ex illo loco in universas terras, et cessaverunt aedificare civitatem. Et id» circo vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium uni» versae terrae; et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum re» gionum ». Verba sane inter homines vincula societatis sunt, per quae alter alteri significat id, quod in animo inclusum gerit. » In his linguis, quas » non intelligimus, *inquit* Cicero *Tuscul. lib.* 5. *n.* 40. *p.* 493. *ed. Genev.* 1743. » quae sunt innumerabiles, surdi sumus ». Videntur autem societatem contraxisse, atque inter se convenisse nationes, quarum linguae similiores erant, quia in re magnam etiam partem familiarum cognationes, et affinitates habuerunt; quod Sacrae Literae indicare videntur, cum ajunt » Ab » his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secun» dum linguam suam, et familias suas in nationibus suis » Genes. *cap. X. vers.* 5.

(4) Nihil enim est, *inquit* Augustinus *de Civit. Dei. lib.* 12. *cap.* 27. *op. tom.* 9. *col.* 429. *edit. Venet.* 1756. » quam hoc genus tam discor» diosum vitio, tam sociale natura ».

§. III. Ingens haec hominum multitudo, quae populos, nationesque composuit, gubernationem habere debebat, eaque gubernatio postulabat, ut unus, aut plures praeessent omnibus, gentemque universam imperio, ac potestate regerent. Nulla enim hominum societas stare potest, nisi certam habeat regiminis formam, suosque Rectores, qui rem publicam administrent, videantque, ne quid ea capiat detrimenti, atque omnes in officio contineant. Ita singuli cives praesidium inveniunt, neque debilior a potentiore opprimitur, neque cuiquam homini impune licet damni aliquid inferre aut singulis, aut reipublicae universae (1). Omnium antiquissima patria potestas est, ac per eam Adam suos sibi filios subjectos habuit; sed haec potestas multiplicatis hominibus, divisisque familiis retineri non potuit; et ideo necesse fuit illi hominum multitudini alios praeficere moderatores. Eadem potestas, cui omnes subjecti nascimur, hominibus exemplo fuit, ut se consimili auctoritati subderent; quare initio unus fuisse videtur, qui cunctis praeesset; totamque rempublicam administraret. Qui in agris pastorum more vivebant unum habuere caput, et principem omnium, quem in parentis loco colebant, et a quo regebantur, ejusque voluntas, atque antiqui mores ipsis erant legis loco. Hujumodi vitae institutum praesertim tenuere Semi descendentes, qui antiquas traditiones generis humani, quae ad Dei cultum, quaeque ad gubernii formam spectant, diutius retinuerunt; in eodemque vitae genere simplici, ac pastotali Abraham, Isaac, et Jacob versati sunt. Hi omnes nemini subjecti vixere cum familiis suis, quarum principes, ac moderatores erant, neque se Regibus inferiores habebant; et vero ad Abrahamum venit Abimelech Rex Gerarae, ut cum eo foedus iniret (2); quod postea inter hujus filium, et Isaacum filium Abrahami similiter factum est (3). Ipse Abraham bellum gessit adversus Reges, qui Sodomam vastaverant, ex eaque praedas egerant, iisque devictis decimam spoliorum partem obtulit Melchisedeco Regi Salem, qui Dei Sacerdos erat (4). Ea de causa Abraham a filiis Heth *dominus et princeps* dicitur (5), et a quibusdam Rex etiam habetur; sed revera ejus vitae genus pastoricium fuit, regnum autem familia, in quam ipse patriam potestatem exercuit.

(1) Omnes populi vires in unum conveniunt, et hujus est suum cuique tribuere, aeque tueri totius humanae conjunctionis societatem, videre ne quis violetur, atque ita cuncti cives fortiores ovadunt, quam essent singuli, nisi omnium vires, et potestatem in unum contulissent. Confer Bossuetum *Politique tirée des propres paroles de l' Ecriture Sainte* *liv.* 1.(2) *art.* 1. *prop.* 5. *opp. tom.* 8. *pag.* 334. *edit. Leodii* 1766.

(2) Genesis *cap. XXI. vers.* 27. *et* 32.

(3) Ibidem *cap. XXVI. vers.* 28.

(4) Ibidem *cap. XIV. vers.* 14. *seq.*

(5) Ibidem *cap. XXIII. vers.* 6.

§. IV. Qui convenerant in civitates totius populi rectores appellarunt reges, quorum antiquissima potestas, ac nomen est. Nam vivo Abrahamo, qui post annos circiter quadrigentos a diluvio vitae usura fruebatur, existere regna, eaque jamdiu firmata, et constituta. Sic Reges quatuor adversus quinque bellum gerunt; sic etiam occurrunt Melchisedechus Rex Salem, ac Dei Pontifex, cui decimas Abrahamus obtulit, Pharao Ægypti, Abimelechus Gerarae Rex, tum vivo Isacco alius Abimelech (1); quod nomen commune fuisse videtur cunctis Regibus earum gentium, uti omnes Ægypti Reges Pharaones vocabantur. Atque hi quidem omni sunt auctoritate praediti, suos habent ministros, et magnates, copias, earumque duces, quin etiam jus vitae, et necis in eos, qui sibi subjecti sunt (2). Homines, quos patria potestas unius imperio assuefecerat, quique imaginem regni perspexerant in plurium consociatione familiarum, quae omnes a communi parente regebantur, atque hanc vivendi rationem et commodam, et jucundam norant, facile inducti sunt ad ineundas cum aliis societates sub imperio unius Regis, qui parentis locum obtineret. Fuit haec illa simplex, atque hominum naturae consentanea Regum instituendorum ratio; sed et altera accessit, quae ex hominum ambitione orta est. Scilicet vis armorum complures populos victori subegit, atque ita condita sunt ampliora regna, quae multas gentes, ragionesque complectebantur. Nemrodus Chami nepos primus ea cupiditate actus *potens esse caepit in terra*, suumque regnum ex quatuor civitatibus constituit (2). Regem quoque Elamitarum, Persarum scilicet, ac Medorum, Chodorlahomor

sui longe protulisse fines imperii sacris litteris traditum est (4). Ex quo intelligimus, antiquissima esse regna potentia, armisque acquisita, quoniam institui coeperunt vetusta illa aetate, quae tam proxime diluvii tempus sequuta est. Regna haec initia habuerunt plena injustitiae, ac violentiae; sed postea diuturnitate temporis, et consensu populorum justa, ac legitima evaserunt.

(1) Genes. *cap. XII. vers.* 15. *cap. XIV. vers.* 1. 9. 18. 20. *cap. XX. vers.* 2. *cap. XXVI. vers.* 1. 8. 26.

(2) Ibidem *cap. XII. vers.* 15. *et cap. XXI. vers.* 22. *et cap. XXVI. vers.* 11. » qui tetigerit hominis hujus uxorem morte morietur ».

(3) Ibidem *cap. X. vers.* 8. *seqq.*

(4) Ibidem *cap. XIV. vers.* 4. *seqq.*

§. V. Vetustissimi illi Reges angustis contepti finibus imperii singuli singulis civitatibus praefuisse videntur (1), atque in illo exiguo terrae tractu, quem Hebraei deinceps occuparunt, tres ac triginta Reges numerantur (2). Quod etiam profani Scriptores memoriae prodiderunt, atque inter caeteros Homerus parvorum hujusmodi Regum saepius mentionem facit. Sed veteri hoc more regnandi cupiditate, uti diximus, et ambitione mutato, bella moveri, et aliena occupari caeperunt, atque ita devictis populis regna amplificata sunt (3). Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt; et ideo institutae sunt respublicae sive democraticae, in quibus imperat universus populus, sive aristocraticae, in quibus penes optimates summa rerum est. Hujusmodi rerum publicarum tum civilium, tum sacrarum historiarum plena sunt monumenta; atque ex his quidem non obscure deprehenditur, penes universitatem imperium, auctoritatemque omnem extitisse. Nam Jus sepulchri Abraham postulat ab universo populo simul congregato, qui illud postulanti concedit (4); item orta controversia cum hominibus ex Tribu Ruben et Gad, *convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dem icarent contra eos*, quae res postea missis legatis, qui rem omnem noscerent, totius populi consensu composita est (5); denique cum Levitae uxori vis illata, eaque deinceps interfecta fuisset, Tribus omnes unum in locum coiverunt, ut hoc facinus judicarent (6). Genus hoc erat Reipublicae, cui

Deus ipse praesidebat; sed et ipsi Hebraei Regem a Samuele postularunt, nt toti nationi praeesset (7), atque in sacris literis ejus a populo eligendi ratio, vitaeque institutum ab eo servandum constituitur (8). Caeterae gentes vetustissimis illis temporibus ab uno, ut plurimum, quam a pluribus regi maluerunt; et Graeci, ac Romani initio Reges habuerunt, postea Respnblicae conflatae sunt. Qui justissimus, ac sapientissimus habebatur imperium obtinebat; atque haec antiquissima omnium est populos regendi ratio (9).

(1) Genesis *cap. XIV.*
(2) Josue *cap. XII. vers.* 2. 4. 7. 24.
(3) Justinus *Histor. lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 4. *edit. Amstelod.* 1669. » Fines imperii, *inquit*, tueri magis, quam proferre mos erat; intra suam » cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Assyrio» rum veterem, et quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate » mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resisten» dum populos ad terminos usque Lybiae perdomuit ». Sive autem hic Ninus Nemrodus fuerit, sive erraverit Justinus, cum eum primum omnium fuisse putat, qui bellum intulit, ut alienas regiones occuparet, satis est quod primi Reges exemplo patriae potestatis dulce quoddam, ac lene regnum obtinuerint. Quod Justinus, idem, Diodorus Siculus *pag.* 8. *edit. Amstelod.* 1659. scriptum reliquit.
(4) Genes. *cap. XXIII. vers.* 4. *et seqq.*
(5) Josue *cap. XXII. vers.* 11. *seqq. et* 33.
(6) Judicum *cap. XIX. vers.* 30.
(7) Regum *lib.* 1. *cap. VIII. vers.* 5. *et* 7.
(8) Deuteronom. *cap. XVII. vers.* 14. *et seq.*
(9) Videndi, praeter ceteros, sunt Cicero *de Legibus lib.* 3. *num.* 2. *opp. tom.* 3. *pag.* 228. *edit. Genevae* 1743., Sallustius *de bello Catilin. cap* 3. *pag.* 30. *tom.* 1. *Amstelaedami* 1742., Aristoteles 4. *Polit.* 3. *pag* 241. *edit. Basil.* 1582., Justinus *loc. cit.*, quem Justini locum integrum descripsit Augustinus *de Civit. Dei lib.* 4. *cap.* 6. *opp. tom.* 9. *col.* 120. *edit. cit.*

§. VI. Nullae initio certae, ac stabiles erant leges, quibus Populus teneretur, sed arbitria Principum, et antiqui mores legis loco habebantur. Verum propagatis, formatisque societatibus necessariae fuerunt leges, quae cum omnibus una semper, atque eadem voce loquerentur, et quarum descriptione omnis reipublicae moderatio contineretur. Sic provisum est, ne cuncta ad unius arbitrium, libidinemque gererentur, civesque ignorarent, quid sequi, quid contra fugere oporteret; atque ita tum Principi imperandi, tum subditis parendi norma praescripta est. Pari ratione etiam rerum dominia orta sunt. Deus sane universam terram, ejus-

que bona in usu, vitaque communi esse voluit, atque omnibus promiscue dedit *herbam afferentem semen supra terram, et universa lingna, quae habent in semetipsis sementem generis sui* (1). Eo jure, quod Deus omnis hominibus in res creatas dederat, unicuique licuit vacuas occupare, et hinc privatorum dominia orta sunt. Cain, et Abel singuli res proprias habuerunt, qnae alteri fratri communes non erant, quasque ipsi Deo separatim obtulerunt. Nam Cain obtulit *munera de fructibus terrae*, Abel autem *de primogenitis gregis sui*, et hujus quidem, non item illius munera placuerunt Deo (2). Itaque Cain privatim dominus erat *fructuum terrae*, Abel autem *primogenitorum gregis sui*; quod dominium in illi mundi exordiis vacuarum rerum occupatione acquiri debuit.

(1) Genesis *cap. I. vers.* 28. *et* 29.
(2) Ibidem *cap. IV. vers.* 5.

§. VII. Quare mihi quidem videntur ingenio abuti philosophi (nam eos hoc nomine nostra haec aetas appellat) qui per ludicra, et inania vagantur, ut ostendant, quomodo privatum evaserit dominium rerum, quae initio omnibus communes fuerunt. Ajunt enim, conglutinatis societatibus, formaque certa regiminis constituta, sic Reipublicae tranquillitatem postulasse, ut bona inter singulos dividerentur, ne propter illam rerum communionem dissidia fierent, quae in magnum omnium incommodum, ac detrimentum redundarent. Ita unusquisque suo contentus sese reliqua occupandi jure abdicavit. Quid hac tam subtili, ac simul inani investigatione opus est? Deus cuncta ab se creata hominibus proposuit, ut iis ipsi potirentur; potiti autem sunt per occupationem; atque hac ratione privata dominia orta sunt. Ita Cain, et Abel qui ante ullam certam regimini formam constitutam, conjunctasque societates plurium familiarum vixerunt, potiti sunt *fructibus terrae, et primogenitis gregis sui*, quos Deo obtulerunt; et ita annis consequentibus vel occupatione, vel pactione, vel alio simili modo homines rerum dominia adepti sunt (1). Abraham cum in Palestina versaretur, ab ejus regionis dominis locum sepulturae pro Sara Uxore sua, ut darent, postulavit (2); et Mo-

ses Josue praecepit, ut terram, quam Deus se eorum Patribus daturum promiserat, inter Hebraeos sorte divideret (3). Quod revera factum est, sicuti Moyses imperaverat, et sua pars singulis tribubus, atque familiis concessa est (4). Sic jus dominii, et proprietatis ab ipso Deo probatum est.

(1) Cicero *de Offic. lib.* 1. *num.* 7. *pag.* 264. *op. tom.* 3. *edit. Genevae* 1743. » sunt autem priavta, *inquit*, nulla natura; sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut, victoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte; ex quo fit, ut » ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum: Similisque » est privatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cuique fit, » eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque » teneat; et quod si quis appetet, violabit jus humanae societatis ».
(2) Genesis *cap. XXIII. vers.* 4.
(3) Deuteronom. *cap. XXXI. vers.* 3. *et* 7.
(4) Josue *cap. XIII. et XIV.*

§. VIII. Sunt haec monumentis prodita Sacrarum Literarum, quarum certa fides, et sancta auctoritas est; ex his vero tam clare, atque aperte intelligimus, qui pristinus fuerit status hominum, et familiarum, ut plane desipiant, qui alium rerum ordinem, et aliam hominum conditionem fingunt ingenio suo. Sunt igitur somnia delirantium Philosophorum, quae dicuntur de priscis hominibus, quos ajunt initio vagos, et exleges, bestiarum more, vixisse in solitudine, sibique victu ferino vitam propagasse, ac tandem labentibus annis a fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilemque fuisse deductos. Fuere quidem homines, quibus placuit ducere hanc vitam sylvestrem, incultam, horridam; sed hi fuere ex genere eorum, qui cum nemini subiecti esse vellent, relicta societate, abierunt in solitudines, quaerentes in agris, et sylvis effraenatam libertatem, infinitamque licentiam, quam in media hominum frequentia habere non poterant. Hic porro status paucorum hominum fuit, atque aetate posterior societatibus. Deus creavit hominem, ut simul cum uxore, et filiis vitam traduceret, ut hoc quidem institutum Cain, et Abel initio tenuerunt. Sed Abele interfecto, Cain patrati ab se criminis poenam luens a parentum communione discessit, atque extorris profugit, et in eo Dominus signum posuit, ne quis

ipsum interficeret (1). Itaque discessio a societate, quam Deus constituerat, delicti consequens, ac poena fuit; adeo verum est, hominem a Deo fuisse creatum, non ut vagus, et solitarius viveret.

(1) Genesis *cap. IV. vers.* 12. 14. 16.

§. IX. Quod etiam cum hominis indole, et natura mirifice congruit. Cum enim ipse multarum rerum indigeat, natura ipsa fertur in communionem aliorum hominum, a quibus intelligit, sese opem, auxiliumque obtinere posse (1). Brevi interiret, cum puer infans est, nisi praesto essent parentes; cum vero e pueris excessit, opus habet auxilio, ut vitae egestates sustineat, ut recte fruatur bonis, quae data sunt ad hominum usus, et commoditates, ut sese tueatur adversus famem, sitim, frigus, anni tempestates, belluas feras, et immanes aegritudines, cetera demum mala, et aerumnas, quibus premitur humanum genus. Ratio, qua homo praestat ceteris animantibus ipsa ei fuit auctor, ut, quod ab se solo frustra quaereret, auxilium ab aliis peteret, atque ita communicatis consiliis, atque doctrinis alter altari opitularetur. Quid prodesset homini ratio, donum illud tam praeclarum, et excellens, per quod Deus hominem distigui voluit a ceteris animantibus, quae ei cuncta subdidit, quaeque abjecit ed pastum, nisi ea ad quaerenda, quae bona, et utilia sunt, ac fugienda contraria uteretur? Imo ratio ipsa, per quam homo rerum principia, causasque, et consequentias cernit, rebusque praesentibus adjungit, atque annectit futuras, in ejus malum, et incommodum verteretur, cum praesentia cerneret mala, et futura prospiceret. Angores, solicitudines, nocturni, diurnique metus, egestates, quas praesentes experitur, et quas metuit futuras, numquam eum tranquillo, et quieto animo esse sinerent; atque ita ab immortali, et praepotenti Deo creatus videretur, ut nullum haberet punctum temporis vacuum periculis, molestiis, aerumnis, calamitatibus.

(1) Ecclesiast. *cap. IV. vers.* 9. *et* 10 »melius est ergo, *inquit*, duos » esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suae: » si unus ceciderit, ab alio fulcietur. Vae soli, quia cum ceciderit, non » habet sublevantem se » et Proverb. *cap. XVIII. vers.* 19.

§. X. Sed Dei providentia factum est, ut illae ipsae egestates, quibus homo undique premitur, per rationem indicarent remedium, quo iisdem occurreret. Coactus subsidium quaerere a sui similibus in media hominum frequentia reperit ea, quibus opus habebat ad avertenda tot mala, et incommoda, quibus solus opprimi, et extingui debuisset. Conjunctione inter homines hominum, ac societate, et communicatione utilitatum data sunt remedia aegritudinibus, alleviamentum laboribus, solatium angoribus, conjuncta opera, studiisque multorum inventae sunt artes, vitaeque commoda, et subsidia comparata (1). De Religione vero quid dicam? Quam gravis in ea esset ignoratio rerum, quae sunt ad aeternam salutem necessaria, nisi civili conciliatione, et societate conjunctus ab aliis disceret, quo cultu Deum prosequi oporteat, quae ab eo constitutae sint leges, quae Ecclesiae traditione firmatae, quibus erga illum, et semetipsum, et ceteros homines officiis obstringatur! Quare mihi quidem videntur otio, ac tempore intemperanter abuti Philosophi, qui in investigandis originibus, causisque civilium societatum tam multa, ac tam varia commentantur. Omnis earum origo a Deo ipso repetenda est, qui ita hominem creavit, ut hominis ope indigeret, ac per rectam rationem, cujus unus est particeps, intelligeret, sese hanc opem consequi posse in unum collatis consiliis, studiisque plurimorum.

(1) Recte Cicero *de Offic. lib. 1. num. 7. op. tom. 3. pag. 264. edit Genevae* 1743. observat » homines hominum causa esse generatos, ut ipsi » inter se aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem se- » qui, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum dan- » do, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire ho- » minum inter homines societatem ».

§. XI. Eadem Dei providentia duplex in media societate potestas constituta est, altera, quae curaret res sacras, atque divinas, altera, quae civilem rempublicam administraret. Cultum erga Deum in hominum animis impressit ipsa natura, cum eum, a quo procreati sumus, religiosissime colere, venerarique debeamus; neque ulla gens est tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habe-

re deceat, tamen habendum sciat. Itaque necesse erat ministros constituere, qui hunc cultum moderarentur, eique praeessent, atque ita homines dirigerent ad ultimum eorum finem, qui ipse Deus est. Civilis quoque consociatio ex natura orta est, cum homines crearit Deus, ut aliorum communione fruantur, eaque consociatio necessitatem intulit moderatoris, a quo ille plurium hominum conventus regeretur. Etenim nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare potest sine rectore, qui publicam utilitatem, incolumitatemque tueatur, qui leges condat ad bene regendam societatem aptas, et idoneas, sontesque poenis afficiat, et quidquid postulat commune bonum, constituat. Initio singularum familiarum, uti demonstratum est, dux, et princeps, ac moderator erat ipse paterfamilias, et hae societates sunt, quas *simplices* appellamus. Sed institutis societatibus plurium familiarum, quas *compositas* dicimus, multiplicatisque hominibus, et conditis civitatibus, ut plurimum, qui sapientia, auctoritate, ingenio, consilio supra ceteros pollere videbatur, ad eum rerum regundarum potestas delata est. Cumque haec potestas non ociosa, neque inanis, et ludicra esse deberet; in eam profecto conferre oportuit totum imperium, et jus ipsum vitae, ac necis, quod est ad rempublicam bene gerendam necessarium (1). Ita creati sunt Principes, Rectoresque societatum; atque ex his sane deprehendimus, quomodo civilis Potestatis origo a Deo repetenda sit (2). Nimirum nulla quidem ea de re verbis expressa lex a Deo data est; sed cum ipse homines in societate viventes justitia, ac tranquillitate frui voluerit, id vero fieri nequeat, nisi sit qui societati cum potestate, et imperio praesit, haec sane res Divinae voluntati adscribenda est. Quam voluntatem hominibus patefecit Deus per rectam rationem, per quam ipsi intellexerunt, reipublicae tranquillitatem, et incolumitatem sine moderatore conservari, ac retineri non posse (3).

(1) Hoc porro jus vitae, et necis habuisse Regem Palaestinorum in Gerara Abimelechum constat ex Genes. *cap. XXVI. nu.* 11., et similiter habuisse Judam, licet ipse minime Rex esset, sed tantum caput hominum sub se congregatorum, manifestum est ex judicio, quod ab eo contra Thamar latum fuit Genesis *cap. XXXVIII. vers.* 24.

(2) Confer Donatum *Droit Public. liv.* 1. *tit.* 1. *sect.* 1. *num.* 6. *pag.* 2. *edit. Paris.* 1705., et Pufeudorffium *de jur. natur. et gent. lib.* 7. *cap.* 3. §. 2. *tom.* 3. *pag.* 41. *seqq. edit. Francofur.* 1759.

(3) Quaesitum est a viris doctis, num civilis Potestatis origo ab ipso Deo, an potius ab hominum consensu, et voluntate repetenda sit. Ego rem ab hominibus actam puto, sed actam ex Dei voluntate, quae illis per rationem patefacta est. Locum Apostoli in *ep. ad Roman. cap. XIII. vers.* 1. egregie explicat S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 23 *in ep. ad Rom. num.* 1. *opp tom.* 9. *pag.* 686. cujus haec verba sunt. » Quid dicis? Omnis ergo Prin- » ceps a Deo constitutus est? Istud non dico. Nec enim de quovis Principe » mihi sermo nunc est; sed de ipsa re. Quod enim Principatus sint, quod » hi quidem imperent, illi vero subjecti sint, quodque non simpliciter, ac » temere cuncta ferantur, hoc divinae sapientiae opus esse dico. Propterea » non dicit; non enim Princeps est nisi a Deo; sed de re ipsa disserit, di- » cens „ non enim potestas est nisi a Deo ». Confer etiam S. Thomam *in cit. cap.* 13. *lect.* 1. Late ea de re disputant Bianchius *della podestà, e polizia della Chiesa lib.* 1. §. 1. *tom.* 1. *pag.* 8, et Mamachius *Origin. et Antiquit. Christian. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 2. § 2. *tom.* 4. *pag.* 56. *seqq.*

§ XII. Quae cum ita sint, facile perspicitur, ecquod esse debeat judicium de prima illa, quae a quibusdam fingitur, hominum aequalitate. Porro, qui ex primis omnium parentibus orti sunt filii, iis profecto fuere subjecti, ac potissimum patri, qui toti familiae praeerat; et sic deinceps ceteri parere debuerunt parentibus, a quibus suscepti, educatique fuerunt. Atque haec rerum ratio fuit, cur tantum *simplices* societates extiterunt. Sed ex earum conciliatione ortis scoietatibus, quas *compositas* vocamus, unus, aut alter praepositus est, qui multitudinem illam imperio regeret, remque publicam administraret; et huic certe pro communi omnium bono, qui societate continebantur, subjecti esse debuerunt. Quae igitur inter eos, qui societati sive *simplici*, sive *compositae* imperanti parebant, aequalitas esse potuit? Esse quidem aequales homines in eo, quod iisdem constat partibus, animo, et corpore, facile constat; sed in ceteris alius alio major, minorve est, neque eadem potest esse conditio illius, qui societatem regit, et eorum, qui reguntur. Unus Adam nulli umquam homini subjectus fuit, sed huic mandato ipso Dei subjecta est mulier (1), subjectique sunt filii; atque ita ceteri homines obnoxii nascuntur tum parentibus, a quibus vitam acceperunt, et a quibus alendi, atque educandi sunt, tum iis, qui societatem gubernant, ac moderantur. Subjectio filiorum parentibus ab ipsa natura, sive a Deo naturae auctore procedit, eorum ve-

ro, qui societate continentur, subjectionem rectoribus, qui illi praesunt, induxit recta ratio, per quam intellectum est, consociatam hominum multitudinem unius moderatoris providentia indigere.

(1) Genesis *cap. III. vers.* 16.

§. XIII. Qui primi inter se ad civilem communitatem conjuncti sunt, in hunc omnium principem, et moderatorem expresse convenerunt; qui communitate jam constituta nascuntur, tacite videntur consentire in eumdem rectorem, atque in eamdem reipublicae administrationem, quam postulat rectus ordo, et boni communis ratio; et in ea societate viventes facto ipso demonstrant, sese cunctis ejus legibus subditos esse velle. Quare illa hominum aequalitas, quam delirantes Philosophi excogitarunt, commentum est merum, praeterea nihil. Si omnes ex gremio terrae repente extitissent homines, essent hi quidem inter se aequales (1); sed cum certum sit, primos homines ab uno omnium parente fuisse progenitos, atque ex his ordine natos esse alios, et sic deinceps, quae inter ipsos fingi potest aequalitas, salva patria potestate, quam naturae leges constituerunt (2)? Quin etiam haec forte dari, et concedi aequalitas posset, excepta auctoritate parentum, quibus filios natura subdit, si Deus ita hominem procreasset, ut in agris, atque in sylvis abditus, bestiarum more, vitam traduceret ominum sui similium conspectum, congressumque fugiens; quamquam vis potentior cito hanc ipsam aequalitatem tolleret. Sed Deus hominem creavit, ut inter ceteros homines versaretur, eorumque uteretur opera, auxilio, consiliis; idcirco eum ratione donavit, qua duce, ac magistra cognosceret, quantum boni ex accessu ad congregationem, communitatemque hominum, quantum ex recessu mali caperet. Eademque ratio docuit necessitatem moderatoris, cujus auctoritate, et imperio tota illa multitudo regeretur, resque emnes rite, et recte, atque ordine administrarantur.

(1) Joannes Jacobus Rousseau homo absurdissimi ingenii, quem posteri mirabuntur hac aetate a quibusdam tanti fieri potuisse, in eo libro, quem Amstelodami edidit ann. 1755. cum titulo *Discours sur l' origine, et les fondements de l' inegalitè parmi les hommes*, ita describit hominem in

statu naturali constitutum (quem quidem statum *originarium, et primitivum* vocat) animal, *ait*, imbecillius quidem, quam nonnulla alia, » aliis » vero minus agile; at si omnium ratio habeatur, perfectioribus, quam caetera animalia, organis praeditum ». Hactenus homo eodem ponitur loco, quo cetera animalia, quae ratione earent. Pergit deinde, atque hominem a natura in hunc modum jactum fingit tamquam » animal, quod cibum ea-» pit sub quercu, potum ad primum aquae rivum, quietem nocturnam sub » ipsa arbore, quae victum illi suppeditavit; quo ejus necessitatibus jam » satisfactum est ». Vide quam eximius, et praeclarus hic hominis status naturalis fuerit. Sed homo hic ita misere, et aerumnose in eo statu versabatur; ut omnium rerum inscius, et rudis belluis magistris uti deberet, ut earum industriam addisceret, et earumdem *instinctum* consequeretur. Inquit enim, quod homines inter animalia per agros fusi, atque dispersi » ea » observant, ipsorumque imitantur industriam, seque ad bestiarum instin-» ctum extollunt ». Quo acquisito instinctu factum est, ut homo sese aleret » omnibus ferme variis iis cibis, quos caetera animalia inter se partie-» bantur; sicque singuli eorum facilius unde viverent, reperirent ». Ita homo, quem Deus *minuit paulo minus ab Angelis*, et cui cuncta animalia subjecta esse voluit, *Psalm. VIII. vers.* 6. *seq.*, belluis ipsis deterior efficitur; atque hunc quidem sylvestrem, et ferinum statum hominis proprium delirans Philosophus dicit, ejusque praedicat, ac magnis extollit laudibus felicitatem. His fundamentis positis commentitia illa hominum aequalitas constituitur. Sed putet in his absurdis immorari. Consule Jo. Franciscum Finettum *de princip. jur. natur. et gent. lib.* 5. *cap.* 4. *tom.* 1. *pag.* 269. *et seq. edit. Venet.* 1764., ejusdemque libellum cui titulus *Apologia del genere umano accusato di essere stato una volta bestia*; atque in primis vide egregium librum doctissimi Cardinalis Gerdil *Discours sur l' homme considéré rélativement à l' état de nature, et rélativement à l'état de societé*

(2) Vide Bossuetum *Politique tirée de l' Ecriture liv.* 2. *art.* 1. *propo-* 3. *seq. tom.* 8. *pag.* 352. *edit. Leod.* 1766, Heineccium *jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 5. §. 93. *pag.* 186. *op. tom.* 8. *edit Neapol.*

DE ORIGINE ECCLESIASTICAE POTESTATIS.

CAPUT II.

§. I.

Civili societati, ejusque gubernationi civilis Potestas est praeposita; Ecclesiastica praeest rebus sacris, atque divinis, eaque curat, quae pertinent ad sacros ministros, Deique cultum, ac religionem. Utraque Potestas in suo genere summa, ac perfecta est, utraque suas habet res, quas administrat, utraque hominum quaerit felicitatem; sed illa temporalem, quae fragilis, et caduca est, hec autem spiritualem, quae immortalis, ac numquam interitura est. Peccato vitiatus homo eo superbiae, et confidentiae processerat, ut per semetipsum vera sapere, ac recta agere posse crederet; et ideo sapientissime Deus utrumque hunc errorem manifestum fieri voluit, antequam ad nos mitteret filium suum unigenitum, qui humani generis infirmitati mederetur. In lege naturae haud sane defuit revelatio, quae omnibus necessaria est ad aeternam beatitudinem obtinendam; sed homo labentibus annis ejus immemor, seque committens temere suae rationis imperio in idololatriam, et in turpissima quaeque vitia prolapsus est; atque ita experiundo cognovit, quam debiles essent humanae rationis vires, quibus totus nitebatur (1). Haec rerum facies erat, cum Deus Moysi scriptam dedit legem, qua hominibus officia in eumdem Deum, semetipsos aliosque homines patefecit. Per hanc legem certior factus est homo dementiae suae, et erroris, in quo hactenus haeserat (2), bonique necessitatem agnovit; sed se minime huic bono obtinendo parem animadvertit. In hoc rerum discrimine omne humano generi subsidium ab uno Deo expectandum erat, et hinc temporum plenitudine adve-

niente „ ad sanandum grandem aegrotum, ut *inquit* Augustinus (3) „ descendit omnipotens medicus; humiliavit se usque ad mortalem carnem, tamquam usque „ ad lectum aegrotantis „. Scilicet aeternus Dei filius Unigenitus, et consubstantialis Patri, promissus in lege veteri Messias homo fieri, atque annos triginta tres inter homines versari voluit (4), non modo ut nobis coelestes veritates ostenderet, ac per Apostolos suos orbi universo nunciaret, sed etiam ut credentes una societate conjungeret, quam Ecclesiam appellamus. Proprie hoc vocabulum Ecclesiae significat quemvis conventum hominum; sed post evulgatum Evangelium ea vox a Graecis arrepta ad designandam Christianorum hominum societatem a Christo Servatore institutam translata est (5).

(1) Antiqua haec vitia hominum desiderare videntur, qui simulato Philosophiae nomine, ut sibi viam pandant libere cogitandi, ac liberius vivendi, omnia ad naturalem rationem referri volunt, atque ut homines in officio contineantur, satis esse putant naturalem Religionem, revelatae necessitatem excludunt. Ex eo numero sunt Bolingbroke *Examen important*, Rousseau *l' Emile*, Voltaire cum in *Melanges* tum in *Poème sur la Religion naturelle*, quem graviter refutavit Nonnotte *Dictionnaire Philosophique de la Religion*, et *Les erreurs de Voltaire*. Graviter, et copiose in hoc toto argumenti genere versatus est Valsecchius *Dei fondamenti della Religione lib.* 2. *tom.* 2. *cap.* 1. *seqq. pag.* 1. *seqq.*, *et lib.* 3. *cap.* 5. *tom.* 3. *pag.* 245. *seqq. edit. Patav.* 1771.

(2) Confer. S. Thomam 1. 2. *qu.* 48. *art.* 6.

(3) S. Augustinus *serm.* 87. *de verb. Evangel. Matth. cap.* 11. *opp. tom.* 7. *par.* 1. *ed. Venet.* 1756. Huc quoque spectat Apostolus ad Titum c. III. *vers.* 4. inquiens: *benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei*, qui noctis nostrae tenebras sua luce dispulit, atque hominem lassum, et laborantem ope gratiae roboravit.

(4) Haec quidem probabilior sententia est, quamquam aliud aliis visum fuerit; qua de re consule Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. Saec. I. dissert.* 2. *quaest.* 3. *tom.* 3. *pag.* 6. *seqq. edit. Venet* 1776.

(5) Consule Du-Cangium *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. Ecclesia*, Svicerum *Thesaur. Eccles. verb.* ἐκκλησία, et P. Du Mortier *Etymolog. sac. Graeco Latin.*, *seu a Graec. font. deprompt. Romae* 1703.

§. II. Haec Ecclesia societas hominum est, aeque non humano consilio, sed a Deo ipso instituta, Itaque suos habere debet Magistratus, a quibus regatur, uti habent omnes hominum societates, et hi non alii esse possunt, quam qui ab ipso Christo sunt constituti. Praeterea quae ab eodem Christo praescripta est ejus administrandae ratio, ea religio-

se servanda, ac retinenda est, neque potestas Ecclesiastica residere apud alios potest, quam apud illos, quibus eadem divinitus concessa est. Nam eorum, quae a Deo gesta, imperataque sunt, quidquam emendare, immutare, tollere nefas est. Sunt haec in vulgari sita prudentia. Atqui Christus Ecclesiae Rectores constituit Apostolos, hoc est Missos, quos eo nomine vocari voluit, ut ostenderet, neminem sine missione ab se procedente ecclesiasticam jurisdictionem habere posse (1), atque ex his unum elegit omnium caput, ac principem; et in eos contulit omnem potestatem, quam recta Ecclesiae administratio postulabat. Ergo nemini, praeter eos, eadem jurisdictio esse potest, nisi impudentissime volumus divinae voluntati refragari. Cum autem vita fungi deberent Apostoli, ac semper manere Ecclesia deberet, iisdem porro mortuis, alii erant in eorum locum subtituendi, qui illam regerent, ac moderarentur. Quare hoc munus, quod primum datum est Apostolis, ab ipso Christo datum est Episcopis eorum successoribus; atque in primis uni omnium centro unitatis, cui ceteros subjectos esse voluit, et in quos transtulit omnem potestatem, quam ipse Petro concesserat. Ex quo patet, universam ecclesiasticam potestatem a Deo ipso ἀμέσως *immediate* procedere, quoniam ipse Ecclesiam instituit, ipse Rectores praefecit, ipse demum eos expresse donavit potestate, qua praeditos esse oportet eos, quorum est hominum societatem rite ac recte administrare.

(1) S Augustinus *in Joan. Evangel. tract.* 54. *num.* 3. *tom.* 4. *opp. col.* 360. *edit. Venet* 1756., et Auctor *commentar. in epist. ad Roman. in Append. opp. S. Ambrosii tom.* 4. *col* 106. *edit. Venet* 1748., S. Isidorus *Origin. lib.* 7. *cap.* 9. *de Apost. pag.* 130. *edit. Basileae* 1577.

§. III. Acceptum a Christo mandatum Christianae Reipublicae, hoc est Ecclesiae formandae, postquam ipse ad Patrem rediit, Apostoli repleti Spiritu Sancto statim exequuti sunt, suaque missione, ac legatione functuri strenue potestatem sibi divinitus concessam exercuerunt. Ipso Pentecostes die Petrus, qui ubique uti caput, ac princeps inter ceteros eminet, elata voce Christi legem promulgat, cum magnae multitudinis concursus esset factus. Ejus oratione tria fere hominum millia, pauloque post quinque millia, Christiani

..unt, atque inter Ecclesiae filios cooptantur (1) Eedem, aut altero certe anno, prosternitur divina virtute Saulus, ut qui hostis infensissimus Ecclesiae fuerat, deinceps Apostolus ac *vas electionis* efficiatur (2). Apostoli, ut probabilis traditio est, per annos fere duodecim in Palaestina commorati sunt, aut eo redierunt, postquam in alias regiones excurrerant, functique Apostolatus officio in Judaea diffusi sunt per orbem universum praedicantes Christi fidem, et „ Do„ mino cooperante, ac sermonem confirmante sequentibus „ signis „ (3). Ibi peculiares Ecclesias costituerunt; Presbyteros, et Episcopos ordinarunt, et hos quidem singulis praefecerunt Ecclesiis, iisque transmiserunt potestatem, quam ipsi divinitus acceperant, cuncta denique praestiterunt, quae ad stabiliendam, confirmandam, propagandam Ecclesiam pertinebant.

(1) Actus Apostol. *cap. II. vers.* 41.
(2) Ibidem *cap. IX.*
(3) Marcus *cap. XVI. vers.* 20.

§. IV. Ita nata, instituta, propagata Ecclesia est. Quotquot ante ortum Christi effluxerunt saecula hunc ortum, atque hanc Ecclesiae institutionem prospiciebant, et avidissime expectabant (1); quae postea consequuta sunt, eamdem hanc epocham perpetuo respiciunt. Antiquiora illa tempora futurum Christi regnum praenunciabant; quae deinceps evenerunt, atque in posterum evenient, idem Christi regnum exhibent, semperque exhibebunt, *cujus regni non erit finis*, ut in symbolo profitemur. Est id regnum quidem unum, atque unicum, sed universale, per totum mundum, omnesque aetates diffusum, non caducis opibus, carnisque deliciis affluens, aut humana gloria resplendens, sed mirifice exornatum, atque in hac hominum vita plenum divinis gratiis, meritis, virtutibus, in altera vero coelesti gloria, praemiis, et triumphis; idque regnum mortali hoc statu Ecclesiam *militantem*, altero illo beato *triumphantem* appellamus.

(1) » Amen dico vobis, *inquit* Christus apud Mattheum *cap. XIII.* » *vers.* 17., multi Prophetae, et justi cupierunt videre, quae videtis: et » non-viderunt, et audire, quae auditis, et non audierunt ». Et apud Joannem *cap. VIII. vers.* 56. » Abraham Pater vester exultavit, ut videret » diem meum: vidit, et gavisus est ».

DE PETRO APOSTOLORUM PRINCIPE.

CAPUT III.

§. I.

Apostolos misit Christus in mundum universum, ut ubique Evangelium nunciarent, atque homines ex errorum tenebris ad veritatis lucem vocatos in christianam societatem cooptarent. Illi igitur, ut suo fungerentur munere, totum orbem inter se diviserunt, et singuli suas peragrarunt regiones, ad quas detulere Christi nomen, et fidem, ibique particulares Ecclesias condiderunt. Sed ex harum omnium particularium conciliatione Ecclesiarum una debebat effici Ecclesia catholica; ideoque illae omnes, quo tandem cumque locorum intervallo disjungerentur, arctissimo ejusdem fidei, et communionis vinculo ita inter se conjunctae, copulatae, cohaerentes esse debebant, ut unum corpus conficerent. Quomodo autem haec conjunctio, copulatio, cohaerentia tot Ecclesiarum, quae toto orbe diffusae sunt, quaeque ab aliis longissime distant, haberi poterat, nisi omnibus unum daretur commune caput, centrumque unitatis, per quod omnes in eadem fide, et communione conjungerentur? Neque satis erat tantum instituere hoc caput, et centrum commune omnibus, nisi in eo etiam inesset auctoritas, qua opus est, ut haec conjun-

ctio, atque unitas perficiatur. Quid enim profuisset creare caput, per quod omnium particularium Ecclesiarum unitas copularetur, nisi in hoc capite resideret auctoritas, per quam eadem unitas conficeretur? Sine hac auctoritate in uno omnium capite particulares Ecclasiae ab unitate impune discederent, et singulae impune suam habere fidem, et communionem possent; atque ita non una esset catholica Ecclesia, qualem Christus instituit, sed singulae haberent fidem, et communionem suam, neque in eo sententiarum divortio vera Christi doctrina, quae una est, dignosci posset. Itaque in illa particularium Ecclesiarum multitudine, ex quarum copulatione una oritur universalis Ecclesia, necessarium est unum caput, et in hoc capite necessaria est auctoritas, per quam illae cogantur ad hanc unitatem, scilicet ad unam eamdemque fidem, et communionem, quae capiti cum membris, hoc est cum reliquis Ecclesiis, communis est.

§. II. Apostoli nunciarunt populis doctrinam unam, quam a coelesti Magistro didicerant, neque ab ea discedere quisquam eorum poterat, cum omnes Spiritu Sancto ducerentur. Sed eodem beneficio non gaudebant Apostolorum successores Episcopi, qui cum errare possent, opus habebant uno Duce, et Capite, a quo et ab errore abduci, et reluctantes etiam cogi ad universalis Ecclesiae unitatem possent. Christus igitur, qui perpetuam, ac semper unam esse volebat Ecclesiam suam, ex Apostolorum collegio sumpsit Simonem Petrum, quem Ecclesiae caput, ac principem, centrumque unitatis constituit, in eumque contulit omnem auctoritatem, ut id, quod ipse volebat, perficeretur. Atque ad hoc caput, et capitis auctoritatem quasi per gradus idem Dominus venit, ut ostenderet in eo positum esse Ecclesiae fundamentum, in eoque originem, et culmen ecclesiasticae potestatis residere. Nam primum discipulos constituit, deinde ex discipulis sumpsit Apostolos, denique ex Apostolis unum elegit, qui ceteris praesideret. Quare ut inter discipulos Apostoli principes sunt, quos Christus ex eo numero seligit, ut deinceps faciat Ecclesiae Rectores, ita inter ipsos Apostolos Princeps omnium

est Petrus, qui ex hoc ipso selecto Apostolorum collegio unus prae ceteris speciatim eligitur. Qua in re illud in primis dignum observatu est, quod nemini Christus potestatem aliquam jurisdictionibus attribuit, antequam eam conferat in Petrum, atque in ipso constituat Ecclesiae fundamentum. Mittit Apostolos, atque discipulos ad praedicandam poenitentiam, atque homines ad sui adventum praeparandos, et illis quoque tribuit patrandi miracula potestatem (1); sed nullam ipsis concedit jurisdictionem, quae deinceps Apostolis concessa est. Imo ante Petri Primatum, atque institutam ecclesiasticam jurisdictionem, et Discipuli, et Apostoli aequale munus, et parem potestatem habuisse videntur; quoniam cum hi, tum illi eodem modo mittuntur ad nunciandam poenitentiam, Christique adventum, et omnibus eadem tribuitur potestas miraculorum. Primum ecclesiasticae jurisdictionis monumentum est in Petro, ut pateret, eum esse ejus fontem, originem, initium, neque eam aliam esse posse, quam quae ab hoc capite derivata in omnia Ecclesiae membra diffunderetur. Hunc igitur, uti dicebamus, Christus ex Apostolis elegit, ut esset omnium caput, et fons jurisdictionis, et centrum unitatis, a quo innumerabiles illae toto orbe diffusae particulares Ecclesiae conjungerentur, atque ita ex earum coagmentatione una Ecclesia universalis existeret.

(1) Matthaeus *cap. X. vers. 7.*, Marcus *cap. VI, vers. 7.*, Lucas *cap. X.*

§. III. Jam non quaeram, cur Christus in hac honoris, et potestatis praerogative Simonem, quem Petrum appellari voluit, ceteris Apostolis praetulerit; qua de re non una omnium sententia est. Alii enim id factum putant, quod Petrus senior esset (1); alii quod primo a Christo vocatus primus ei crediderit (2); alii quod singulari caritate praestaret (3); plerique ceteris Apostolis Petrum antelatum judicant ob insignem fidei confessionem, qua Christum Dei filium prae ceteris praedicavit. Verum ea in re longo sermone immorari nihil attinet. Non enim haec disputatio vim ipsam, atque intimam Principatus naturam attingit, ita ut ejus instituendi ratio ea in re posita esse videatur; sed tantum pertinet ad investigandam cau-

sam, propter quam Christus potius in Petrum, quam in unum aliquem ex reliquis Apostolis Principatum illum conferre valuerit. Quaevis autem haec causa fuerit, propter quam Petrus ceteris est praelatus Apostolis, hoc certum est, eum fuisse praelatum, et Principem Ecclesiae constitutum non ob privatam aliquam causam, quae solam Petri personam respiceret, sed ob commune Ecclesiae universae bonum, ut scilicet semper esset in Ecclesia fons, et centrum unitatis, ita ut membris omnibus una et eadem esset cum hoc capite, centroque fides, atque communio. Quod animadverti diligenter volo, ne quis cum haereticis (4) tantum Petri gratia institutum Primatum credat, ita ut idem mortuo Petro interiisse videatur. Secundum Christi pollicitationem Ecclesia semper stare, semperque una esse debebat, et ideo nullo umquam tempore carere poterat uno omnium Capite, ac Principe, qui unitatem conservaret. Quare sive Petri aetas, sive fides, sive caritas et Primatus adscribendi causa fuerit, nihil id ad rem nostram pertinet; cum certo sciamus, totius Ecclesiae, in eaque unitatis fidei servandae gratia Primatum fuisse institutum, tributumque Petro, ut in eo esset origo, centrumque ejusdem unitatis.

(1) Hieronymus *in Jovinian. lib.* 1. *num.* 26. *opp. tom.* 2. *col.* 279. *edit. Venet.* 1766.

(2) Hilarius *in Matth. cap.* 7. *num.* 6. *opp. tom* 1. *col.* 701. *edit. Veron.* 1730., Jo. Chrysostomus *Hom.* 3. *de Poeniten. opp. tom.* 2. *pag.* 300. *edit. Venet.* 1734., Basilius *adver. Eunomium lib.* 2. *num.* 4. *opp. tom.* 1. *pag.* 240. *edit. Paris.* 1721.

(3) Augustinus *serm.* 76. *num.* 1. *serm.* 295. *num.* 1., *et serm.* 296. *num.* 3. *opp. tom.* 7. *col.* 415. 1194. 1198. *edit. indic.*

(4) Spalatensis Apostata Marcus Antonius de Dominis Pontificii Primatus hostis infensissimus postquam *lib.* 1. *de Republ. cap.* 4. illas attulit, quas commemoravi, Primatus Petro adscribendi causas, exinde colligit, ejus Primatum nihil peculiaris juris habuisse. Inquit *num.* 7. » invenio ergo Petrum Primatum aliquem, citra tamen Primatum potestativum, et » jurisdictionalem, esse consequutum, nimirum ex aetate, ordine vocatio- » nis, amoris fervore, et propriis virtutibus, unde factum est, ut primas » inter Apostolos obtineret » Quorum similia sunt, quae scripsit Claudius Salmasius *in apparatu ad libros de Primatu.* Itaque, ne ullus plane sit errori locus, accurate, ac diligenter est distinguenda causa, propter quam Primatus fuit institutus, et causa, propter quam Petro potius, quam alteri ex Apostolis tributus est Profecto quaevis ea fuerit, nihil officit institutioni, ac naturae Primatus, qui non ideo minus certus, atque exploratus haberi debet.

§. IV. Sunt enim ea de re clara, et perspicua Evangelii

loca; atque illud in primis observatu dignum, cum Christus a discipulis quaesivit, quem se esse homines arbitrarentur. Qui cum varias eorumdem opiniones narravissent, ac rursus quaesivisset Christus, quem se ipsi esse crederent, unus Simon, ceteris tacentibus, eum esse *filium Dei vivi* affirmavit; cujus quidem praeclarae confessionis gratia Christus et eum *beatum* appellavit, et *Petram* esse voluit, super quam aedificanda erat Ecclesia, eique claves daturum regni coelorum, seque in coelis ligaturum, ac soluturum promisit quidquid ab ipso in terra ligatum, solutumque fuisset (1). Hic proprie Christus prima jecit Ecclesiae fundamenta. Antea vocarat discipulos, et Apostolos elegerat, sed nullam, uti diximus, iis dederat potestatem regendae Ecclesiae, neque suam hactenus ea de re voluntatem expressis verbis aperuerat. Primum expresse suam explicat voluntatem, cum Simon eum verum esse Dei filium confitetur. Tunc, probata et landata, tam vera, ac praeclara confessione, sese Ecclesiam aedificaturum promittit, tunc hujus Ecclesiae *Petram*, seu fundamentum futurum affirmat Simonem, quem ideo Petrum vocari jubet ut ipso nomine suum designet officium, et auctoritatem, tunc ei se traditurum promittit claves regni coelorum, daturumque infinitam ligandi, et solvendi potestatem. Primus, cujus in regenda Ecclesia potestas expresse memoretur, Petrus est, et hujus quidem potestatis mentio fit in prima ipsa Ecclesiae institutione, cum Christus explicat, quale esse velit ab se aedificaudae Ecclesiae fundamentum. En igitur in Petro ecclesiasticae potestatis exordium, Ecclesiaeque initium, ac fundamentum; idque fit a Christo Servatore tam magnifice, ac splendide, ut omnes intelligant, quantum ipse esset de hac Petri auctoritate solicitus. Nam primum confessionem postulat, deinde Simonem, qui eam emiserat, *beatum* vocat, eumque Ecclesiae *petram*, ac fundamentum constituit, eique claves regni coelorum, et omnia solvendi, ac ligandi potestatem attribuit.

(1) Matthaeus *cap. XVI. vers.* 18.

§. V. Sola nominis mutatio magnum aliquid, atque excellensin Petro significaret (1); sed Christus ipse rem totam explicat disertissime, cum ait, eum in posterum mutato nomine vocandum Petrum, quoniam super hanc *petram*;

non super aliam, qualis qualis ea esset, Ecclesiam suam aedificare volebat (2). Petrus igitur Dei mandato Ecclesiae petra, fundamentum, caput, princepsque est; quoniam non tantum firmitatis, atque constantiae, sed etiam Principatus causa *petra* appellatur (3). Adde quae hanc nominis mutationem, et expressam ejus causam sequuntur, verba, quibus Christus Petri auctoritatem designavit. Ipse enim non tantum Ecclesiae suae petram, ac fundamentum vult esse Petrum, sed ei etiam in eadem oratione concedit (4) claves regni coelorum, et ligandi, ac solvendi potestatem, quae in coelo rata haberetur. Quibus quidem omnibus quid dici explicatius, clariusque potest, ut pateat Petrum et universae Ecclesiae, et collegarum Apostolorum Principem constitutum (5)? Ac per claves profecto ipsam Dei potentiam, qua nulla major esse potest, in sacris Bibliis significari constat (6), et cum venturum Dei filium praedicit Isaias, per has claves ejus exprimit potestatem his verbis „ et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et „ non erit qui claudet, et claudet, et non erit qui aperiet (7) „. Iisdem prope verbis usus est Christus, ut exprimeret potestatem, quam Petro daturus erat „ et tibi „ dabo, *inquit*, claves regni coelorum, et quodcumque „ ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis „. Ergo easdem illas claves, quas Christus a Patre acceperat, ut *clauderet*, et *aperire*, Petro concessit, ut *ligaret, et solveret*, quod eodem redit, iisque significavit eamdem potestatem, qua ipse praeditus erat, quamque in Petrum conferebat.

(1) Notum est, hanc veteribus, praesertim in Oriente, fuisse consuetudinem, ut propter singularem aliquem, ac memoria retinendum eventum novum hominibus nomen attribuerent. Hujus rei in veteri testamento Deus exempla dedit in Abram, et Jacob, quorum nomina in Abraham, et Israel convertit, ut alterum magnae multitudinis patrem, alterum potentem erga Deum significaret. Genes. *cap. XVII. vers.* 5. *et cap. XXXII. ver.* 28 Justinus Martyr, qui secundo Ecclesiae saeculo floruit, *in dialog. cum Tryphone num.* 106 *pag.* 201, *edit. Paris.* 1742., quod a Christo addita Simoni fuerit Petri appellatio, id argumento esse inquit, singulare aliquid eo nomine Petro attributum fuisse: » quod, *inquit*, unum » ex Apostolis, mutato nomine, Petrum appellasse dicitur, atque in Apo» stolorum commentariis quoque refertur, quodque praeterea duos alios

» fratres filios Zebedaei Boenerges, idest tonitrui filios cognominavit, id » argumento erat ipsum illum esse, a quo Jacobus Israelis, Auses Jesu » nomine vocatus est, per quod nomen etiam in terram Patriarchis pro- » missam introductus est populus ex his, qui ex Aegypto profecti sunt, » superstes ». Confer etiam Jo. Chrysostomum *Homil. in illud Saulus adhuc spirans num. ult. pag.* 107 *et in illud Paulus vocatus num.* 3. *opp. tom.* 3. *pag.* 135. *edit. Venet.* 1734., Petrum Chrysologum *serm.* 154. *de S. Stephano pag.* 217. *edit. August Vindelic* 1758 Thomam Aquinatem *in Evangel. S. Matthaei cap. XVI.*, Petrum Blesensem *serm.* 28. *de SS. Petro, et Paulo pag* 317. *edit. Paris.* 1667.

(2) Consule Cyprianum *ep.* 71. *ad Quintum pag.* 303. *et* 304. *edit. Amstelod.* 1700., Tertullianum *de praescript. cap.* 22. *pag.* 209. *edit. Venet.* 1744, Origenem *Homil* 5. *in Exod.* §. 4 *pag.* 145. *t.* 1. *edit. Paris* 1733., Gregorium Nazianzenum *orat.* 26. *pag.* 453. *tom.* 1. *edit. Colon.* 1690., Basilium *lib.* 2. *adver. Eunomium num.* 4. *pag.* 240. *opp. tom.* 1. *edit. Paris.* 1721. Epiphanium *in Ancorat. num.* 9. *opp. tom.* 2. *pag.* 14. *edit. Colon.* 1782.; Jo. Chrysostomum *Hom.* 8. *adver. Jud opp. tom.* 1. *pag.* 677. *et Homil.* 3. *de poeniten. num.* 4. *tom.* 2. *edit. Venet.* 1734., Cyrillum Alexandrinum *lib.* 2. *in Evangel. Joan. cap.* 1. *pag.* 131. *opp. tom.* 4. *edit. Paris.* 1638. Hilarium *in Matthaeum cap.* 16. *num.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 719. *edit. Veron.* 1730., Zenonem Veronensem Episcopum *lib.* 1. *tract.* 13. *cap.* 8. *tom.* 1. *pag.* 105. *edit. August. Vindelic.* 1758., Leonem M. *serm.* 3 *in anniver. suae assumpt. cap.* 3. *tom.* 1. *col.* 12. *et serm.* 4. *col.* 17. *edit. Venet.* 1753., Ambrosium *enarrat. in Psalm.* 40. *num.* 30. *opp. tom.* 2. *col.* 204. *edit. Venet* 1748 Hieronymum *in Matthaeum lib.* 3. *cap.* 16. *opp. tom.* 7. *col.* 121. *edit. Venet* 1766., Augustinum *in Psalm.* 69. *num.* 4. *opp. tom* 5. *col* 947. *et serm.* 76. *cap.* 1. *col* 415. *tom.* 7. *Edit. Venet.* 1756., Isidorum Pelusiotam *lib* 1. *ep.* 142. *et lib.* 2. *ep* 99. *pag.* 29. *et* 115. *edit. Venet.* 1745., Didymum Alexandrinum *de Trinit. lib.* 1. *cap.* 27. *pag.* 86. *et lib.* 2 *cap* 10 *pag.* 231. *edit. Bonon.* 1769., Joannem Damascenum *de sacr. paralell litt. V. tit* 3. *pag* 591. *et* 598. *opp. tom* 2. *edit. Venet.* 1748., Gregorium M. *ep.* 20. *ad Maurit. Imper. lib.* 5. *opp. tom.* 2. *col.* 748. *edit. Paris.* 1705.

(3) Confer Mamachium *origin. et antiquit. christian. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 1. *π ζοτη.* §. 5. *num.* 9. *pag.* 313. *seqq. tom.* 5.

(4) Quamquam Christi verba *aedificabo etc. dabo etc.* tantum promissionem secumferant, tamen quia Christi promissio certa, fallique nescia est, dubitari non potest, quin iis verbis quod promissum, datum etiam Petro fuerit. Hinc S. Cyprianus *de unit. Eccles. pag.* 77. *edit. Amstelod.* 1700. post ea descripta verba inquit *super illum unum aedificat Ecclesiam suam*; quod et reliqui Ecclesiae Patres tradunt.

(5) Per hanc sane clavium traditionem summam Petro fuisse tributam in Ecclesia universa potestatem, Patrum sententia est. Sic missis ceteris, quos in re notissima piget describere, docent Tertullianus *Scorpiac. cap* 10. *pag.* 146. *edit. indic.*, Cyprianus *ep* 73 *ad Jubajan. pag* 309. *edit. indic.*, Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 7.. *pag.* 130. *edit. Paris.* 1676. Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 6. *num.* 15. *pag.* 96. *et catech.* 14. *num.* 26. *pag.* 218. *edit Venet.* 1763., Leo M. *serm.* 4. *cap.* 3. *col.* 18. *tom.* 1 *edit. cit*, Hilarius *de Trinit. lib* 6. *num.* 20. *opp. tom.* 2. *col* 147. *et* 170. *cit. edit, Veron.*, Basilius *proaem. de judic. Dei num.* 7. *opp. tom.* 2. *pag* 221. *laud edit. Paris.* Verum qui rei clarrissimae tenebras offundere conantur, claves ipsas non Petro, sed Ecclesiae in primis, atque *immediate* traditas contendunt, et ideo communem un-

nibus Apostolis fuisse potestatem putant, quae Petro per clavium traditionem concessa est. At quam graviter hi omnes errent, ex solo verborum contextu evidenter ostendit doctissimus, ac sanctissimus Gebennensium Episcopus Franciscus Salesius *disc.* 32. *de Eccles*, cujus autographum a se visum Romae in Bibliotheca Christiana testatur Emmanuel a Schelestrate *antiquit. eccles. tom.* 2. *dissert.* 2. *cap* 6. *art.* 2. *num.* 5 *pag.* 132. *seqq. edit. Romae* 1697. Haec autem ipse habet » haereticorum ministri » omnem lapidem movent, ut quantum possint, inquinent fontem Evan- » gelii, ne Petrus ibi reperiat claves suas, nihil intentatum relinquunt, » ut nos avertant ab obedientia, quae debetur Vicario Christi. Quid au- » tem fecerunt? Dixerunt S. Petro promissionem a Domino factam nomi- » ne totius Ecclesiae, sic ut nullum peculiare privilegium concessum fue- » rit ipsius personae. Si igitur hoc interpretandi modo non pervertatur » Scriptura, numquam ob aliquod in alienum sensum detorquebitur. Non- » ne enim Petro loquutus est Dominus? Et quomodo clarius mentem » suam exprimere poterat his verbis? *Et ego dico tibi etc. dabo tibi etc.* » Cum enim immediate antea loquutus fuisset de Ecclesia, dum dixit: » portae inferi non praevalebunt adversus eam, quidnam obstat, quominus » adjunxisset, *et dabo illi claves regni*, si illas immediate dare voluis- » set Ecclesiae? Non dixit illi, sed dabo tibi. Quod si liceat explicare » loca, nihil omnino in Scriptura reperietur, quod in omnem sensum » detorqueri non possit ». Sancti Augustini locos, qui his, quae diximus adversari videntur, et cetera, quae opponi solent, graviter expendunt Bellarminus *de Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 12. *et* 13 *opp. tom.* 1. *pag.* 272. *seqq. edit Venet* 1721, Cardinalis Veronesius *de necessar. fidel. commun. cum Apostol. Sede cap.* 8. *pag* 47. *seqq*, Mamachius *Origin., et antiquit. christian. lib.* 4 *par.* 2 *cap.* 1. §. 4. *tom.* 5 *pag.* 262. *seqq.*, Ballerinius *de vi ac ration. Primat. Rom. Pontif. cap.* 9. *num.* 5. *pag.* 41. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1770. Quamquam enim ipse Augustinus scripserit, ligandi, solvendique potestatem a Christo fuisse tributam Ecclesiae per Petrum, qui ejus figuram gerebat, non id tamen eo consilio scripsit, ut ostenderet, Petrum ea in re tamquam legatum Ecclesiae fuisse, sed contra tamquam ejus principem, et moderatorem, qui totam Ecclesiam repraesentabat, ut ipse Augustinus docet *in Joan. tract.* 24. *num.* 5. *opp. tom.* 4. *col.* 1086. *et in psalm.* 108. *num.* 1. *tom.* 6. *col* 545. *edit. Venet indic.*; quemadmodum Rex repraesentat populum, cui praepositus est. Confer etiam Maldonatum *in Matth. cap.* 16 *pag.* 341. *edit. Lugdun.* 1682.

(6) Supremam potestatem suam ita Deus ipse describit in Apocalypsi *cap.* 1. *vers.* 18. » ego sum vivens in saecula saeculorum, et habeo » claves mortis, et inferni » et *cap. III. vers.* 7. eadem summa potestas his verbis exprimitur » qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. Late hoc argumentum persequitur Augustinus Calmetus *in S. Matthaeum cap.* 16. *vers.* 19. *Comment in S. Scrip t.* 7. *edit. Venet.* 1774. *pag.* 166., *et in diction. S. S. verb. clavis.*

(7) Isaias *cap. XXII. vers.* 22.

§. VI. Neque suas tantum claves, sed suum etiam nomen Simoni dedit Christus, cum eum *petram*, seu *cepham* appellari voluit. Vera enim, et praecipua Ecclesiae petra, ac fundamentum ipse Christus est; et tamen

Simoni tribuit hoc nomen, et vero tribuit, ut illud ipsum praestet officium, quod Christi est, scilicet ut ejus vices in terris gerat, ac fundamentum sit, in quo Ecclesia aedificari debebat (1). Nam vocabulum illud *cepha*, seu *petra* necessario referendum est ad ipsum Petrum, cujus paulo ante meminerat Christus, non ad eumdem Christum, cujus nulla mentio facta fuerat. Cum enim ab eo dictum est: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, nullus fuisset nexus, et colligatio verborum, si prior *petra* de Petro, altera de Christo intelligeretur (2) Imo vero mirum in modum confirmant, et extollunt Petri principatum; qui ut ejus auctoritatem imminuant, Christum esse ajunt, non Petrum Ecclesiae fundamentum. Quis umquam Catholicorum negavit, Christum esse caput invisibile Ecclesiae, ejusque fundamentum, lapidemque angularem? Sed cum ipse ad Patrem redire, atque in terris Ecclesiae praeficere deberet unum nisibile caput, ipsas suas claves, ipsum suum nomen, ipsum suum officium, et potestatem transtulit in Petrum, ut ostenderet, eum esse Ecclesiae caput, ac principem, quem ad patrem rediens sui loco in terris relinquebat (3). Nec quod aliqui ex Patribus super Petri fidem, seu confessionem Ecclesiae fundamentum ponunt, id argumento esse potest, quod ipse Petrus Ecclesiae fundamentum, ac Princeps haberi non debeat. Nam qui non fidem, qualis qualis ea sit sed fidem Petri confessione, aut praedicatione propositam Ecclesiae petram intelligit, is profecto non excludit Petrum, sed id ponit, quod in Petro fundamenti rationem continet, nempe fidem ejus, seu fidem ab eo praedicatam, super quam Ecclesia vere aedificata fuit, et cujus gratia Petrus *fidei petra*, *et rectae fidei fundamentum* appellatur (4). Nimirum supra Petrum aedificanda erat Ecclesia, sed supra Petrum, qui veram illam fidem praedicaverat, non supra Petrum, tamquam hominem, qui ossibus, et carne constabat. Itaque Christus in hac speciatim fide fundamentum posuit, ut demonstraret, fidem Petri totius Ecclesiae fidem esse oportere, et eum propter hanc fidem, quam primus nunciarat, et cum qua omnes convenire de-

bebant, futurum Ecclesiae caput, ac Principem (5). Ita Patres, qui Petrae nomine Petrum intelligunt, minime adversantur iis, qui eodem nomine Petri fidem, et confessionem comprehendunt; sed omnes pari modo unam, et eamdem catholicam doctrinam, ac traditionem egregie confirmant. Et certe Petrus nonnisi per fidem, sine qua homines Ecclesiae membra haberi non possunt, Ecclesiae petra, ac fundamentum esse poterat, et hanc porro fidem cum praedicavit, factus est ecclesiastici aedificii fundamentum (6).

(1) Haec ipsa Patrum dubitatio de Petrae vocabulo, num eo scilicet Christus, an Petrus intelligendus sit, Primatus vim, ac dignitatem ostendit: tantum abest, quod ei quidquam detrahere videatur, uti recte animadversum est a Roberto Jasepho Alexio Du-Hamel *dissertat. canoniq. et historiq. sur l'autorité du Saint-Siege par.* 2. *art.* 1. *pag.* 274. Nam Christus suum ipsum nomen cum Petri nomine confundere ita voluit, ut incertum esset, uter eorum comprehenderetur eodem nomine, atque ad se tam proxime accedere Petrum voluit, ut plurimi Patres certo statuere nequeant, num *Petra*, de qua Matthaeus loquitur, Petrus, an potius Christus ipse sit. Quo quid excellentius, atque praeclarius esse potest, ut pateat, quanta in Primatu dignitas, ac potestas insit? Augustinus *Petrae* nomine et Christum, et Petrum intelligi posse affirmat, atque illum Matthaei locum aliquando ad unum, aliquando ad alterum refert, denique cuivis integrum esse statuit alterutram sequi sententiam. Sic enim ipse *Retract. lib.* 1. *cap.* 21. *tom.* 1. *col.* 35. *et* 36, Librum contra epistolam » Donati . . . scripsi . . . in quo dixi in quodam loco de Apostolo Pe- » tro, quod in illo tamquam in petra, fundata sit Ecclesia, qui sen- » sus etiam cantatur in ore multorum in versibus beatissimi Ambro- » sii, ubi de gallo gallinaceo ait: *hoc ipsa Petra Ecclesiae canente cul-* » *pam diluit.* Sed scio me postea saepissime sic exposuisse, quod a Do- » mino dictum est, *tu es petra etc* ut super hunc intelligeretur, quem » confessus est Petrus dicens, *tu es Christus etc.* Harum autem duarum » interpretationum quae sit probabilior, eligat Lector ». Quem Augustini locum descripsimus, ut constet, ei saue incertum fuisse, num *petrae* nomine Christus, an Petrus intelligeretur. Non inde tamen efficitur. Augustino tantum probabilem fuisse Petri Primatum, quem pluribus in locis certissimum agnoscit.

(2) Petrae vocabulo et Christum, et Petrum, a Patribus designari constat, illum quidem tamquam *primarium*, *invisibile*, *essentiale*, hunc vero tamquam *secundarium*, *visibile*, *ministeriale* Ecclesiae fundamentum. Itaque duo sunt in Ecclesia fundamenta, duaeque petrae; at *secundaria primariae* innititur, non ab ea sejungitur; *visibilis* vicem gerit *invisibilis* in uno eodemque aedificio: *ministerialis* vim accipit ab *essentiali*, non per se ipsa subsistit. Christus in sacris Bibliis *unus magister*, *bonus pastor*, *lux vera* appellatur; et tamen quod eadem post Christum officia praestant Apostoli, iisdem nominibus designantur. Sic *petra* praecipua Christus, altera post Christum Petrus est: *Petra* inquit Augustinus *tract.* 124. *in Joan. tom* 4. *col.* 1086., *erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus.* Praeclare Auctor *Homil. de poenitent. in append.*

opp S. Basilii tom. 2 *pag.* 606. *edit. Paris. indic.* » Christus enim, *in-*
» *quit*, vere petra est inconcussa; Petrus vero propter petram. Nam Je-
» sus dignitates suas largitur, nec exhauritur; sed, quae tribuit, retinet.
» Lux est, *vos estis lux mundi.* Sacerdos est, facit Sacerdotes. Ovis est:
» *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum.* Petra est, petram fa-
» cit, et servis dat sua » et S. Leo M. *serm* 4 *in annivers. ejus. as-*
sumpt. cap. 2. *tom.* 1. *col* 17. *edit. Venet.* 1753., Quia tu es Petrus,
» *inquit*, idest cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis,
» qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo po-
» test aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute soli-
daris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participa-
tione communia ».

(3) In eo Matthaei loco, ubi Christus ait: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* vocabulum illud *petrae* sine dubio referendum est ad Petrum, cujus mentio facta fuerat, cui Christus nomen immutaverat, cujus laudaverat confessionem, quem beatum praedicaverat, cui promiserat claves regni Coelorum, et amplissimam ligandi, ac solvendi potestatem. Neque refert, quod in textu graeco dicatur *tu es Petrus etc.* non *tu es petra*; quae res etiam Augustinum Syriacae, atque Hebraicae linguae ignarum in eam rapuit opinionem, ut crederet, *Petrae* nomine Christum ipsum designari Non enim, *inquit Retract. lib.* 1 *cap.* 21. *tom.* 1. *col.* 36. » Dictum est illi, tu es petra, sed tu es Petrus. Petra » autem erat Christus » Nam in textu Hebraico, qua lingua Matthaeum Evangelium scripsisse tradit S. Hieronymus *de Scriptor. Eccles. tom* 2. *col.* 833. *cap* 3., ab Evangelista adhibetur verbum *Cephas*, quod latine et graece *petram* significat, ut idem Hieronymus docet *in epist. ad Galat. cap.* 2. *tom.* 7. *col.* 409.; ac Christi verborum sententia est: *tu es Cephas, et super hoc Cepha etc*, sive *tu es petra, et super hanc petram etc.* Quod si etiam, ut aliqui putant, Matthaeum graece Evangelium scripsisse arbitremur, res in idem recidet. Nam Graecis
et πέτρα idem sunt, et utrumque vocabulum *lapidem* aut *petram* significat, uti Henricus Stephanus *verb.* πέτρος, ac veteri lexicographi illustriores productis exemplis veterum demonstrarunt. Cur autem ille, qui in latinum sermonem convertit Matthaei Evangelium, *cepham* non *petram*, sed *Petrum* verterit, explicat Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus, qui certe assentationis in Primatum accusari non potest, *in Tetrateuch. sive commentar. in S. Evangel. loc. cit.* » Tu homo, *inquit*, me filium Dei di-
» xisti: ego filius Dei tibi rependo vicem, ac vicissim dico non omni-
» bus, sed tibi soli, non casso sermone, sed quem effectus sequatur,
» quia tu es Petrus, idest, quod tu sicut olim a me vocatus es veris-
» sime, non nomine solo, sed reipsa et petra, saxum, seu rupes Grae-
» ce enim πέτρος; et πέτρα, quod sequitur, idem prorsus significant. Sed
» quia de viro loquebatur, masculine loqui maluit, deinde vero foemini-
» ne, et usitatius; et super hanc petram, ut nimirum sic ista repeti-
» tione, et mutatione vocabuli, et verbis adjunctis: *aedificabo Ecclesiam*
» *meam*, explicaret per metaphoram, et mysterium nomine Petri conten-
» tum, quod videlicet eum ita vocaverit non propter sterilitatem, ut Lu-
» cae VIII. 6., vel alias aliquas causas, sed propter immobilem firmita-
» tem, qua instar rupis divina virtute solidandus erat, ut molem tan-
» tam super aedificandam posset sustinere. » Utinam homo hic ita sem-
per scripsisset! non in eos incidisset errores, a quibus tot in Ecclesia turbae excitatae sunt. Eadem habet Samuel Basnagius *Annal. Politico-Eccle-siast. tom.* 1. *pag.* 264. §. 30. *edit. Roterod.* 1706. homo ceteroquin e

numero Protestantium. Catholicorum vero, qui illum Matthaei locum de Petro Apostolorum Principe intelligendum defendunt, pene infinitus est numerus. Consule, praeter ceteros, Vincentium Gotum Cardinalem *la vera Chiesa di Cristo contro Giacomo Picenino tom. 2. par. 1. pag 18. seqq. edit. Mediolan.* 1734., Mamachium *Origin. et antiquit. Christian. lib. 4. par. 2. §. 5. tom. 5. pag.* 282. *seqq. et num, 9. pag.* 306. *et seq.*, Vincentium Lupolum olim Episcopum Telesensem *Jur. Eccles. praelect. tom* 1. *cap.* 4. §. 3. *seqq. pag.* 88. *seqq. edit. Neapol.* 1777. Haereticorum ea de re commenta Claudii Salmassi, Isaaci Casauboni, Joannis Prideaux, Benedicti Picteti, Centuriatorum Magdeburgensium, aliorum similium graviter, ac solide refutarunt viri docti, quorum nunc est facta mentio, et ideo nihil nos addemus, ne actum agere videamur. Recte autem Cyrillus Alexandrinus *in Evangel. Joan. lib.* 2. *cap.* 12. *cap.* 131. *edit. Paris.* 1638. observat, quod ideo Christus pleno mysterii nomine Petrum appellari voluit » vocabulo ipso commode significans, quod in » eo tamquam in petra, lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ec» clesiam » atque » ut consortium mereretur nominis, qui consortium me» retur et operis » ut inquit S. Maximus Taurinensis *Hom.* 54 *pag.* 169. *edit. Romae* 1784. Cumque ille, de quo agimus, Evangelii locus expresse loquatur de Petro, cumque ibi *petrae* nomine designatum ob fidem, quam professus est, ac praedicavit, Patrum sententia sit, dubitari non potest, quin et ipse qui *ex principali* illa petra, ut inquit Auctor librorum *de vocation. omn gent. lib.* 2. *cap.* 28, *communionem et virtutis accepit et nominis*, ob eamdem fidem constitutus sit petra, supra quam aedificata Ecclesia est. Quomodo Ecclesiae fundamentum Christus, itemque Petrus dicatur, praeclare explicat Asterius Amasenus *orat. in Petr. et Paul. pag.* 825. *tom* 5 *Biblioth PP. edit Lugdun* Inquiens. » Isaias vaticinio ait, posuisse Patrem Filium lapidem angularem, ni» mirum significans mundi totam concretionem illo fundamento, ac ba» si nixam esse Quia et rursus Unigenitus, ut sacris Evangelii libri, » conscriptum est. Petrum Ecclesiae fundamentum dicit: *tu es Petrus*, » *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Primus enim revera » hic, ceu grandis quidam, ac durus lapis mundi hujus causa demissus » est . . . . ut Christianos omnes superaedificatos portans in sublime, » nempe ad spei nostrae domicilium subvehat. Fundamentum aliud nemo » potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Je» sus; sed et simili quoque Salvator noster appellatione primum suum » discipulum honestandum dixit nominans fidei petram . . . justa por» ro aedificatione radicati stamus, qui ab ortu Solis usque ad occasum » sumus Christiani ». Augustini, atque aliorum loca, quibus Adversarii abuti solent, prae ceteris diligenter expendunt Cardinalis Veronesius *de necessar. fidel. commun. cum Apostol. Sed. cap* 6 *pag.* 38. *seqq. edit. Brixiae* 1783. et Mamachius *Origin. et antiquit. Christian lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 1. §. 3. *tom.* 5. *pag.* 307. *seqq*

(4) Sic Auctor sermonis *de martyr. SS. Apostol Petri, et Pauli inter opp. S. Jo. Chrysostomi tom* 8. *pag.* 9. *edit. Venet.* 1734.

(5) Praeclare S. Ambrosius *de Incarnat. cap* 5. *num.* 34. *opp tom.* 4. *col.* 141. *edit. Venet* 1748 » Fides ergo, *inquit*, est Ecclesiae fundamen» tum; non enim de carne Petri, sed de fine dictum est, quia portae » inferi non praevalebunt » ubi respicit locum illum Evangelii » super » hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevale» bunt adversus eam ». Cui simile est, quod scribit Auctor sermonis 1. *in Pentecost. inter opp. Chrysostomi tom.* 3. *pag.* 789. *edit. Venet.* 1734.

cujas haec verba sunt „ non dixit, super Petram, *inquit*, neque enim „ super hominem, sed super fidem ejus aedificavit „. Neque dissimilia sunt ea, quae scripta reliquerunt Hilarius *de Trinit. lib.* 6. *num.* 36. *et* 37. *opp. tom* 2. *col.* 159. *et* 160. *edit indic.*, Gregorius Nyssenus *de Trinit. cap. ult. pag.* 994. *edit. Paris.* 1615., Auctor commentariorum *in epist. Pauli ad Ephes cap.* 2. *vers.* 20. *inter. opp. Ambrosii tom.* 4. *col.* 281. *edit. ejusd.*, Epiphanius *haeres.* 59. *num.* 7. *tom* 2. *pag.* 500. *edit ejusd.* Augustinus *tract.* 7. *in Joan. num.* 20. *tom* 4. *col* 465., *et in Psalm.* 69. *num.* 4. *tom.* 4. *col.* 497. *edit. indic.*, Jo. Chrisostomus *in Matth. hom.* 54. *num.* 2 *et hom. in eumd.* 82. *num.* 3. *tom.* 7. *col.* 547. *et* 548. *et col.* 786. *edit indic.*, Cyrillus Alexandrinus *de Trinit. lib.* 4. *opp. tom.* 5. *pag.* 507. *edit. indic.*, Leo M. *serm.* 6. *cap.* 2. *col.* 239. *tom.* 1. *cit. edit.*, Basilius *advers. Eunom. lib.* 2. *num.* 4. *opp. tom.* 1. *pag.* 204. *edit cit*, Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *ep.* 135. *pag.* 45. *edit. Venet.* 1745., Maximus Taurinensis *hom.* 54. *de Petr. Apostol. col.* 169. *et hom.* 113. *col.* 375 *edit. Romae indic.*, Joannes Damascenus *hom. de trasfigur. num.* 6. *opp. tom.* 2. *pag* 795. *edit. Venet* 1748., Paulinus Aquilejensis *in Synod. Forolivien. pag.* 68. *et himn.* 1 *pag.* 275. *edit. Venet.* 1737., Gregorius M. *ep.* 38. *ad Theodelind. lib.* 4. *tom.* 2. *col.* 618. *edit. Paris* 1705., Isidorus *origin. lib.* 7. *cap.* 9. *pag.* 171. *edit. Basileae* 1577., Petrus Chrysologus *serm* 154. *de S. Stephano pag.* 217. *edit. August. Vindelic.* 1758., Juvenalis Hierosolymitanus Episcopus *in synod. ad Presbyt. et Archimand. Palaestin.* apud Labbaeum *tom.* 4 *Concil col* 1835. *edit. Venet. Coleti*, Thomas Cantauriensis *lib.* 1. *ep.* 97. *pag.* 151. *edit. Bruxell.* 1682., Bruno Astensis *in exposit. cap.* 33. *Exod. opp. tom.* 1. *pag.* 122. *edit. Romae* 1789., Thomas Aquinas 2. 2. *q* 174. *art.* 6. *et in supplem. q.* 5. *art.* 1.

(6) Confer Bellarminium *controv. tom* 1. *de Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 10. *et* 11. *pag.* 268. *seq. edit. Venet.* 1711., Constantium *praefat. in epist. Rom. Pontif. num.* 6. *seqq. pag.* 3. *seqq. edit. Paris.* 1721., Cardinalem Petram *Constit. Apostolic. in constit.* 10. *Pii II. num.* 12. *seqq. tom* 5. *pag* 171. *seqq. ed. Venet.* 1741., Fratres Ballerinios *in S. Leonem M. serm.* 62. *cap.* 2. *tom.* 1 *col.* 461. *et* 4652. *edit. cit.*, *et de vi ac ration. Primat. Roman. Pontif. cap.* 12. §. 1. *pag.* 66. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1770., Cardinalem Veronesium *loc. cit. cap.* 6. *pag.* 34. *seqq.*, Mamachium *loc. cit. cap.* 1. §. 3. *tom.* 5. *pag.* 132. *seqq.*

§ VII. Eodem spectant illa Christi verba, quibus ipse allocutus est Petrum „ Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando „ conversus confirma fratres tuos (1) „. Porro cum haec Christus dixit, ceteri quoque Apostoli praesentes erant, et tamen ipse unum Petrum compellat; et licet commune omnibus praedicat fore periculum, quoniam omnes Satanas expetebat, sese tamen pro uno Petro Patrem rogasse affirmat, eumque in fide roboratum ceteros Apostolos confirmare jubet (2). Ex quo manifestum est, Petrum non singulis tantum Apostolis, sed etiam universim omnibus

congregatis antelatum fuisse; quoniam pro eo tantum, non autem pro reliquis fidei firmitatem, in eaque perseverantiam Christus a Patre deprecatus est. Et quamquam idem Servator hominum Christus Jesus, sese ceteris etiam Apostolis adfuturum promiserit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (3), non id tamen uni, aut alteri *singillatim* promisit, sed omnibus *universim*, hoc est toti collegio, in quo et Petrus, tamquam ejus Caput, et Princeps, comprehendebatur. Itaque ut haec fides certa, fallique nescia sit, cum fide capitis consentiens esse debet; atque ita, quae a Christo *speciatim* dicta sunt Petro, egregie confirmant, quae dicta sunt conjunctim omnibus, hoc est Petro, ceterisque Apostolis universim. Cumque Apostolorum successores Episcopi sint, Petri autem Romanus Pontifex, ab eo sane pendere omnes Episcopi debent, quoniam ipsi in arduis quibusque rebus ne a daemone in errorem inducantur, atque a recta fide deficiant, ab eodem confirmentur necesse est. Verum ea de re alias quidem erit, atque opportunior agendi locus,

(1) Lucas *cap. XXII. vers.* 32.

(2) Praeclare locum hunc Lucae explicat Eckius *contr. Luther. de Primat. Petr. lib.* 1. *cap.* 45.,, Arrige aures, *inquit*, quaeso, sincere Lector, „ et perpende, quoniam, aliis Apostolis praesentibus, ad solum Petrum „ dixit Christus: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; es hoc per„ penso, quod alii Apostoli fuerunt praesentes, statim invincibiliter con„ cludes, Petrum primatum omnium habuisse, cui specialiter hoc dixit. „ Expendas quaeso, quod primo nominatim eum appellat *Simon*, quasi „ ex aliis eum vocando, et discretim alloquendo, *Simon* ait. Dein quod „ communem futuram praedixit eorum tentationem: *Satanas expetivit vos*. „ Dein tertio revertitur specialiter, *ego rogavi pro te*; non dixit, *pro vo*„ *bis*, et iterum, *ut non deficiat fides tua*. *Tua* dixit, non vestra. Et ne „ aliquid dubitationis subesset, addit *et tu*, in praesentia aliorum Aposto„ lorum. Et ut indubitantissime ab aliis esset distinctus, addit: *confirma* „ *fratres tuos*, qui erant Discipuli, et Apostoli. Ac si apertissime di„ ceret Christus, *Ego tui, tu aliorum curam habeas* „. Eadem habet Bossuetus *Meditation.* 70. *in Evangel. opp. tom.* 10. *pag.* 406. *edit. Leodii* 1766.

(3) Matthaeus *cap. XXVIII. vers.* 20.

§. VIII. Quod Christus antequam cruci affixus moreretur, Petro promiserat, sese ei daturum Ecclesiae Principatum, id ipse praestitit, postquam e mortuis surrexit,

fidemque suam liberavit. Cum enim ter interrogasset Petrum, num se ipse diligeret *plus his*, respondissetque idem Petrus, *Domine, tu scis quia amo te*, semel, atque iterum inquit, *pasce agnos meos*; postremo cum eum angi, perturbarique animadverteret, quasi ipse de ejus amore dubitaret, non *agnos* modo, quos ei antea commiserat, sed et *oves* ab eodem regi voluit, *pasce*, inquit, *oves meas* (1). Quibus quidem verbis Petro fuisse a Christo commissam curam, et praefecturam universi gregis, hoc est totius Ecclesiae, eumque ejus caput, et principem fuisse constitutum, Patrum omnium concors sententia est (2). Neque enim ambigi potest, quin ille, qui a Deo jussus est *pascere*, hoc est *regere* (3), non tantum *agnos*, sed etiam *oves*, ex quibus omnibus Ecclesia conficitur, ipsius Ecclesiae caput, princeps, moderator esse debeat (4). Ac multi quidem Apostoli, in primisque Jacobus, et Joannes aderant, cum Christus verbis illis alloquutus est Petrum, et tamen uni Petro dixit: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quod manifesto argumento est, singulare quidpiam tributum fuisse Petro, quod ei cum ceteris Apostolis commune non esset, neque his cum eo datam potestatem parem. Quamquam igitur etiam reliquis Apostolis sit a Christo credita Ecclesiae cura, et administratio, tamen ea res ita ipsis commissa est, ut unus Petrus omnium esset caput, ac princeps, centrumque unitatis (5). Atque ut ob praeclaram illam confessionem *de Christo filio Dei vivi*, quam Petrus ediderat, antequam Christus ex hac vita migraret, ipse fuerat designatus Ecclesiae petra, ac fundamentum, et promissionem habuerat clavium regni coelorum, ita illa deinceps, a mortuis excitato Servatore, amoris dilectionisque significatio iterum, ac tertio repetita praemium obtinuit, hoc est pascendorum agnorum, atque ovium potestatem. Ita Christus, qui Petro confitenti promiserat, sese ei daturum Ecclesiae principatum, cum plus ceteris Apostolis sese amantem intellexit, quem antea norat confitentem fidei veritatem, promisso, ac recepto satisfecit.

(1) Joannes *cap. XXI. vers.* 15. *seqq.*

(2) Cyprianus *de unit. Eccles. pag.* 77. *edit. Amstelod.* 1700., Ambrosius in *Lucam. lib.* 10. *num.* 175. *opp. tom.* 2. *col.* 1105. *edit. cit.*, Jo. Chrysostomus *hom.* 68. *num.* 1. *opp. tom* 8. *pag.* 525. *eit. edit.*, Basilius *serm.* 7. *de peccat. num.* 5. *opp. tom.* 3. *pag.* 508. *edit. indic.*, Augustinus *serm.* 296. *num.* 3. *col.* 1198. *seqq. tom.* 8. *edit. indic.*, Leo M. *serm.* 73. *cap.* 2. *tom.* 1. *col.* 291. *edit. cit.*, Maximus Taurinensis *homil.* 68. *col.* 219. *edit. indic.* Gregorius M. *epist.* 20. *lib.* 5. *opp. tom.* 2. *col.* 748. *edit. eit.* Augustini loca, quae cum his pugnare videntur, explicat Cardinalis Veronensius *loc. cit. cap.* 9. *pag.* 53. *seqq.*

(3) Pascere gregem idem plerumque est in sacris Bibliis ac moderari, regere, et administrare rempublicam Regum *lib. II. cap.* 5. *vers.* 2., et *c.* 7, *v.* 7., Paralipomen. 1. *c. XVII. v.* 6., Isaias *cap. XLIV. vers.* 28. Ezechiel *cap. XXXIV. vers.* 23.

(4) Recte S. Bernardus *ad Eugenium lib.* 2. *de consider. cap.* 8. *pag.* 187. *tom.* 1. *edit. Venet.* 1765., Sunt quidem, *inquit*, et alii coe» li janitores, et gregum pastores . . . . Habent illi sibi assignatos gre» ges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, » sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex » verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum: sed etiam Aposto» lorum sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me* » *amas: Petre, pasce oves meas*: Quas? Illius, vel illius populos Ci» vitatis, aut nationis, aut certi regni? *Oves meas*, inquit. Cui non pla» num, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, » ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum » committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege, et uno » pastore . . . Inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes » scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Eccle» siae, contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens „. Idem habet S. Bruno Signiensis *in Joan. num.* 55. *opp. tom.* 2. *pag.* 294. *edit. Romae* 1789. Vide etiam Bossuetum *sermon sur l'unité opp. t.* 6. *pag.* 472.

(5) Apposite S. Leo M. *serm.* 4. *cap.* 2. *tom* 1. *col.* 16. „ De toto » mundo unus, *inquit*, Petrus eligitur, qui et universarum gentium voca» tioni, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae partibus praepona» tur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pasto» res, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Chri» stus „ et *cap.* 3. *col.* 18. *d. edit. Venet.* „ transivit quidem, *inquit*, » etiam in alios Apostolos jus potestatis istius (*ligandi, et solvendi*) et » ad omnes Ecclesiae Principes decreti hujus constitutio commeavit; sed » non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim » ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri » forma praeponitur ». Deliramenta recentioris Scriptoris, qui in libro *de Primatu Rom. Pontificis Londini edito an.* 1770. contendit, verba illa Christi, quibus ipse Petro credidit agnos, et oves, intelligenda esse de solis Judaeis, ad quos missus erat Messias, non item de omnibus ubique terrarum gentibus, quae Christi fidem amplecterentur, solide graviterque refutarunt Vincentius Lupolus jam Episcopus Telesensis *Jur. Eccles praelect. cap.* 4. §. 12. *et* 13. *tom.* 1. *pag.* 115. *seqq. edit. Neapol.* 1777., et Auctor operis *Quis est Petrus? Ratisbonae editi* 1791. *art.* 2. *pag.* 19. *seqq.* Idem hoc deliramentum ante hunc recentiorem Scriptorem literis consignavit Marcus Antonius de Dominis, quem, praeter Nicolaum Coef-

fetu, solide persequitur Mamachius *Origin. et Antiquit. Christian. cap.* 1. *pag.* 204. *et* 460. *tom.* 5.

§. IX. Sunt haec illustriora Evangelii loca; quae Petri Principatum ostendunt: sed et alia etiam, eaque perspicua Christus dedit ejusdem suae voluntatis argumenta. Nam pro se tantum, ac Petro census didrachma solvi jussit (1); solus Petrus una cum Domino super aquas ambulat (2); unam ejus navem Christus conscedit, ex qua populum docet (3); eique uni nunciat fore *capientem homines* (4); Petrus piscationis caput, ac princeps constituitur (5); ipseque ceteros Apostolos ad piscandum ducit (6); ei Christus ante reliquos Apostolos post resurrectionem apparet (7); et quamquam primum mulieribus sese videndum praebuisset, tamen Apostolis tantum post apparitionem, testificationemque Petri certa ejus rei fides est (8); denique soli Petro Christus mortem praenunciavit, et vero mortem crucis (9), ut quemadmodum ei suum nomen indiderat, et officium imposuerat, ita sibi eumdem mortis societate conjungeret. Atque his quidem consentanea sunt omnia, quae ab ipso Petro, ceterisque Apostoli gesta sunt. Primus enim Petrus Christi sepulchrum ingreditur, ut ejus testimonio omnes intelligant, eumdem revixisse (10); viso Domino sese in mare immittit, cum reliqui Apostoli ad eum navigio veniunt (11): postque ad eumdem defert *rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta, et cum tanti essent, non est scissum rete* (12); qua piscatione significantur Fideles, qui nunciato Evangelio beato hoc rete caperentur. Quid quod a reliquis Apostolis distinguitur, ut ejus pateat distincta dignitas, et potestas (13)? Primus demonstrat, alium esse subrogandum Apostolum Judae proditoris loco (14); primus in Concilio loquitur, eique praeest, atque in ea quaestione de Mosaicae legis caeremoniis, quid facto sit opus, ceteris ostendit, ejusque sententiam Jacobus, ac reliqui omnes sequuntur (15); primus item, praesente Joanne, mirabiliter sanato claudo Christi potentiam, fideique veritatem

explicat, docetque populum universum, Christum, quem Judaei interfecerant, verum esse Dei filium (16).

(1) Matthaeus *cap. XVII. vers.* 23. *seqq.* Videndi etiam ea de re sunt Origenes *homil.* 13. *num.* 14. *tom.* 3. *opp. pag.* 588. *edit. Paris.* 1740., Gregorius Nazianzenus *orat.* 9. *ad Julian. pag.* 157. *opp. tom.* 1. *edit. Colon.* 1690, Jo. Chrysostomus *homil.* 58. *in Matth. num.* 2. *tom.* 7. *opp. pag.* 586. *edit. Venet. indic.*, Ambrosius *in Lucam. lib.* 4. *n.* 70. *seqq. opp. tom.* 2. *et in Hexameron. lib.* 5. *cap.* 6. *pag.* 98. *tom.* 1. *edit. Venet. indic.*, Vetus Auctor *quaestionum ex nov. et veter. testamen. quaest.* 75. *inter opera Augustini in Append. tom.* 16 *col.* 410. *edit. Venet. indic.*, Hieronymus *in Matth. lib.* 8. *cap.* 18. *opp. tom.* 7. *col.* 137. *edit. Venet.* 1766.

(2) Matthaeus *cap. XIV. vers.* 28. *et* 29. Ea de re S. Bernardus *de considerat. lib.* 2. *cap.* 8. *opp. tom.* 2. *pag.* 188. *edit. Venet.* 1765. scribit haec: „ Instar Domini gradiens super aquas unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis praeesse deberet; siquidem aquae multae, populi multi „ .

(3) Lucas *cap. V. vers.* 3. Quem locum explicans S. Maximus Taurinensis *serm.* 89. *de mirabil. col.* 641. *edit. indic.* Hanc, *inquit* „ solam Ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino; *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* „.

(4) Lucas *ibid. vers.* 10.

(5) Idem *vers.* 4. *ibid.* S. Ambrosius in hunc locum *lib.* 4. *n.* 71. *opp. tom.* 2. *col.* 848. *cit. edit.*, denique etsi aliis, *inquit*, imperatur „ ut lavent retia sua, soli tamen Petro dicitur, *duc in altum*, hoc est „ in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum, videre scire Dei filium, et professionem divinae generationis assumere » ?

(6) Joannes *cap. XXI. vers.* 3.

(7) Lucas *cap. XXIV. vers.* 34., Paulus *I. ad Corinth. cap XV. vers.* 5. In quem Pauli locum S. Joannes Chrysostomus *hom.* 38. *num.* 4. *pag.* 355. *tom.* 10. *opp. cit. edit.* habet haec: „ propterea neque simul visus est omnibus, neque in initio multis, sed uni soli primum, eique omnium coryphaeo, et fide maxime digno ». Et paulo post *pag.* 356. » Petro primum, *inquit*, apparet. Nam qui Christum primus confessus fuerat, non abs re primus etiam resurgentem videt ».

(8) Lucas *d. cap. XXIV. vers* 11. *et* 34., Marcus *cap. XVI. vers.* 9. *et* 11. Praeclare Entimius valde laudatus a Sixto Senensi, Baronio, Maldonato *comment. in Evangel. Marc. cap.* 48. Primum itaque, *inquit*, apparuit Christus Magdalenae, et alteri Mariae, deinde his duobus; postmodum Petro; demum vero illis duobus. Sane his non est habita fides; Petro vero tamquam summo, ac principi ceterorum creditum est, et ita duo, qui apud Lucam ab Emmaus reversi sunt, invenerunt Apostolos dicentes: surrexit Dominus vere, et visus est a Simone ». Confer etiam Bossuetum *Meditation. in Evang. medit.* 70. *opp. tom.* 10. *pag.* 410. *edit. Leodii* 1766.

(9) Joannes *d. cap. XXI. vers.* 18. *et* 19. Consule Jo. Chrysostomum *in Joan. homil* 88. *num.* 1. *et* 2. *opp. tom.* 8. *pag.* 526. *et* 527. ubi etiam illud praeclare animadvertitur: „ cur ego Jacobus Hierosoly-

» morum thronum accepit ? Respondebo, Petrum non throni hujus, sed » totius orbis Doctorem a Christo statutum fuisse ».

10) Joannes *cap. XX. vers.* 5. *et* 6. Confer Bossuetum *loc. cit.*

(11) Joannes *cap. XXI. vers.* 7. *et* 8.

(12) Joannes *ibid. vers.* 11. Consule S. Gregorium M. *lib.* 2. *hom.* 24. *num.* 4. *opp. tom.* 1. *col.* 1542. *ed ind.*

(13) Marcus *cap. XVI. vers.* 7.

(14) Act. Apostol. *cap. I. vers.* 15. *seqq.* Qua de re S. Jo. Chrysostomus *homil.* 3. *in Act. Apostolorum num.* 3. *pag.* 26. *opp. tom.* 9. » Primus, *inquit*, auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commis» si fuissent „ et paulo supra *num.* 2. *pag.* 25. dixerat : „ an Petrum ipsum » eligere non licebat ? Licebat utique, sed ne videretur ad gratiam facere, » abstinet „ .

(15) Act. Apostol. *cap. XV. vers.* 7. *seqq.* Consule Tertullianum *de pudicit. cap.* 21. *pag.* 574. *edit. Venet.* 1744., et S. Hieronymum *epist.* 112. *ad Augustinum num.* 8. *opp. tom* 1. *col.* 742. *et* 743. Videndi sunt etiam de hoc argumenti genere Melchior Canus *de loc. theol. lib.* 6. *cap.* 3., et Cardinalis Orsius *de auctor. Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 2. *pag.* 39. *seqq. tom.* 1. *par.* 1. *edit. Romae* 1739.

(16) Act. Apostol. *cap. III. vers.* 6. *seqq.* Quamquam autem cum illud de claudo miraculum patratum est, et Joannes adesset, tamen solus Petrus dixit : *argentum, et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do ; surge, et ambula etc.* Et recte primum hoc signum mirabilium suorum Petrum fecisse observat S. Maximus Taurinensis *serm* 64. *col.* 577. *et* 578. *edit. Romae* „ claudo pedum restituendo vestigia . . . . Nam si » Petrus petra est, supra quam aedificatur Ecclesia, recte prius pedes sa» nat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine » membrorum fundamenta confirmet „

§. X. Neque minus digna observatu sunt cetera, quae in sacris Bibliis continentur. Petrus nimirum post acceptum Spiritum Sanctum primus Evangelium nunciat, ejusque sermone tria millia hominum Christi fidem amplectuntur (1); monitus divino viso ethnicis Evangelium praedicat, quod Judaeis praedicaverat, atque illos etiam in societatem recipit Christianorum (2); tanquam summus, divinusque Judex Ananiae, et Saphirae fraudem agnoscit, ac damnat, atque adversus eos Dei judicium denunciat, ut poena duorum hominum sit doctrina multorum (3); Ecclesias universas lustrat, tamquam omnium caput, et moderator (4); priore plerumque loco in Evangeliis, et in Actis, Epistolisque Apostolorum nominatur, atque omnium nomine tanquam eorum caput, princepsque loquitur (5); eum ut videat Apostolorum Principem, ac fidei fundamentum, Paulus Hierosolymam ascendit (6); denique cum carceribus detineretur, pro eo preces ab

universa Ecclesia fundebantur (7). Ante hoc tempus vitae periculum adiverat, postque etiam lapidibus obrutus fuerat Stephanus; ac Jacobus in eumdem carcerem conjectus, deincepsque interfectus fuerat, haud tamen in illo utriusque discrimine ad Deum legimus missas preces, quae pro Petro *sine intermissione* a tota Ecclesia mittebantur. An non id claro argumento est, valde interesse, num membrum unum, an caput in discrimine versetur?

(1) Act. Apostolorum *cap. II. vers.* 14. *seqq.*, quem locum explicans S. Jo. Chrysostomus *Homil.* 4. *num* 3. *opp. tom* 9. *pag.* 36. *edit. ejusd.* inquit „ quod Petrus os omnium erat; adstant vero undecim dicta testimonio suo confirmantes „.

(2) Act. Apostolor. *cap. X. vers.* 1. *seqq. et cap. XI. vers.* 1. *seqq.* Eunuchum illum Reginae Aethiopum, cujus mentio est in Act. Apostolor. *cap. VIII. vers.* 27. *seqq.*, quemque prior baptizavit Philippus, non plane ethnicum, qualis erat Cornelius, quem ad Christi religionem traduxit Petrus, sed proselytum fuisse, hoc est jam sacris Hebraeorum addictum, manifestum est ex ipsis Actis Apostolorum *loc. cit. vers* 27. *et* 28. ubi scriptum est, eum *venisse adorare in Hierusalem, ac leggisse Isaiam Prophetam* Neque certe mentitur Petrus, cum in iisdem Actis *cap. XV. vers.* 7. *et seq.* primum se Gentilibus Evangelium nunciasse affirmat; unde Hieronymus *epist.* 79. *ad Salvinam num.* 2. *opp. tom.* 1. *col.* 499. de Cornelio Centurione ait „ qui primus ab Apostolo baptizatus salutem Gen„ tium dedicavit „ Chrysostomus *in Act. Apostol. Homil.* 22. *num.* 2. *opp. tom.* 9. *pag.* 180. de eodem Cornelio „ Viden, *inquit*, unde fiat „ initium gentium? A viro pio, qui ab operibus dignus visus est „.

(3) Act. Apostolor. *cap. V. v.* 1 *seqq.* Consule Hieronymum *epist.* 130. *ad Demetriadem num* 14. *opp. tom* 1. *col.* 990 Praeclara S. Gregorius Magnus *Moral. lib.* 26. *in cap.* 36. *Job num.* 45. *opp. tom.* 1. *col.* 833. *cit.* „ Petrus namque, *inquit*, auctore Deo, Ecclesiae principatum tenens, „ a bene agente Cornelio, et sese humiliter prosternente immoderatius ve„ nerari recusavit . . . . Sed cum Ananiae, et Sapphirae culpam reperit, „ mox quanta super ceteros potentia excrevisset, ostendit. Verbo enim „ eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, et sum„ mum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod, honore sibi ve„ hemente impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic „ communionem aequalitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis „ jus aperuit potestatis „.

(4) At Apostolor. *cap. IX. vers.* 32. Quo loco Jo. Chrysostomus *Hom.* 21. *in Act. Apostolor. num.* 2. *opp. tom.* 9. *pag.* 170. *edit. cit.* „ Quasi dux, *inquit*, circuibat, ordines considerans; quae pars esset „ coadunata, quae ornata, quae sua praesentia egerert. Vide illum ubi„ que circumcursantem, et primum inventum, ubi eligendus erat Aposto„ lus; hic primus fuit cum dicendum erat Judaeis, non esse ebrios Apo„ stolos, cum claudus sanandus fuit; quando concionandum erat; hic ante „ alios erat, quando agendum cum Praefectis, quando cum Anania, cum „ ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quae„ dam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillae res sunt, in communi om„ nes, hic majorem non appetit honorem. Rursus cum miracula edere „ oportebat, ille prosiliebat „.

(5) Matthaeus *cap. IV. vers.* 18. *et cap. X. vers.* 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec : Primus Simon , qui dicitur Petrus , et Andreas frater ejus cap. XIV. vers.* 28. *seqq. XV. vers.* 15. *seqq. cap. XVII. vers.* 1. *seqq. , et vers.* 23. *cap. XVII. vers.* 21. *cap. XIX. vers.* 27. *cap. XXVI. vers.* 37. 40. Marcus *cap. III. vers.* 16. *cap. VIII. vers.* 29. *seqq. cap. IX. vers.* 1. *seqq. cap. XIV. vers.* 33. 37. *cap. XVI. vers.* 7. Lucas *cap. VI. vers.* 14. *cap. VIII. vers.* 45. 51. *cap. IX. vers.* 20. 28. 32. *seq. cap. XII. vers.* 41. *cap. XVIII. vers.* 28. *cap. XXIV. vers.* 12. Joannes *cap. I. vers.* 42. *cap. XIII. vers.* 6. *cap. XX. vers.* 2. *seqq. cap. XXI. vers.* 2. *seqq.* Act. Apostol. *cap. I. vers.* 13. *seqq. cap. II. vers.* 14. *seqq. et vers.* 37. *seq. cap. III. vers.* 1. *seqq cap. IV. vers.* 8. *seqq. cap. V. vers.* 3 *seqq. cap. VIII. vers.* 14. *seq. cap. IX. vers.* 32. *seqq. cap. X. vers.* 2. *seqq. cap. XI. vers.* 2. *seqq.* Paulus *epist. ad Galatas cap. I. vers.* 18. Contra vero de reliquis Apostolis non est ita. Sic Joannes *cap. XXI. vers.* 2. *Erant simul* , inquit , *Simon Petrus , et Thomas , qui dicitur Didymus , et Nathanael , qui erat a Cana Galileae , et filii Zebedaei , et alii ex discipulis ejus duo* ; quo quidem loco , et Thomas , et Nathanael ante Joannem , et Jacobum nominantur. Similiter in enumerandis Apostolorum nominibus Matthaeus *cap. X. vers.* 2. 3. , *et* Lucas *cap. VI. vers.* 14. primum post Petrum locum attribuunt Andreae , qui Jacobo , et Joanni praeponitur ; verum apud Marcum *cap. III. vers.* 17. *et* 18. , et in Actis Apostolorum *cap. I. vers.* 13. quartum ipse locum tenet. Quod si Joannes cap. I. vers 44. Philippi ad Apostolatum vocationem describens eum fuisse ait *a Bethsaida civitate Andreae , et Petri* , id merito factum est : quoniam in eo loco non de Apostolatus praerogativa , sed de naturali ortu agebatur. Itaque Evangelista naturae ordinem sequutus est , quoniam Andreas primogenitus erat. Ac si Paulus *ad Galat. cap. II. vers.* 9. ante Petrum Jacobum nominat , id praeter ordinem factum videtur , quia Jacobus Episcopus erat Hierosolymitanus , quam in Civitatem sese Paulus contulerat , quasi ipse dicere voluerit , sese Hierolymis invenisse non tantum Jacobum ejus Civitatis Episcopum (quod sane erat ex communi omnium , atque usitato more , ut Episcopus in sua dioecesi sederet) sed etiam Petrum , et Joannem , quod Dei providentia factum fuerat , ut ejus Apostolatus eorum testimonio confirmaretur. Nisi illum Pauli locum cum Tertulliano , Ambrosio , Hieronymo , aliisque compluribus ita legamus : *et cum cognovissent gratiam , quae data est mihi , Petrus , et Jacobus , et Joannes* ; quae quidem lectio suum Petro locum attribuit. Denique cum idem Paulus I. *ad Corint. cap. IX. vers.* 15. *nunquid* , inquit , *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi , sicut et ceteri Apostoli , et fratres Domini, et Cephas* , ille ipse , in quo Petrus describitur , postremus locus claro argumento est , Paulum ceteris superiorem eumdem Petrum agnovisse. Nam ipse ita ordinat , et componit argumentum , ut ex minori ad majus progressus fiat , atque ita primum affert auctoritatem aliorum Apostolorum , tum eorum , qui cum Christo cognati essent , ceteris praeferendi videbantur , postremo Cephae , aut Petri , cujus auctoritas omnium praestantissima habebatur. Pari modo cum in eadem epistola dissidia memorat Corinthiorum , priori loco ipsemet ab se nominatur , altero Apollo , tertio Cephas , postremo Christus : *unusquisque* , inquit , *vestrum dicit ; ego quidem sum Pauli ; ego autem Apollo ; ego vero Cephae ; ego autem Christi, I. ad Corint. cap. I. vers.* 12. , quo quidem loco ea disserendi methodus , quam *per incre-*

mentum vocamus, ab Apostolo adhibetur, ita ut primus ceteris inferior, postremus autem superior sit.

(6) Paulus *loc. cit.* Qua de re Ambrosius in idem *cap. I. ad Galat. opp. tom.* 4. *col. cit.* 254. *edit. indic.* „ Dignum fuit, *inquit*, ut cuperet „ videre Petrum; quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Sal- „ vator curam Ecclesiarum „. Hieronymus *ep.* 112. *ad Augustin. n.* 8. *tom.* 1. *col.* 742., tantae Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in episto- „ la sua scripserit: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre „ Petrum „. Jo. Chrysostomus *Homil.* 84. *in Joan. num.* 1. *opp.*, *tom.* 8. *pag.* 525. » Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum et » coetus illius caput. Ideo Paulus prae aliis hunc visurum venit. Simul ostendens (Christus) ei oportere deinceps fidere, quasi abolita » negatione, fratrum ei praefecturam committit » *et comment. in epist.* » *ad Galat. num.* 11. *tom.* 10. *pag.* 677. *et* 678. Confer Bossuetum *Sermons ou discours de N. S. par. I. jour* 70. *opp. tom.* 10. *pag.* 412. *edit. Leod.* 1766., et Valsecchium *la verità della Chiesa Cattolica cap.* 5. *num.* 16. *pag.* 161. *edit. Patavii* 1787.

(7) Act. Apostol. *cap. XII. vers.* 5., quem in locum Jo. Chrysostomus *Homil.* 26. *in Act. Apostol. num.* 2. *tom.* 9. *pag.* 210. *patrem*, inquit, *omnes quaerebant*.

§. XI. In hac rerum luce quis non videt, Petro a Christo Apostolici collegii principatum fuisse datum, eumque caput, et moderatorem totius Ecclesiae constitutum? Omnes quidem Apostoli a Christo jussi sunt nunciare Evangelium per orbem universum, omnibus data est ligandi, et solvendi potestas, omnibusque se adfuturum promisit Christus; verum haec omnia *speciatim*, ac *singillatim* in unum Petrum collata sunt. Reliqui Apostoli, in quibus erat et Petrus, conjunctim omnes munus illud, et illam potestatem acceperunt. Itaque quid tandem efficient ii, qui ut Petri auctoritatem imminuant, ei tantum datum putant, quantum omnibus conjunctim Apostolis a Christo Servatore datum est? Hoc scilicet unum efficient, tantum potestatis habuisse unum Petrum, quantum habuit conjunctim cum Petro universum collegium Apostolorum. Nam eorum nemini concessum est separatim, quod separatim concessum est Petro; et huic quidem ampla illa, de qua quaerimus, potestas primum separatim, deinde conjunctim cum reliquis Apostolis attributa est (1). Si Christus seorsim a Petro illam in Apostolos potestatem contulisset, eadem videri posset auctoritas Petri, et auctoritas disjunctim a Petro omnium simul Apostolorum. Sed cum et Petrus adesset cum reliquis Apostolis, quando omnes Christus ea

potestate donavit; eadem ad ipsum quoque una cum illis sine dubio delata est. Itaque cum Apostolorum Princeps semel, atque iterum eamdem potestatem obtinuerit, plane evidens, ac perspicuum est, quod quidquid ipse agit, sive ejus successor Romanus Pontifex divino mandato ratum firmum esse debet, sive id agat *separatim*, sive *conjunctim* cum ceteris Episcopis Apostolorum successoribus.

(1) Petro dictum est sine aliis; *inquit* Alvarus Pelagius *de planct. Eccles. lib.* 1. *cap.* 65. „ quodcumque ligaveris etc. et non aliis sine „ Petro, ut intelligatur sic ei attributa potestas hujusmodi, ut alii „ sine ipso non possint, ipse sine aliis possit, ex privilegio sibi col- „ lato, et concessa sibi plenitudine potestatis „.

§. XII. Quae non ita intelligi volo, quasi Apostolos singulos habuisse negem ligandi, et solvendi potestatem; quam certe exercuerunt nunciantes Evangelium per orbem universum. Sed Christus cum ceteris Apostolis adesse voluit Petrum, cum eamdem contulit potestatem, ut ostenderet, ejus fontem, atque initium esse Petrum, nec sine eo veram, ac justam ecclesiasticam potestatem esse posse. An non merito statuemus, Christum Dominum, cui futura eadem erat ac praesentia, etiam praecidere voluisse conflictum illum, et pugnam auctoritatum, quae recentiori aetate excogitata est inter summum Pontificem, et Episcopos in oecumenico Concilio congregatos? In toto Evangelio ecclesiasticae potestates sunt omnino duae a Christo institutae; potestas Petri *separatim*, et potestas omnium Apostolorum *conjunctim cum Petro*. Itaque si qua erit dissensio inter Romanos Pontifices Petri successores, et Episcopos successores Apostolorum; obscurum esse non potest, utra auctoritas potior habenda sit, cum Christus omnem Petro sine Apostolis, nullam Apostolis sejunctim a Petro potestatem attribuit. Sed ea de re suus erit opportune, et copiose agendi locus; nunc eo redeamus, unde discessimus. Christus igitur, uti dicebamus, simul cum reliquis Apostolis et Petrum esse voluit, ut in eo cuncti noscerent initium, et fontem totius ecclesiasticae potestatis; ac simul etiam fidem, quam se-

qui debebat quisquis Christianus haberi, ac revera esse vellet. Conformanda erat Ecclesia ex innumeris prope gentibus, quae ex disjunctis, diversisque regionibus confluerent in Christianorum societatem; atque his omnibus esse oportebat unam et eamdem fidem. Qualis autem esset haec fides, quae ubique nuncianda, atque ab omnibus retinenda erat, jam Christus ostenderat, cum Petri fidem a Deo patre revelatam affirmaverat, atque illum propter hanc fidem, praeclaramque confessionem Ecclesiae fundamentum constituerat, eique dederat claves regni coelorum, et omnem ligandi, ac solvendi potestatem.

§. XIII. Haec igitur fides est, ad quam omnium concordia, et conspiratio esse debet; et ideo Petrus adest hujus fidei norma. Apostoli instincti Spiritu Sancto ab eadem fide aberrare non poterant; at Christus sese iis omnibus conjunctim cum Petro adfuturum promisit, ut, qui non eodem beneficio fruerentur, Apostolorum successores perspicue cognoscerent, sese tantum cum Petri successore conjunctos veram sectari fidem, justamque potestatem exercere posse. Atque hinc intelligimus, quamobrem Christus haud illam ab Apostolis emitti voluit confessionem, quae ab uno Petro emissa est. Satis erat excepisse confessionem capitis, quem ipse probaverat, atque laudaverat tamquam a Deo Patre revelatam, ut nullus dubitandi locus esse posset, quin omnibus una, et eadem fides esse deberet. Unus Petrus fidei confessionem emittit, quia unus est Ecclesiae Princeps, neque alius ad eamdem suae fidei unitatem cogere omnes potest, quam qui omnibus cum auctoritate praefectus est (1).

(1) Alphunsus Tostatus, cujus certe auctoritas iis, qui de Primatus jure, et auctoritate multum detrahunt, suspecta videri non potest *cap. 16. quaest. 56. commentar. in 4. part. Matthaei pag. 277. edit. Venet.* 1615. proposita quaestione, cur Christo interroganti omnes Apostolos de fide unus Petrus responderit, cum antea eidem Christo interroganti, quid homines de se dicerent, omnes respondissent, ita rem omnem explicat: » Cum Petrus futurus esset Pastor, et populus debet tenere talem fidem, qualem Pastor confitetur, et Petrus futurus erat universalis Pastor, voluit Christus, quod confessio fidei esset per Petrum so-

» lum, ut insinuaretur, quod talis fides tenenda est, quam praedicat » Romana Sedes, quae est caput, et mater Ecclesiarum, cui Petrus » praefuit. ».

§. XIV. Atque in illa ipsa ligandi, et solvendi potestate, quae primum uni Petro, deinde et omnibus Apostolis data est, eminet, atque apparet ejusdem Petri principatus. Mitto, quae eum tantum attingunt, ceteros non attingunt, qualia sunt illa, quae paulo ante indicavimus. Hoc dico, Apostolis ligandi, et solvendi potestatem in Petro et hanc potestatem, et claves regni Coelorum datas fuisse (1). Quid sibi vult illa clavium expressa mentio, quae occurit in solo Petro simul cum ligandi, et solvendi potestate, qua etiam ceteri Apostoli donantur? Hoc nimirum vult, ut Petrus habeat hanc potestatem cum capitis dignitate conjunctam; ita ut in eo sit initium, et fons ejusdem potestatis, quae in alios non transfunditur; nisi ordine quodam, ac relatione ad Petrum, quem Christus ecclesiasticae unitatis fontem constituerat (2). Qua in re mira sane est, et Christo digna divini consilii ratio. Nam ut populorum copulatio, conjunctioque fieret, uno omnium capite opus erat; et ideo Christus ab uno Petro postulat et fidei confessionem (3), et amoris, seu caritatis significationem; ut ostendat ab se illum constitutum caput, et centrum unitatis fidei, et caritatis, in quo omnes conjungi debent.

(1) Recte Origenes *in Matth. cap.* 18. *opp. tom.* 3. *pag.* 613. *edit. Paris.* 1740. animadvertit, quod licet Christus: » quae uni Petro » supra concessa sunt, hic omnibus quoque videtur tribuisse .... » at quoniam prae iis ... peculiare aliquod Petro tribui oportebat ... » privatum illud Petro attributum est: *dabo tibi claves regni Coe-* » *lorum*; priusquam illud: *quaecumque alligaveritis super terram etc.* » Et sane si ad Evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi » magnum inveniemus discrimen, et excellentiam eorum, quae Petro, » prae iis, quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quae Petrum » inter, et eos communes esse videntur ». Vide Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 4. §. 1. *num.* 3. *tom.* 3. *pag.* 71. *edit. Venet.* 1776.

(2) Graviter, ac solide Nicolaus Coeffetau *Monarch. Eccles. Cathol. lib.* 1. *discuss. cap.* 7. *pag.* 146. *edit. Paris.* 1623. » Fatemur, » *inquit*, ligandi, solvendique plenissimam potestatem Apostolis quo- » que fuisse concessam, ac commissam; sed pari auctoritate fuisse cum » Petro, negamus. Neque vero unquam probaverit, cuique eorum

„ dictum, quod uni Petro dictum docet Evangelium; *tibi davo claves regni coelorum*. Vertat se in omne latus, omnem moveat lapidem, nihil simile invenerit; ideoque frustra fuerit in eorum cum Petro aequalitate constituenda. Praeclare certe Ambrosius potestatem remittendorum peccatorum Petri haereditatem vocat. Itaque nostra sententia est, speciali quadam, ac privata ratione promitti Petro procurationem clavium, haud solum cum amplitudine potestatis ligandi, atque solvendi (hoc enim et ad Apostolos spectat) sed etiam cum titulo, ac dignitate capitis, ut quidem ejus imperii vis etiam in reliquos Apostolos trasfundatur, sed quam nonnisi ordine quodam, ac relatione ad Petrum unitatis ecclesiasticae fontem a Christo constitutum nasciscantur „. Similia sunt, quae scribit Franciscus Hallierus *de sacr. election. et ordinat. par.* 3. *sect.* 5. *cap.* 4. §. 6. *num.* 46. *pag.* 94. *edit. Romae* 1734., Potestatem quidem, *inquit*, ligandi, atque solvendi tam Petro, quam Apostolis Christus concessit; sed Evangelium claves soli Petro promissas memorat, nullis aliis datas meminit, non quod clavibus Apostolos caruisse credamus, sed quod claves peculiari jure Petro creditae fuerint, ut per eum ordinaria potestate, et Primatus jure tribuerentur ceteris, qui caput omnium a Christo fuisset constitutus. Ecclesiae enim unitati conducebat, ut ab eo sacerdotalis ordinatio promanaret, a quo ecclesiastica administratio, et procuratio dependebat „. Confer etiam Patres, quos uterque laudat, praeterea Auctorem operis. *Quis est Petrus? part.* 1. *art.* 1. §. 11. *pag.* 8. *edit. Ratisbonae* 1791.

(3) Praeclare Bossuetus *sermon sur l' unité de l' eglise opp. tom.* 6. *pag.* 468. *et* 469. „ Jesus - Christ, qui sait, *inquit*, que la foi, qu' on a en lui, est le fondament de son Eglise, inspire à Pierre une foi digne d' être le fondament de cet admirabile edifice: *vous êtes le Christ fils du Dieu vivant*. Par cette haute predication de la foi, il s' attire l' inviolabile promesse, qui le fait le fondament de l' Eglise. La parole de Jesus - Christ, qui de rien fait ce qu' il lui plait, donne cette force a un mortel. Qu' on ne dise point, qu' on ne pense point, que le ministere de S. Pierre finisse avec lui: ce qui doit servir de soutien à une Eglise éternelle, ne peut jamais avoir de fin. Pierre vivra dans ses successeurs; Pierre parlera toujours dans sa Chaire: c' est ce que disent le Pères; c' est ce que confirment six cents trente Evêques au Concile de Chalcédoine „.

DE RELIQUIS APOSTOLIS, EORUMQUE OFFICIO, ET POTESTATE.

CAPUT IV.

I. Christus invisibile Ecclesiae caput; Petrus visibile; Apostoli sub hoc capite rectores.
II. Christus omnes Apostolos alloquitur, cum agit de juribus Apostolatus, solum Petrum, cum agit de jure capitis.
III. Propagatio Evangelii per orbem universum.
IV. In Apostolis potestas ordinaria, et extraordinaria.
V. Apostoli ordinariam tantum potestatem ad Episcopos transmiserunt.
VI. Omnis Apostolis data potestas; integro semper jure primatus.
VII. Quomodo omnes Apostoli Ecclesiae fundamenta dicantur?

§. I.

Unum quidem in Ecclesia caput, centrumque unitatis; sed plures etiam sub eo capite, et centro rectores esse oportebat. Nam ea propagata esse debebat per orbem universum, suaque universitate complecti innumeras pene gentes locis disjunctissimas, maximeque diversas lingua, moribus, institutis; adeout unus tantam hanc multitudinem per se ipsum moderari non posset. Caput Ecclesiae Petrum, Rectores sub Petro Christus Apostolos constituit. Praecipuum quidem Ecclesiae caput, et fundamentum idem Christus est, sed cum ipse in Coelum, unde discesserat, redire deberet, fierique invisibilis, qualis antea fuerat, unum erat visibile Ecclesiae praeficiendum visibile caput, a quo eadem in terris regeretur. Itaque Christus Petro attribuit suum nomen, suum officium, suas ipsas claves, hoc est potestatem, super eum Ecclesiam aedificat, eique Christianos omnes regendos committit.

§. II. Erat sane Petrus, et Apostolus, et Apostolorum Princeps; Utraque dignitate insignitus a Christo accepit aedificandae, et regendae Ecclesiae potestatem. Cum de Ecclesiae principatu agit Christus, solum Petrum alloquitur, quia principatus nonnisi in uno consistere, in plures

dividi non potest (1). Ita ad unum Petrum omnis Christi oratio est, cum ei suum ipse nomen atribuit, et claves, et officium, ac vim fundamenti, eumque ei regendos agnos, ovesque committit. Sunt haec jura primatus, in quo solus est Petrus, et ideo solus a Christo compellatur. Sed cum agitur de juribus, et officiis Apostolatus, Christus alloquitur omnes Apostolos in quibus et Petrus erat; ut ostendat, primum cum eo capite, et centro omnes conjunctos esse oportere; deinde Petrum et jura Primatus, quae ejus tantum propria, ac singularia sunt, et jura, quae sunt ceteris communia, Apostolatus divinitus obtinuisse. Postrema haec jura, et hanc potestatem explicat Christus post constitutum Primatum in quo posuerat initium, et fundamentum Ecclesiae, et ideo postulaverat confessionem, quam Petrus emiserat, et ex qua omnibus compertum fiebat, divinum esse opus Ecclesiam, quam *filius Dei vivi* aedificabat. Jura haec Apostolatus pertinent ad potestatem ligandi, et solvendi, ubique terrarum baptizandi, ac nunciandi Evangelium, et regendae Ecclesiae, quae potestas a Christo cunctis Apostolis data est (2). In his quidem juribus Apostolatus omnes Apostoli pares inter se fuerunt, et par etiam fuit ipse Petrus tamquam simplex Apostolus; sed ipse habuit etiam Principatum, cujus gratia omnes Apostoli ei subjecti esse debebant, tamquam omnium capiti, ac principi, summoque Ecclesiae moderatori, neque agere quidquam poterant, quod ab hoc fidei, et communionis centro aberraret.

(1) Ludovicus Elias Dupinus, qui in dissertationibus *de antiqua Ecclesiae disciplina Parisiis editis an.* 1691. Petri, ejusque successorum Primatum tam anguste arctare conatus est, ut Apostolis omnibus parem cum Petro tribuat auctoritatem, tamen inficiari non potest, illum in Primatu ceteris superiorem fuisse, ac Primatum rem esse, *quae uni tantum convenit, nec alteri potest communicari.* Sic ille *dissert.* 4. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 311. Deinde *pag.* 318. quibusdam allatis Patrum sententiis, quibus omnes Apostoli pares Petro dicuntur „ haec, *inquit*, „ probant Apostolos in clavium administratione, fidei praedicatione, Ec- „ clesiarum fundatione, potestate, auctoritate aequales fuisse, in Pri- „ matu non item „. Quod etiam postea confirmat de SS. Petro, et Paulo disputans, quos ait *pag.* 320. in Apostolatu, in potestate, in „ auctoritate aequales fuisse, in Primatu non item „. Huic autem Primatui omnem adimit potestatem, ita ut tantum ordinis, atque honoris Primatum constituat; sed postea secum ipse pugnans Petri suc-

§. III. En igitur quae esset potestas Apostolorum. Amplissima quidem erat, seque explicans per totum orbem; integro tamen semper Primatus jure, et auctoritate. Quam potestatem ut exercerent Apostoli antequam irent in totum mundum, regiones inter se, nationesque diviserunt, in quibus singuli Apostolatus munere fungerentur (quod certe cum Petri consensu, et auctoritate gestum est) ut ita celerius, atque commodius ubique terrarum Christiana Religio propagaretur (1). Sic per mundum universum iidem Apostoli Evangelium nunciarunt, docuerunt homines officia Religionis, quam praedicabant, crearunt Episcopos, et Presbyteros, Ecclesias constituerunt, et cetera praestiterunt, quae ad rectam rei christianae administrationem necessaria judicarunt. Quae omnia ab Apostolis gesta sunt jure extraordinario Apostolatus, quod eorum morte expiravit, non jure ordinario, quod ad eorum successores Episcopos translatum est. Nam uno Petro jus Pri-

cessoribus peculiarem aliquam potestatem adscribere vel invitus debuit. Id autem non solum declaravit in monito ad Lectorem, ubi se impugnaturum pollicitus est eos tantum, qui „ auctoritatem nimiam ejus „ (Summi Pontificis) „ extollunt „ diserte profitetur „ assertum Ro- „ mani Pontificis Primatum, et legitimam ejus potestatem defensam, eosque laudat, qui „ divinum Pontificis Primatum, et supremam ejus „ in Ecclesiam auctoritatem solidis rationibus astruunt „ : se praesertim expressit in ipsa *dissert.* 4. *cap.* 2. §. 8. *pag.* 336., cum post constitutum ex sua sententia Primatum, de praecipuis ejus facultatibus addit haec. „ Ex hoc Primatu Romani Pontificis fluunt multae praerogativae, „ quae ipsi, non secus ac Primati, jure divino competunt „ Placuit haec animadvertere, ut pateat, quid ab ore hominis Primatui infensissimi vis veritatis exprimere potuerit. Sed nos suo loco, et tempore demonstrabimus, quam late pateat Primatus Romani Pontificis, qui quidem non tantum ordinis, ac dignitatis est, sed etiam auctoritatis, et jurisdictionis. Illud de Du-Pinio, qui tam angustis finibus Primatum circumscripsit, non omittendum elogium, quo eum haereticus homo Joannes Trickius dignum judicavit. Ipse enim in ejus vita Lipsiae edita verba faciens de ejusdem opere, cui titulus *De la puissance ecclesiastique et temporelle*, ac de ipsius operis *Epitome*, quam Du-Pinius *tomo* 9. *Bibliothecae Ecclesiasticae* descripsit, habet haec. „ Quam probe se- „ mel iterumque vir doctus principiis Protestantium, hoc est veritati „ accedit „. Quod diligenter animadvertant velim, qui se catholicos profitentur, et tamen Du-Pinii exemplo Romani Pontificis Primatum in parvum quemdam, et angustum concludunt locum, adeout plane cum haereticis, atque schismaticis convenire videantur.

(2) Matthaeus *cap. XVIII. vers.* 18. *et cap. XXVIII. vers.* 19. *et* 20., Marcus. *cap. XXI. vers.* 15., Joannes *cap. XX. vers.* 21.

matus ordinarium fuit, quoniam Ecclesia, ut una semper esset, unum semper caput habere debebat; et ideo potestas illa capitis et principatus ad unitatem conservandam necessaria (2) ad Petri successores transferri debuit. Sed de ceterorum Apostolorum potestate non est ita.

(1) Quibus in regionibus Apostoli, post factam earum divisionem, Evangelium nunciaverint, ostendit, praeter ceteros, Natalis Alexander *Histor. eccles. tom.* 3. *saec. I. cap.* 8. 13. *seq. edit.* 1776.

(2) Quantum porro esset solicitus Christus Jesus de hac unitate in Ecclesia perpetuo servanda, demonstrant repetitae illae preces, quas ad Patrem misit apud Joannem *cap. XVII. vers.* 11. „ Pater sancte, serva „ eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos „. Atque ut ostenderet, hanc unitatem fore semper veram, ac germanam Ecclesiae notam, addidit „ non pro iis tantum, sed et pro eis qui cre- „ dituri sunt in me, ut omnes unum sint . . . . Ego claritatem, quam „ dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus Ego „ in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum „ *ibid. vers.* 20. *seq.* Eamdem hanc unitatem commendat Paulus I. *ad Corint. cap. XII. vers.* 12. *et* 20, *et ad Ephes. cap. IV. vers.* 3. *seqq.* Confer Cyprianum *de unit. Eccles, pag.* 77. *et* 78. *et epist.* 70. *pag.* 302. *edit. Amstelod.* 1700., Tertullianum *de praescript. cap.* 20. *pag.* 209. *edit. Venet.* 1744. Hilarium *de Trinit. lib.* 8. *num.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 218. *edit. Veron.* 1730., Optatum Milevitanum *de schism. Donatist, lib.* 2. *pag.* 35. *et* 36. *edit. Paris.* 1676., Irenaeum *contr. haeres. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 49. *edit. Venet.* 1734. ceteros Patres, quos omnes singillatim describere esset operae, scriptionisque longioris. Videndus Ballerinius *de vi ac ration. Primat. Pontif. Roman. cap.* 8. *num.* 4. *seqq. pag.* 32. *seqq.*, a quo plura collecta sunt testimonia eorum qui tametsi Primatus auctoritati multum detrahunt, tamen nobiscum fateri coguntur, ad Ecclesiae unitatem conservandam Primatum omnino esse necessarium, et eum quidem a Christo Servatore Petro, ejusque successoribus fuisse tributum. Plura etiam de eadem re Protestantium testimonia descripsit P. Ignatius Fiume Ord. Praed. in opere, cui titulus *schola veritatis orthodoxae*.

§. IV. Nam Christus duplicem ipsis attribuit potestatem, alteram extraordinariam, et propriam solius Apostolatus, alteram ordinariam, atque Episcopatus propriam. Prior illa potestas necessaria erat, ut Ecclesia citius aedificaretur, posterior, ut aedificata cunctis saeculis, aetatibusque hominum conservaretur (1). Altera haec potestas ad Apostolorum successores Episcopos delata est, quoniam ad Ecclesiam perpetuo conservandam pertinet; sed illa prior quantum initio ad Ecclesiam instituendam fuit necessaria, tantum ea jam constituta inutilis fuisset, imo

vero magnorum radix, et origo fuisset incommodorum. Nam extraordinario illo jure, quo Apostoli pari omnes potestate, excepto Primatu Petri, in totum orbem missi sunt, ut Ecclesiam constituerent, ubique Evangelium nunciarunt, crearunt Episcopos, fundarunt Ecclesias, ceteros ecclesiasticae jurisdictionis actus exercuerunt. Si Ecclesia jam constituta, Episcopi idipsum agerent, quod ad eam constituendam ab Apostolis gestum est, quis non videt, quam incredibilis exinde rerum confusio, perturbatioque oriretur?

(1) Natalis Alexander *Histor. Eccles dissert.* 4. *ad saec* 1. §. 4. *tom.* 3 *pag.* 85. *edit. Venet. in f.c.* „ summa potestas, *inquit*, in Ec» clesia non solum data est Petro, sed reliquis etiam Apostolis, et his » quidem ut tamquam extraordinario munere, et cum eis interituro fun» gerentur. Unde omnes illud Pauli merito sibi vindicare poterant; in» stantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum. Sancto vero » Petro concessa est auctoritas illa suprema tamquam ordinario Pastori, » cui perpetuo succederetur, Apostolica tandem auctoritate ad unum re» vocata. Unde S. Petri sedes antonomasticé Apostolica dicta est a S. » Hieronymo etc. » Ita etiam docent Thomassinus, Hallierus, Petrus de Marca, aliique complures, idque confirmat Facultas Parisiensis, quae damnavit M. Antonium de Dominis negantem niti sacris Scripturis discrimen potestatis inter Apostolos, eamque propositionem haereticam, atque schismaticam declaravit intellectam *de jurisdictione Apostolica ordinaria, quae in soló D. Petro subsistebat.* Confer Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontif. etc. cap.* 1. §. 4. *pag.* 10. *seq. Aug. Vindelic.* 1770., Josephum Bertierum Ticinensem Episcopum *Theolog. dogmat. part.* 2. *cap.* 6. *de Christ. Legislat. ect.* §. 107. *et* 108. Hiacynthum Cardinalem Gerdilium in libro, cui titulus *Confutazione di due libelli diretti contro il Breve super soliditate etc.* tom. 2. §. 2. *pag.* 41. §. 3. *pag.* 48. §. 7. *pag.* 125. *edit. an.* 1789.

§. V. Quare ipsi Apostoli, cum Episcopos in Civitatibus constituerunt, haud sane in eos contulerunt extraordinariam potestatem, quam a Christo acceperant per orbem universum; imo vero eosdem singulis praefecerunt Ecclesiis, quas tantum regerent. Ita Paulus postquam in Chretae Insula Ecclesiam aedificaverat, ejus Episcopum constituit Titum, quem etiam sui vicarium eadem Insula reliquit, ut *quae deerant corrigeret*, atque etiam *Presbyteros per civitates constitueret, sicut ipse ei disposuerat* (1). Porro Titus obnoxius erat Paulo, a quo Episcopus Apostolatus jure fuerat constitutus. Tito autem subjecti erant ejus Insulae Episcopi,

quos ipse creaverat tamquam Pauli vicarius; sed neque Titus extra illam Insulam, cujus terminis omnem ejus potestatem Apostolus circumscripserat, neque a Tito creati Episcopi extra constitutos fines jurisdictionem aliquam exercere potuerunt. Idem de reliquis Episcopis, quos Apostoli constituerunt, dictum volo. Cur autem Apostoli in totum mundum auctoritatem habuerunt, ab iis autem creati Episcopi continere se debuerunt intra illum terrae tractum, quem ab Apostolis regendum acceperant? Quia nimirum Apostoli tum ordinario Episcopatus, tum extraordinario Apostolatus munere fungebantur; et hujus postremi muneris potestate omnia illa gesserunt, quae non potuerunt agere Episcopi, in quos tantum Episcopatus, non item Apostolatus jura translata sunt. Ex quo intelligitur, quamobrem Apostoli illam, quam in Episcopos ab se creatos habebant, jurisdictionem, non etiam singuli, aut omnes conjunctim haberent in aliquem Apostolum, cujus de potestate detrahere nihil poterant. Nam, salvo semper Primatu Petri, eadem, et paria omnibus erant jura Apostolatus divinitus attributa, quibus quidem juribus plane carebant, qui non Apostoli sed tantum Episcopi fuerant constituti. An Paulus, qui in Titum, atque in Episcopos ab eo constitutos jurisdictionem exercuit, eamdem in Jacobum, aut Joannem exercere potuisset?

§. VI. Neque vero ampla illa potestas, quae Apostolis concessa est a Christo Servatore, qui eos nunciandi Evangelii, atque Ecclesiae instituendae causa misit in mundum universum, *sicut ipse missus a Patre fuerat* (1), Petri Principatui quidquam detrahit. Nam quemadmodum ex iis verbis *sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, effici non potest, ut par habeatur Christi, et Apostolorum honor, atque potestas, ita ne illud quidem potest, ut omnes Apostoli ita inter se in omni genere honoris, ac potestatis pares habeantur, ut nemo prorsus ceteris praestare possit. Non enim τοῦ καθὼς, hoc est τοῦ *sicut* ita angusta significatio est, ut nonnisi ea, quae paria omnino, et aequalia sunt, complectatur. Itaque Apostolis data quidem a Christo potestas est, sed salvo semper Primatu Petri, cui praecipua in Apostolo-

rum collegio et pastoris, et capitis, et primi principis auctoritas concessa fuerat. Quo et illud referendum, quod omnes Apostoli Pastores fuerint, Rectoresque populorum. Nemo certe dubitat, quin pastorum nomen in omnes Apostolos, eorumque successores Episcopos cadere commode possit; verum inter hos pastores constituendi sunt gradus, ita ut alii aliis sint dignitate, et auctoritate potiores; alioquin ne Christus quidem, qui se in Evangelio pastorem vocat, suis Apostolis, discipulisque praestaret; quod affirmare absurdum esset. Fuerunt igitur et ceteri Apostoli pastores; sed cunctis certe praestantior fuit Petrus, tamquam Princeps, caputque omnium, unde radix, centrumque unitatis procedebat. Itaque omnes in jurisdictione, quae propria Primatus est, Petro obnoxii erant, cum eoque unitatem servare, et in eadem particulares Ecclesias instituere, ac regere debebant. Nam earum fundamentum positum erat in fide Petri, ad quam omnes spectare debebant, ut ex omnibus in eamdem conspirantibus una Ecclesia componeretur. Et quamquam Apostolorum omnium fides dici aliquo modo possit petra, et fundamentum Ecclesiae, quam Paulus *supra fundamentum Apostolorum* aedificatam docet (2), haud tamen fundamentum est unitatis totius Ecclesiae: ita ut ea nitatur ejusdem Ecclesiae universae fides, quoniam id proprium est Primatus, qui uni Petro a Christo Servatore concessus est. Quod si quis etiam totius Ecclesiae petram Apostolorum fidem esse defendat, quoniam eam Catholicos omnes sequi oportet, equidem non repugnabo, si doctrinae, fideique Apostolorum vis ea tribuatur, quatenus cum fide, ac doctrina Petri unitatem tenuit; ita unitatem cum hac fide, doctrinaque Petri necessariam non modo non infirmet, sed etiam statuat, atque confirmet.

(1) Joannes *cap. XI. vers.* 14.

(2) Consule Nicolaum Coeffetau *Sac. Monarch. Eccles. Catholic. lib.* 1. *cap.* 6. *pag* 96 *seqq. edit. Paris.* 1623., Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec I. dissert.* 4. §. 3. *num.* 3. *tom.* 3. *pag.* 80. *edit. cit.*, Mamachium *origin. et antiquit. Christian. lib.* 4 *par.* 2 *cap.* 1. §. 5. *num.* 9. *tom.* 5 *pag.* 311. *et seqq.*, Ballerinium *de vi ac ration. Primat. Roman. Pontif. cap.* 12. §. 1. *pag.* 75. *seqq.*

§. VII. Scilicet doctrina, fidesque Apostolorum vere,

ac proprie fuit petra particularium Ecclesiarum, quae ipsorum praedicatione constitutae super eam petram aedificatae fuerunt, non autem proprie fuit petra totius Ecclesiae catholicae, quae propter bonum unitatis super unam Petri fidem a Christo aedificata est (1). Itaque hoc uno fundamento, quod a Christo ipso positum immutari a nemine poterat, omnes illae particulares Ecclesiae niti debebant, ut ad catholicam Christi Ecclesiam pertinerent; neque Apostoli aliam iis nunciare fidem poterant, quam quae una, et eadem esset cum Petri fide. Quod Christi institutum non eo spectat, ut aliorum Apostolorum fidem in suspicionem aliquam adducere videatur; sed ut intelligamus, Ecclesiae, et unitatis bonum id postulasse; ut una esset omnium fides, omnesque consentirent cum fide Petri, in qua hujusce unitatis centrum, totiusque Ecclesiae fundamentum fuerat constitutum (2). En igitur quomodo Apostoli particulares illas Ecclesias instituendo totius Ecclesiae fundamentum recte dicantur. Ex illis omnibus una fieri debebat Ecclesia, propterea, qui omnes illas Ecclesias instituerant, ex quibus illa omnium unitas perficiebatur, Ecclesiae fundamenta fuerunt, non quod ipsi unitatem, sed quasi partes, ex quibus ipsa unitas, hoc est totum unumque corpus constabat, effecissent. Sed quis tot Ecclesias ab Apostolis constitutas conjungere, quis partes ad illas inter se discretas conglutinare, ut una fieret Ecclesia, quis omnium centrum, ac fundamentum, quo totum corpus ex illis partibus, hoc est ex particularibus Ecclesiis conflatum niteretur, esse debebat, nisi Petrus caput, et princeps ceterorum? Fuerunt igitur Apostoli fundamentum Ecclesiae, quia singuli, ut ita dicam, suas dedere partes, ut ex omnibus unum corpus fieret, hoc est particulares fundarunt Ecclesias, ex quarum conjunctione una facta est universalis Ecclesia; sed illa copulatio, coagmentatioque Ecclesiarum facta est ab uno Petro qui centrum fuit unitatis, quo omnes tendere debebant, ut unum omnium corpus efficeretur. Cumque Ecclesiae fundamentum sit haec unitas, sine qua non una, sed plures essent Ecclesiae, ea vero unum habeat auctorem Petrum, tamquam commune omnium centrum, sequitur, ut solus Petrus vere, ac proprie hujus unitatis, hoc est uni-

versalis Ecclesiae fundamentum haberi debeat. Atque hanc suae fidei cum Petri fide unitatem ut probaret Paulus Apostolus, forte ascendit Hierosolymam aliquid cum eo collaturus (3), et cum eo commoratus est dies quindecim; non ut ipse de suae fidei veritate dubitaret, sed ut omnibus, qui dubitarent, ostenderet, certam esse fidem, quam nunciabat, quoniam eam cum Petro contulerat. Eadem haec videtur fuisse causa, propter quam de Romanae Ecclesiae fide quam Petrus praedicaverat, et in quam conspirabat fides ab Apostolo nunciata in omnibus Ecclesiis toto orbe diffusis, Paulus (4) scripserit; *fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Neque enim alia ratione in omnibus mundi Ecclesiis Romanorum fides nunciata fuisse videtur, nisi quod ab Apostolis, eorumque discipulis praedicantibus in iisdem fidem, quae una erat cum fide Romae a Petro explicata, de hac unitate, deque ejus necessitate omnes moniti fuerant, ut intelligerent, non aliam futuram fidem verae Ecclesiae, quam quae cum Petri fide Romanis tradita conveniret (5).

(1) Hinc S. Cyprianus *ep. 70. pag.* 302. „ Una, *inquit*, Ecclesia „ a Christo Domino super Petrum origine unitatis, et ratione fundata „ Quod etiam tradit *in lib. de unit. Eccles. pag.* 77.

(2) Sicut Ecclesiae, et unitatis bonum postulabat, ut in Petro, ejusque sede consisteret centrum unitatis communionis catholicae, cum quo omnes Catholici communionem servarent; sic item postulabat, ut centrum unitatis fidei catholicae, cum quo omnes unitatem ejusdem fidei custodirent, sederet in Petri praedicatione, ac fide, quam ipse in sua sede constituerat; ipsique Apostoli, ut ceteris in posterum exemplum, ac normam praeberent, Ecclesias aedificantes eas aedificarent in fide, quae una esset cum fide Petri, easdemque unitatem cum hoc centro ab omnibus necessario servandam edocerent. Recte Petrus de Marca *de discrimin. cleric. et laicor. cap.* 3. *n.* 13. *p.* 114. „ Tenebantur, *inquit*, Apostoli fundare » Ecclesias in unitate, cujus caput cum esset Petrus, illius communioni » eas subjicere tenebantur „. Pertinent haec ad communionis unitatem. De fidei vero unitate *num.* 21. *pag.* 116. addit: „ a Christo unam solam cathe- » dram constitutam in Ecclesia, eamque Petro collatam in urbe Roma, » qui hac ratione factus est caput Apostolorum, porro unitatem ab omni- » bus Apostolis servandam in illa una cathedra, ne si ab ejus unitate » recedentes in Ecclesiis aedificandis aliam cathedram constituerent, » schismatici, et peccatores haberentur. Nullum erat periculum, ne » scissa unitate Ecclesiae Apostoli propria sibi Ecclesias defenderent se- » junctas a communione Petri; Sed regiminis semel constituti forma ex- » poscebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos huic regulae a Christo » praescriptae subditos fuisse „ Idem quoque ante Petrum de Marca scriptum reliquerat Cardinalis Perronius *in respons. ad Reg. Angl. cap.* 56,

pag. 452. *et seq. edit. Paris.* 1622. cujus haec verba sunt: „ Hanc unitatem in Ecclesia servandam cum decrevisset Christus principium ejus, „ et radicem in Petro constituit. Cum autem ad stabiliendum hoc unitatis ecclesiasticae caput eximia quadam auctoritate opus esset, quae valeret schismata compescere, aut avertere ab Ecclesia, praeter auctoritatem Apostolatui essentialem, facta est personae Petri, quam huic munēri obeundo destinavit Christus, singularis dignitatis, ae potestatis accessio, ut nimirum omnes fideles, atque ipsos Apostolos in officio suo contineret, ac prohiberet, ne quis Ecclesiae scinderet unitatem, non „ quidem quasi hac disciplina egerent Apostoli, quibus singulis speciatim in orbis Christiani administratione Deus adfuturus erat; sed „ ut Ecclesiae formam aliquam proponeret, qua res esset post mortem „ suam componendae „. Quod quidem unitatis bonum Petro prae ceteris commissum respiciens Sanctus Hieronymus *lib.* 1. *contr. Jovinianum cap.* 26. *opp. tom.* 2. *col.* 279. „ licet, *inquit*, super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus „ eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio „.

(3) In Greco textu est 'ἱστορῆσαι, quod, ut Erasmus, et Heinsius a Calmeto *in not. ad Paul. ad Galat.* laudati latine est *videre conferendi, seu percontandi aliquid gratia.* Atque huc sane spectat Tertullianus *de praescript. cap.* 23. *pag.* 210. cum affirmat Paulum ascendisse Hierosolymam „ cognoscendi Petri causae ex officio, et jure scilicet ejusdem „ fidei, et praedicationis „ Clarius autem S. Thomas Cantauriensis *lib.* 1. *epist.* 97. *pag* 151 *tom.* 1. *edit. Bruxell.* 1682. „ Doctor gentium, „ *inquit*, qui gloriatur, se non ab homine, nec per hominem Evangelium didicisse, sed instructum a Christo, ascendit Hierosolymam, cum „ Ecclesiarum Principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret, „ vel cucurrisset „. Cui concinit Bossuetus *Meditation. in Evangel.* 70. „ *opp. tom.* 10. *pag.* 412. *edit. Leodii* 1766. „ Paulus, *inquit*, antequam „ plene sui Apostolatus munere fungeretur, Petrum adit; ut eum habeat „ sicuti in authographo scriptum est, gregis caput, atque Ecclesiae miraculum, sicuti explicant SS. Patres. Erat ibi S. Jacobus, et S Paulus „ eo non ibat, ut Jacobum videret, sed ut viderem, inquit, Petrum; „ cum eo commoratus est dies quindecim, et hoc testimonio praedicationem „ suam confirmavit. Ex quo patet, quod cum post annos quatuordecim instinctu Spiritus S. iterum Hierosolymam venit, ut cum Apostolis conferret Evangelium, quod Gentilibus praedicabat, S. Petrus, „ potissimum eo consilio invisit, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset „.

(4) S. Paulus *ep. ad Roman. cap. I. vers.* 8.

(5) Hujusce unitatis, et concordiae in fide vim ipse Quesnellus novit in laudatis Apostoli verbis, in quae propterea in suis ad novum testamentum observationibus animadverti voluit; „ Fides Ecclesiae Romanae „ jam inde ab initio Ecclesiae usque ad hoc tempus, in mundo universo „ celebratur. Consolatio est Catholicis antiquis, et novis videre se in eadem „ doctrina junctos illi Ecclesiae „.

DE SUMMO PONTIFICE SUCCESSORE PETRI.

CAPUT V.

I. Romanus Pontifex Petri successor.
II. Dioscorus Patriarca Alexandrinus primus oppugnat Primatum Summi Pontificis. Quo sensu Patriarca Costantinopolitanus oecumenicus appellaretur?
III. Conatus Joannis Jejunatoris, et Photii in eumdem Primatum. Phocae Imperatoris decretum.
IV. Michael Cerullarius bellum renovat.
V. Progressus schismatis. Synodus Lugduuensis. Graecorum sententiae.
VI. Studium Romanorum Pontificum pro schismate comprimendo. Concilium Florentinum. Calumniae Marci Metropolitae Ephesini adversus hoc concilium, et schisma confirmatum.
VII. Waldenses Marsilius Patavinus, et Joannes Jandunus Primatui inimici.
VIII. Errores Wicleffi, et Joannis Hussii contra Primatum.
IX. Eadem de re errores Lutheri, Calvini, M. Antonii de Dominis.
X. Ex iisdem haereticorum scholis exierunt ceteri, qui pugnarunt adversus Romanum Pontificem, qui et in Episcopatu, et in Primatu Petri successor est.
XI. Petrus Romae Episcopus, neque ab ejus in Episcopatu successoribus Romanis Pontificibus Primatus sejungi potest. Necessitas Primatus in Ecclesia.
XII. Primatus et honoris, et jurisdictionis in Summo Pontifice.
XIII. Christus rogavit Patrem pro fide Petri.
XIV. Unitas fidei eum Summo Pontifice omnibus necessaria, ideoque ipse in fide errare non potest.
XV. Unitas caritatis, seu communionis cum Summo Pontifice, a qua descendentes schismatici sunt.
XVI. Disciplina universalis Ecclesiae a Summo Pontefice stabilienda, ac regenda est.
XVII. Pontifex generale Concilium indicit, eique praesidet, atque ejus acta confirmat.
XVIII. Pontifex Concilio superior.
XIX. Sine Summo Pontifice verum oecumenicum concilium haberi non potest.
XX. Ecclesiae et dispersae, et congregatae necessarium caput.
XXI. Concilium Pisanum.
XXII. Concilium Constantiense.
XXIII. Hoc nunquam a Sede Apostolica confirmatum.
XXIV. Neque nullam continet dogmaticam definitionem de concilio supra Pontificem.
XXV. et XXVI. Reliqua Primatus jura.

§. I.

Christus, uti hactenus demonstratum est, unum dederat Ecclesiae caput, ut unus esset in fide, et in caritate, seu communione Christianus populus universus. Unitas haec perpetua esse debebat; Petrus autem, ut ceteri homines, ea conditione,

atque eo fato natus erat, ut moreretur. Itaque eo mortuo, ut Ecclesiae unitas perpetuo conservaretur, alium ei principem, et caput dare oportebat. Ad quem autem haec deferri potestas, ac dignitas potuit, nisi ad ejus successores Romanos Pontifices? Constat sane Petrum Romae Episcopum fuisse, in eaque Urbe cruci affixum, deorsum demisso capite, decessisse; ex quo efficitur, ut qui et in Romano Episcopatu successerunt, ii etiam in jure Primatus succedere debuerint.

§. II. Non defuerunt tamen omni fere aetate improbi homines, Deique Ecclesiae inimici, qui Petri, ejusque successorum Primatum divinitus institutum in discrimen revocare ausi sunt. Praedixerat sane Christus, multos adversus Ecclesiam hostium impetus futuros, eamque omni aetate subituram procellas, et tempestates, quibus tamen numqam mergeretur. Qui Ecclesiam odio habebant, ii sunt eodem odio prosequuti ejus caput, et Principem Romanum Pontificem ideoque in eum conatus omnes converterunt: quemadmodum qui fabricam evertere, fundamentum petit, et qui hominem conatur occidere, caput ipsum invadit. Dioscorus Patriarcha Alexandrinus primus surrexit contra Summum Pontificem, atque adversus Sanctum Leonem M. excommunicationis sententiam emittere ausus est. Sed qui insano homini sese comitem adjungeret, inventus est nemo. Quinimo observantia in Sedem Apostolicam non modo nulla ex parte imminuta, sed etiam aucta est, ipseque Dioscorus propter hoc facinus, aliaque ab eo admissa scelera de Sacerdotali gradu, deque Episcopali dignitate dimotus fuit (1). Sed schismatis, quo nunc etiam Graeci Acatholici a Latinis sejunguntur, initia a Patriarcharum Constantinopolitanorum ambitu, et superbia repetenda sunt. Principio ita quieta, simplexque res tota fuit, ut ne conjectura quidem suspicari quis posset eum futurum exitum, qui deinceps fuit. Scilicet Episcopi secundae Syriae scribentes ad Joannem Cappadocem Patriarcham Constantinopolitanum, cui subjecti erant, quique Patriarchatum amplissimae dioecesis obtinebat, et quo Praeside Concilium habuerant, eum oecumenicum Pa-

triarcham appellarunt (2). Novum hoc vocabulum minime suspiciosum esse poterat Hormisdae, qui tunc Pontificatu maximo fungebatur, quoniam ipse Joannes et ejus mandatis paruerat (3), et ab eo datos libellos lubenter acceperat, ac ceteros *in omnibus non consentientes Sedi Apostolicae* repudiaverat, et Romani Pontificis in tota Ecclesia Primatum fatebatur (4). Itaque vox illa oecumenici, quam effuderant homines Constantinopolitano Patriarchae subjecti, tantum ad eam dioecesim, non ad totam Ecclesiam pertinere (5), nihil autem Primatui Summi Pontificis officere videbatur, et ideo tunc tandem pacatis rebus, et redintegrata concordia Latinos inter, et Graecos, cavendum erat, ne propter inane vocabulum antiqua dissidia renovarentur. Eodem nomine etiam Justinianus Imperator interdum vocavit Patriarcas Constantinopolitanos (6), sed prorsus eodem sensu, ut scilicet praerogativa haec oecumenica contineretur finibus eorum dioeceseon; quoniam integrum semper esse voluit totius Ecclesiae Primatum in Romano Pontifice, cui *omnes Sacerdotes universi orientalis tractus* subjectos esse jussit (7).

(1) Chalcedonensis Concilii Patres datis ad Imperatores Valentinianum, et Marcianum literis, quae extant *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1352. primum Dioscori scelera recensent, deinceps ajunt „ et forte super „ tantis, ac talibus iniquitatibus veniam adipisci potuisset, si per dignam „ poenitentiam adsciscerct medicinam ab hoc universali Concilio. Sed „ quoniam super alias suas nequitias, et adversus ipsam Apostolicam Se„ dem latravit, et excommunicationis literas adversus sanctissimum, et „ beatissimum Papam Leonem facere conatus est . . . . decenter ab uni„ versali Concilio Sacerdotio est nudatus, et ab Episcopali dignitate pro„ nunciatus est alienus „ Et in relatione ad S. Leonem P. *ibid. col.* 1775. ita ejusdem Concilii Patres facinus illud describunt „ et post haec „ omnia insuper et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore com„ missa est, extendit insaniam, idest contra tuam quoque Apostolicam „ Sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui cor„ pus Ecclesiae unire festinas „.

(2) Patet id ex epistola, qua Episcopi secundae Syriae probarunt acta Concilii Constantinopolitani ab Hormisda habiti, quaeque extat *Actione 5. Concilii Constantinopolitani sub Agapeto et Menna tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 1183.; atque ex ipsius Concilii relatione, quae *ibidem col.* 1131. descripta est.

(3) Joannes Cappadox, uti testatur Cedrenus *Histor. an.* 1. *Justinian. pag.* 389. *et seq. tom.* 1. *edit. Paris.* 1647., in diptycha retulerat Concilium Chalcedonense, ex iis expuncto nomine Acacii; lege ab Hormisda data sustulerat dissensionem, quae magna cum acerbitate

fuerat inter Latinos, et Graecos; atque omnes, qui ab Apostolica Sede damnati fuerant, haereticos et ipse damnaverat. Confer libellum Joannis Cappadocis ad Hormisdam, qui extat inter Hormisdae epistolas *tom.* 5. *Concil. Labbaei col* 621. *seqq.*, itemque libellum alium ejusdem *ibid. col.* 626. *et* 627. Quid quod eidem Hormisdae Archimandritae, ceterique Monachi secundae Syriae scripserant verbis, quae omnem de Primatu summi Pontificis in tota Ecclesia dubitationem removebant? Scripserant enim *ibid. col.* 298. » Sanctissimo, et beatissimo, universae or- » bis terrae Patriarchae Hormisdae continenti Sedem Principis Apostolo- » rum Petri ».

(4) Vide eosdem libellos Joannis Cappadocis *loc. cit.* Hinc ipsi Joanni Cappadoci Hormisda rescribens, pariter Justino Imperatori, conceptam ab se laetitiam significans ob stabilitam Ecclesiarum concordiam commemorat oecumenicam jurisdictionem Sedis Apostolicae; nam in *epist.* 45. *ad Joan. ibid. col.* 632. » et vere; *inquit*, in hujus Petrae fide, idest » Apostolorum Principis firmitate Orientalis Ecclesiae fundamenta solidan- » tur » et *epist.* 57. *ad Justin. ibid. col.* 639. dicit haec: » Et Sedis » Apostolicae Principatum acta noviter veneratione sancitis ».

(5) Anastasius Bibliothecarius in *praefat. ad VII Synod oecumen. tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 675. » Cum apud Constantinopolim, *in- » quit*, positus frequenter Graecos super hoc vocabulo reprehenderem, » et fastus, vel arrogantiae redarguerem; asserebant, quod non ideo » oecumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent Pa- » triarcham, quod universi orbis teneat praesulatum, sed quod cuidam » parti praesit orbis, quae a Christianis inhabitatur. Nam quod Graeci » oecumenem vocant, a Latinis non solum orbis, e cujus universitate » univeasalis appellatur, verum etiam habitatio, vel locus habitabilis nun- » cupatur ». Sic Hieronimo teste *in Isaiam lib.* 8. *cap.* 26. *opp. tom.* 4. *col.* 356. idioma fert sacrae Scripturae, ut orbis, vel terra illam significet provinciam, de qua sermo est: sicut et Latini unam orbis partem orbem appellant, unde Lucanus Pharsal. *lib.* 3. *vers.* 247. qui extat in opere Poetarum Latinorum *tom.* 2. *pag.* 901. *edit. Londini* 1717.

» Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem »

et de re nostra Glaber *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 40. *edit. Francofurt.* 1596. » quatenus, *inquit*, cum consensu unanimi Romani Pontificis liceret Ec- » clesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in universo, » universalem dici, et haberi ». En igitur quam ob causam Joannes oecumenicus appellatus fuerit; et vero ita appellatus est in Concilio Constantinopolitano, cui ipse praeerat, et in quo propter hanc praefecturam et oecumenicus, et pater patrum dici poterat.

(6) Vide sis *Novellam ut determinat. sit numer. clericor.*, *Novellam de Monarch.*, *Novellam quomod. oport. Episcop.*, *Novellam de non alien. aut permutan. reb. Eccles.*, *Novellam de mensur. ordinan. cleric.*

(7) Digna sunt, quae describantur ipsius Justiniani verba *in L. nos reddentes* 8. *Cod. de Sum. Trinit.*, ut pateat, num ipse aliquid ex Primatu Sedis Apostolicae in tota Ecclesia detrahere voluerit. Haec autem verba sunt: » nos reddentes honorem Sedi Apostolicae . . . . et ut » decet patrem, honorantes vestram Beatitudinem omnia, quae ad Ec- » clesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrae San- » ctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestrae » Apostolicae Sedis, et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, » quae hactenus obtinet, et incommote permanet, nulla intercedente

» contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes universi orientalis tractus et
» subjicere, et unire Sedi vestrae Sanctitatis properavimus . . . . quae
» caput est omnium sanctarum Ecclesiarum ». *Et Novella ut Eccles.*
» *Roman. cont. an gaud. praescript.* Ut legum originem anterior Ro-
» ma sortita est, et Summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo
» est, qui dubitet ». Justiniano autem scribit haec Joannes Summus Pontifex *Leg. 7 Cod. de Sum. Trinit.* » Romanae Sedis reverentiam
» conservatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus deducitis unitatem, ad
» cujus auctorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente,
» praeceptum est, *pasce oves meas.* Quam esse omnium vere Eccle-
» siarum caput, et Patrum regulae, et Principum statuta, et pieta-
» tis vestrae reverendissimi testantur affatus. » Itaque Justinianus nihil minuit de oecumenica Romani Pontificis potestate, cum in novellis illis Constitutionibus Constantinopolitanos Patriarchas Euphemium, et Anthimum oecumenicos, seu universales appellat. Declarat nimirum, Constantinopolitano Antistiti minime subdi reliquos Patriarchas, ac Metropolitas; et cum ibi memorat peculiarem dioecesim ipsius Episcopi Constantinopolitani, aperte ostendit, tributam illi *universalitatem* finibus dioecesis ejusdem contineri. Revera non tantum Constantinopolitanus, sed et reliqui Patriarchae ab Imperatore jubentur ea nunciare, quae ab se fuerant constituta, et tamen satis fuisset dare hoc mandatum uni Patriarchae Constantinopolitano, qui cuncta reliquis Patriarchis, ac Metropolitis significare debuisset, si in eum Justinianus oecumenicam super omnes potestatem conferre voluisset. Ait enim *Novella de Monacis in fin.* „ haec igitur omnia Sanctissimi Patriarchae sub se consti-
„ tutis Deo amabilibus Metropolitis manifesta faciant . . . . . haec tuam
„ sanctitatem „ (Epiphanium scilicet) „ decet omnibus sub se positis
„ sanctissimi Metropolitanis facere manifesta „ Et rursus *Novell. quo-*
„ *mod. oport. Episcop. in fin.* „ Sanctissimi siquidem Patriarchae unius
„ cujusque dioecesis haec proponant in Ecclesiis sub se constitutis, et
„ manifesta faciant . . . . . amabilibus Metropolitis . . . . tua Sanctitas
„ manifesta „ . Ex quibus evidens est, haud sane Justinianum oecumenico Patriarchae Constantinopolitano tribuere potestatem in reliquos Patriarchas, et Metropolitas; sed contra eos omnes ex ejus jurisdictione subtrahere, et unicuique Patriarchae suos subjicere Metropolitas, Patriarchae autem Constantinopolitano eos tantum subjectos velle, quos tractus, et dioecesis Constantinopolitana comprehendebat. Hinc ipse Justinianus cum plures ad Mennam, qui Anthimo Patriarchae successerat, constitutiones misisset, quamquam eum universalem vocet *Novel.* 189. *apud quos oport. collat.* 6. *tit.* 8., tamen in reliquis Constitutionibus, ut in *Novel.* 56. *ut ea quae vocant insinuativ. collat.* 5. *tit.* 11. *Novell.* 6. *quomod, oport. Episcop. collat.* 1. *tit.* 6. *Novell.* 57. *ut cleric. qui recedi. collat.* 5. *tit.* 12. *Novel.* 67. *ut nullus fabricet. orat. domos collat.* 5. *tit.* 22. eumdem appellat, Archiepiscopum regiae Civitatis „ Constatinopolitanae „ aut „ hujus regiae Urbis
„ Archiepiscopum, et universi ejus tractus Patriarcham „ . Sed ea de re disputat copiose Antonius Vaira *de praerog. oecumen. etc. Rom. Pont. cap.* 2, *pag.* 103. *seqq. edit. Venet.* 1704., quem fac ut videas.

§. III. Hactenus nomen illud oecumenici, quo Constantinopolitani Antistites usi fuerant, nullam sceleris su-

spicionem attulerat; sed denique Joannes Jejunator suum patefecit animum, et quod oecumenicus vocaretur, omnes infra se Episcopos, Patriarchas, atque ipsum Christi vicarium Romanum Pontificem habere meditabatur. Sed insano, atque impio homini magnis animis restiterunt primum Pelagius II. (1), postea Gregorius M. (2), qui vocabulum illud a nemine usurpari voluit; atque ut hominis arrogantiae Pontifice dignam modestiam opponeret, primus sese initio epistolarum *servum servorum Dei* vocare caepit (3). Phocas quoque Imperator Constantinopolitanos Antistites oecumenicos appellari vetuit (4); sed eo mortuo non multo post Sergius, Pyrrhus, Paulus, homines infecti erroribus Monothelitarum, atque alii, qui proxime sedem illam tenuerunt, propter oecumenici vocabulum novas in Romanum Pontificem turbas excitarunt (5). Postremo Photius omnium audacissime oecumenici nomine gloriatus est, atque aperte bellum indixit Primatui Summi Pontificis; habitaque anno 863. Constantinopoli Synodo cum Episcopis sui Patriarchatus Nicolaum I. Pontificem anatematis poena mulctavit. Atque hic proprie jacta sunt fundamenta schismatis propter ambitionem hujus hominis, qui, pulso Ignatio viro sanctissimo, in Patriarchatum Constantinopolitanum invaserat, et propter odium ejusdem in Nicolaum, qui nefarium facinus improbaverat. Quod si Graeci animo reputarent, ac procul ab omni studio partium, et praejudicata opinione scire vellent; quae vera sit de Petri successorum Primatu catholicae Ecclesiae doctrina, id non a Photio schismatis auctore; aliisque sociis ejusdem schismatis, sed ab ipsis suis Patribus Photio antiquioribus, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Joanne Chrysostomo, ceteris, qui et sibi, et nobis doctissimi, sanctissimique viri sunt, quaerere deberent. Sed redeo ad Photium, cujus furori gravissime restiterunt plerique Episcopi, qui ad illam, quam paulo ante memoravi, synodum venerant, ajentes, Summum Pontificem, qui omnes homines infra se habet, a nemine eorum condemnari posse (6), ac denique sexennio post, scilicet anno 869. in octava synodo oecumenica, omnis est propulsata injuria, quae Sedi Apostolicae a Photio illata fuerat (7).

(1) Pelagius II. *ep.* 8. *ad Joann. Episc. Constantinop. tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 633. *seqq.*, qui etiam infirmavit acta Synodi, qua Joannes illud oecumenici nomen arripuerat, uti testatur Gregorius M. *lib.* 5. *ep.* 18. 19. *et* 43. *col.* 741. 751. *et* 771., *et lib.* 9. *ep.* 68. *col.* 984. *opp. tom.* 2. *edit. Paris.* 1705.

(2) Idem Gregorius M. *loc. cit. lib.* 5. *ep.* 18. *col.* 741. Videnda est etiam ipsius Gregorii *ep.* 12 *lib.* 9. *col.* 941. ubi haec habentur: „ nam „ de Constantinopolitana Ecclesia, quod dicunt, quis eam dubitet Sedi „ Apostolicae esse subjectam? Quod et piissimus domnus Imperator, et „ frater noster ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitentur „. Josephus Binghamus *origin. eccles. lib.* 2. *cap.* 17. §. 21. *tom* 1. *pag.* 265. *edit Halae Magdeb* 1751., ut mos est haereticorum, qui ut catholicam Ecclesiam, ita ejus caput Romanum Pontificem calumniantur, falsi arguit Gregorium M., quod dixit, novum, atque insuetum esse, quod Constantinopolitanus Antistes oecumenicus appelletur, quoniam eodem vocabulo Justinianus multo ante usus est. Sed et Episcopi secundae Syriae, uti supra animadvertimus, idem vocabulum usurparunt; at eo sensu, ut Patriarcha Constantinopolitanus in toto tractu suae dioeceseos primatum obtineret. Verumtemen novum erat, quod Joannes Jejunator primatum suum produceret ad Ecclesiam universam; et haec novitas est, quam Gregorius merito, ac vere reprehendit.

(3) Joannes Diaconus *in Vit. S. Gregorii lib.* 2. *cap.* 1. *tom.* 4. *opp. S. Gregor. col.* 45. *edit. indic.* In actis Synodi Chalcedonensis Romanus Pontifex *universalis Archiepiscopus*, *et Patriarcha* appellatus fuerat; ibi enim *act.* 3. *tom.* 4. *Concil. collect. Labbaei col.* 1268. extat libellus Theodori Diaconi Alexandrini, cujus libelli haec inscriptio est; τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι *santissimo, ac Dei amantissimo, et universali Archiepiscopo, et Patriarchae magnae Romae Leoni.* Eadem est inscriptio literarum Ischirionis, Athanasii Presbyteri Alexandrini, et Sophronii *ibid. col.* 1273. 1281. 1289. Idem post ab Archimandritis, ceterisque Monachis secundae Syriae ad Hormisdam Pontificem scribentibus sexto saeculo factum est *tom Concil. col.* 598. *edit. ejusd.* Mirum tamen est, quantum haeretici abutantur hoc testimonio Gregorii M., qui se universalem Episcopum appellari noluit, quasi ex eo contra Primatum Romani Pontificis argumentum aliquod summi posse videatur. Verum Gregorius nomen illud respuit, non quod non intelligeret, certoque sciret, sese esse Summum Pontificem, totiusque Ecclesiae Primatem, sed ut hoc modestiae exemplo Constantinopolitanorum Antistitum superbiam frangeret, et quod metuebat, ne unus ipse Episcopus, aut Patriarcha, contemptis ceteris, videri vellet. Id ipse declarat dissertis verbis *lib.* 5. *ep.* 20. *et* 43. *pag.* 749. *et* 771. *tom.* 2. *opp.*, eodemque tempore, quo se universalem Patriarcham appellari nolebat, factis ostendit, sese in Ecclesia universa Primatum obtinere » Quis enim, ut recte animadvertit Baronius *ad ann.* 595 *num.* 34. » *seqq. tom.* 10. *pag.* 586. *seq. edit. Lucae* » annus est ejus Pontifi- » catus, quo non appareat ipsum universalis Ecclesiae habenas regere » et quo non aliquem jurisdictionis actum exerceat? » Synodus autem Chalcedonensis cum eo titulo Leonem ornavit, insolenti, atque invidioso vocabulo minime se uti censuit, neque illud attribuit, ut unus Leo episcopus videretur, ceteri non item; sed ut eminentem supra omnes in tota Ecclesia Romani Pontificis dignitatem, ac potestatem designaret. Nihilotamen minus ipsi Pontifices modestiae causa recusarunt

hoc nomen, quod quibusdam invidiosum videbatur; verum » caecutiunt qui non vident, *inquiunt* Monachi Benedectini S. Mauri in Vita S. Gregorii M. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 17. *pag.* 251. *tom. ult. edit. ejusd.* » Ipsum de se, suaque auctoritate tam modeste sentientem jurisdictionem tamen in tota Ecclesia exercuisse, in Africa, Aegypto, Asia, » intra ipsos Constantinopolitani Patriarchatus fines, ut ex causa Monachorum Isauriae liquet ». At Patriarchae Constantinopolitani, quorum nota omnibus ambitio est, nomen ipsum universalis, sive oecumenici audacter usurparunt; quamobrem Pelagius II. primum, tum Gregorius M. vehementer invecti sunt in Joannem Jejunatorem; et ipse quidem Gregorius gravissimas adversus eum dedit literas ad Mauritium Augustum, ad Constantinam Imperatricem, ad Eulogium Alexandrinum, ad Anastasium Antiochenum *lib.* 5. *ep.* 20. 21. 40. 41. 43. *tom.* 2. *pag.* 747. 750. 766. 768. 770. *et lib.* 8. *ep.* 30. *pag.* 917. *seq.*

(4) Gregorio vita functo, Bonifacius III. a Phoca Imperatore obtinuit, ut lata lege caveretur, ne qui postea Constantinopolitanus Antistes sese oecumenicum vocaret, qua de re adeundus Baronius *ad ann.* 606. *num.* 2. *tom.* 11. *pag.* 80. *edit. Lucae*, et Antonius Vaira *de oecumenic. Papae potest. cap.* 3. *col.* 125. *seqq.*, a quibus gravissime refutantur ineptiae, quae ex utroque facto, altero Pelagii, et Gregorii, altero Phocae Imperatoris contra Primatum Romani Pontificis educuntur. Verum propter obstinationem, ambitumque Constantinopolitanorum nihil umquam effici potuit, licet iis semper Romani Pontifices acerrime restiterint. Jam vero nomen illud, quod initio Gregorius repudiavit, deinceps usu tritum, atque ita explicatum, ut Pontificis in universa Ecclesia Primatum indicaret, ab Catholicis, probante Sede Apostolica, Romanis Pontificibus attributum est, uti patet ex Synodo Lateranensi sub Martino I. *action. I. tom.* 7. *Concil. Labbaei col.* 97., et epistola Constantini Pogonati Imper. ad Leonem P. *ibid. col.* 135., et ex Synodo Pontigonensi *an.* 876. *tom.* 2. *Capitular. Reg. Francor. col.* 161. *et* 162. *edit. Baluzii Venet.* 1773. Confer Constantium *praefat. in epist. Roman. Pontif. par.* 1. *num.* 14. *pag. X. edit. Paris.*, Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec. VI. cap.* 2. *art.* 13. *num.* 5. *pag.* 349. *tom.* 5. *edit. Venet.* 1776., Michaelem Liquienium *Panopl. contr. schism. Graecor. centur.* 6. *cap.* 1. *pag.* 96. *edit. Paris.* 1718., et Schelestratum *Antiquit. Eccles. tom.* 2. *dissert.* 3. *cap.* 4. *num.* 6. *pag.* 181. *edit. Romae.*

(5) Videndus Antonius Vaira *de oecumenic. Pap. potest. cap.* 4. *pag.* 137. *seqq.*

(6) Rem totam diligenter narrat Natalis Alexander, quem fac ut videas *Histor. Eccles. saec. IX. dissert.* 4. *tom.* 6. *pag.* 340. *seqq.* §. 6. *seqq. edit. cit.* Photius suo illo conciliabulo suas ad partes traxerat tantum Episcopos *unum et viginti*, reliqui omnes ei refragati fuerant clamantes » non esse justum in Summum, et primum Pontificem, » praecipue ab inferiori, quomodolibet sententiam proferri ». Quare callidus homo, ut majorem huic conciliabulo auctoritatem conciliaret, incautosque deciperet, conscripto codice referto calumniis contra Sedem Apostolicam, mille circiter Episcoporum falsas, atque ab se fictas subscriptiones inseruit; uti observat ipse Natalis Alexander *loc. cit.* §. 7. *pag.* 343. Videndus est etiam Antonius Vaira *loc. cit. cap.* 5. *pag.* 225. *seqq.*

(7) Photius contra Primatum Pontificum Romanorum nihil expressis verbis definiverat; tantum facto ipso demonstraverat, quae ab se ejus ratio haberetur. Itaque in octava oecumenica synodo, quae fuit quar-

ta Constantinopolitana, quaeque habita est, ut Photii scelera coercerentur, nullum editum est canon, quo catholicae Ecclesiae de Primatu doctrina clarius, et uberius constitueretur. Sed in cunctis avertendis injuriis, quae Sedi Apostolicae illatae fuerant, Concilii Patres omnes suas curas, cogitationesque posuerunt. Primam injuriam fecerat Apostolicae Sedi Photius, cum aliquot ejus consuetudines improbaverat, eique falso sententias a veritate aberrantes adscripserat. Ut gravis haec tolleretur injuria, Legati Hadriani II. Pontificis *act.* 1. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 497. obtulere libellum, quem omnes Apostolicae Sedis communionem habere cupientes subscribere deberent, eumque omnes sine ulla dubitatione subscripserunt. Ita provisum est, ut decus, et dignitas Sedis Apostolicae conservaretur, Photiique calumniae refutarentur; quoniam in eo libello habentur haec, quae Sedis Romanae fidem integram, atque interruptam ostendunt. « Quia non potest D. » N. Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Haec, quae dicta » sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immacu» lata est semper catholica reservata Religio, et sancta celebrata do» ctrina. Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minime cupien» tes, et Patrum et praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum » sequentes in omnibus constituta . . . anathematizamus etiam Pho» thium „. Tum in eodem libello adduntur haec: » Sequentes in om» nibus Apostolicam Sedem, et observantes omnia ejus constituta, spe» ramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, es» se mereamur, in qua est integra, et vera Christianae Religionis so» liditas; Promittentes etiam, sequestratos a communione Ecclesiae ca» tholicae, idest non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina » inter sacra non esse recitanda mysteria „. Quibus verbis necessitas communionis cum Sede Apostolica, ejusque Primatus, fidesque integra demonstratur: quemadmodum eo libello, quem omnes Episcopi jussu Romani Pontificis subscribere debuerunt, in eos eumdem Pontificem jurisdictionem exercuisse, nemo inficiabitur. Altera Photii injuria in Sedem Apostolicam erat excommunicatio in Summum Pontificem Nicolaum I.; ergo huic quoque rei consultum est. Nam Concilii Patres *can.* 13. *act.* 10. *ibid. col.* 1 9. non solum anathematis poena puniendos statuerunt omnes, qui injuriam aliquam inferrent Sedi S. Petri Apostolorum Principis, aut Summum Pontificem de dignitate dejicere conarentur, aut eum vexarent famosis libellis, calumniis, pseudo synodis, sed etiam, ne ulla in posterum horum malorum daretur occasio, sancitum est, quod „ si Synodus univer» salis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de Sancta Romana Ecclesia » quaevis ambiguitas, et controversia, oportet venerabiliter, et cum conve» nienti reverentia de proposita quaestione sciscitari, et solutionem accipe» re, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra » Summos senioris Romae Pontifices „. Postremum Photius, ut facilius homines in suam raperet sententiam, eosque a Summo Pontifice abalienaret » homines quosdam perditos a trivio arripuerat, eosdem que pro legatis San» ctissimorum Patriarcharum supposuerat, et cum his Ecclesiam malignan» tium collegerat, atque calumniosas depositiones, et criminationes adver» sus Beatum Papam Nicolaum concinnarat „. Quare improba haec fraus, quae *action.* 8. *col* 855. detecta fuerat, *can.* 6. *col.* 875 iterum patefacta est, ac literis consignata, et vafer homo, qui suis astutiis, atque commentis hominibus imponere voluerat, anathemati subjectus est. En quibus auspiciis Graecorum schisma ortum sit. Oecumenica Synodus, eaque Graeca schismatis auctorem damnat, et fraudis iniquissimae architectum pronuncia-

§. IV. Duo fere post saecula, nimirum anno 1053., Michael Cerularius, et ipse Patriarcha Constantinopolitanus, Photii schisma instaurare, Graecosque a Latina Ecclesia separare conatus est. Verum, sive quod Graecis octavi Concilii oecumenici sancta esset auctoritas, sive quod Constantinus Monomachus Imperator a schismate abhorreret, studeretque partibus Leonis IX. Summi Pontificis, qui pacis, et quietis servandae studio ferebatur, sive ob aliam, quae tandemcunque fuerit causam, nullum tunc Cerularii conatus exitum habuerunt; et si quae in quibusdam haeserunt semina discordiarum, latuerunt occulta, neque unquam ex latebris eruperunt animorum. Quod adeo verum est, ut cum Nicetas Archiepiscopus Nicomediensis, et Anselmus Episcopus Havelbergae, qui Constantinopolim venerat missus a Lothario II. Imperatore, de Latinorum, Graecorumque dissidiis sermones inter se contulissent, Nicetas ipse declaraverit, ea, quae inter utrosque erant, divortia sentententiarum ad res exiguas, levesque pertinere, neque impedimento esse posse, quominus et Latini, et Graeci aeternam salutem consequerentur (1). Ex quo evidenter patet, nullum ea tempestate apertum fuisse schisma, quod Graecam Ecclesiam a Latina disjungeret. Imo vero nullum adhuc manifestum schisma erupisse constat anno 1215., cum generale Concilium Lateranense IV. habitum est. Nam Innocentius III. Pontifex Maximus, qui hoc Concilium indixit, neque in literis encicycis, quas ad Episcopos dedit, neque oratione, quam habuit initio ejusdem Concilii, ullum ea de re verbum fecit; sed synodi habendae causas numeravit omnino tres, primo ut sancta tellus recuperaretur, deinde ut condemnarentur haereses, postremo ut in tota Ecclesia mores emendarentur (2). An non etiam de reconciliandis duabus Ecclesiis actum fuisset, si eae revera disjunctae fuissent; cum praesertim ea de re commode, atque opportune agi potuisset, quoniam Concilio intererant Patriarchae Constantinopolitanus, et Hierosolymitanus, ac Vicarii Patriarcharum Alexandrini, et Antiocheni, aliique complures Graeci Episcopi, et Metropolitae? Imo nullam ea aetate discessionem Graeci fecisse videntur; quoniam in decreto, quod de ju-

ribus Sedium Patriarchalium, repugnante nemine, emissum est, illud est de Ecclesia Romana expressum verbis, quod ea; *disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis oblinet principatum, utpote mater omnium Christifidelium et magistra* (3). Quibus sane verbis probatus confirmatusque est Romanae Ecclesiae *disponente Domino*, hoc est jure divino, Principatus (4).

(1) Sunt haec Nicetae verba descripta ab Episcopo Havelbergae *lib.* 3. *dialog. cap.* 22. apud Dacherium *spicileg. tom.* 13. *pag.* 252. „ Quia non „ in magnis, sed in minimis (articulis) aliquatenus discrepare videmur, „ quae licet salutem animarum non impediant, tamen caritatem non aedi- „ ficans, summo studio elaborandum esset, ut generale Concilium con- „ gruo loco, et tempore fieret, ubi universa, quae nos, et vos, ab eodem „ ritu dissociant, in unam reducta concordiam formarent, et tam Graeci, „ quam Latini unus populus sub uno Domino Jesu Christo, in una fide, „ in uno baptismate, in uno Sacramentorum ritu efficeretur „. Cui quidem sermoni ab Havelbergensi Episcopo responsum est. „ Haereticorum est „ angulos, et latebras quaerere; sed tu, qui generale Concilium desideras, „ videtur, quod ad id, quod catholicum est, intendas, ideoque et ego Concilium universale futurum exopto „. Ex quo manifestum est, ea tempestate Graecos Latinis fuisse conjunctos; secus enim Havelbergensis Episcopus Nicomediensi exprobasset divortium, quod Graeci sine Concilio fecerant.

(2) Concilium Lateranense IV. *tom.* 13. *Concil. Labbaei col.* 915.

(3) Ibidem *can.* 5. *col.* 938.

(4) Decretum hoc Concilii Lateranensis, quo tam perspicue, tamque diserte constituitur Romanae Ecclesiae Primatus, ejus adversarios in graves conjecit angustias, ideoque ut vim ejusdem decreti, auctoritatemque declinarent, duplex invenerunt effugium: primum, quod qui nomine Concilii Lateranensis IV. circumferuntur, canones, ejus Concilii revera non sint, sed contra sint decreta Innocentii III., quae vim nullam habere arbitrantur; alterum, Concilium illud Lateranense non fuisse oecumenicum, quoniam a Costantiensi Synodo unum tantum habitum in Laterano Concilium inter oecumenica numeratur. Utrumque ineptissimum. Quod attinet ad canones, quorum paulo ante facta mentio est Spalatensis Apostata Marcus Antonius de Dominis nullos a Lateranensi Concilio editos fuisse censuit, ac primum a Joanne Cochleo Innocentii III decreta Concilii nomine in lucem emissa fuisse Barclajus existimavit. Falso. Nam septuaginta canones, qui Lateranensi Concilio IV. tribuuntur, ejus revera esse ostendunt antiquissimi codices, unde illi sumpti sunt, atque in Labbaei collectione descripti; et vero tamquam canones, seu definitiones Concilii Lateranensis IV. oecumenici laudantur ab Innocentio IV., et Martino IV., qui eodem saeculo XIII. Ecclesiae praefuerunt, a Conciliis compluribus, a Decretalium collectione, quam edidit Gregorius IX. anno 1234., ab alia, quae post Viennense Concilium, nimirum post annum 1312., in manus hominum venit, Clementis V. collectione, a cunctis denique claris Scriptoribus, a quibus est eorumdem canonum facta mentio. Etiam Senatus Parisiensis in eo libello, quem obtulit Ludovico XI. pro tuendis Gallicanis Libertatibus, canones, de quibus haec omnis disputatio est, appellat *canones Concil. Lateranensis ab Innocentio III. congregati*, uti nosci po-

teat ex collectiona decretorum Ecclesiaa Gallicanae, quam edidit Boehel-
lus *lib.* 4. *pag.* 662.: atque, ut mittam cetera, tamquam Lateranensis Con-
cilii lex ab omnibus laudatur *Canon omnis utriusque sexus*, qui est vige-
simus ejusdem Concilii, et quo cautum est, ut in Paschate Fideles omnes
Poenitentiae, et Eucharistiaa sacramenta suscipiant. Accedit, quod eodem
Concilio Abbatis Joachimi errores condemnati sunt, atque ad confirman-
dum catholicae Ecclesiae dogma de Eucharistia, *transubstantiationis* vox
probata est. Quid quod ipsi Centuriatores Magdeburgenses *Centur.* 13.
cap. 9. *de Synodis* omnes illos canones septuaginta veros agnoscunt cano-
nes Concilii Lateranensis IV., quamquam eosdem infensissimos habeant pro-
pter vocem illam *transubstantiationis*, at propter doctrinam de sacramen-
tali confessione? Inanius est quod dicitur de Constantiensi Synodo, a qua
unum tantum Lateranense Concilium inter oecumenica recensetur. Non
enim eadem Constantiensis Synodus omnia describere accurate voluit oecu-
menica Concilia, quae usque ad eam aetatem habita fuerant, sed tantum
ea, in quibus de catholico dogmate stabiliendo, aut de haeresi aliqua con-
demnanda actum fuerat. Id expresse declararunt ipsius Concilii Patres,
cum fidei formulam proposuerunt, qua omnes profiterentur; servare se,
ac retinere » sanctam fidem catholicam secundum traditiones Apostolorum
» generalium Conciliorum, et aliorum SS. Patrum, maxime autem SS.
» octo universalium Conciliorum .... nec non Lateranensis, Lugdunensis,
» at Viennensis generalium etiam Conciliorum ». Verbum illud *maxime*
evidenter ostendit, praecipua quaedam; non omnia oecumenica Concilia
fuisse descripta. Quod si etiam haec enumeratio accuratior habeatur, ne-
mo tamen inficiari poterit, Concilium illud Lateranense, cujus eo in loco
mentio est, esse hoc Lateranense IV., de quo disputatur. Nam in omni-
bus, quae in Laterano sunt habita, quaeque quatuor numero sunt, Conci-
liis de ope ferenda Christianis adversus Infideles, deque corrigendis vitiis,
quae in disciplinam irrepserant, actum est; verum in quarto etiam de fide
decreta edita sunt, condemnatique Albigenses, atque Almaricus, et error,
in quem Abbas Joachimus incidisse ferebatur. Contra vero in I. Lateranen-
si Concilio tota fuit de solis Investituris disputatio; in II. renovata tantum
est condemnatio, quam viginti ante annos, hoc est anno 1119., Tolosani
Concilii Patres amiserant adversus Petrobusianos, et Arnaldistas, rece-
ptusque est, atque inter suos canones descriptus numero 23. canon. 3. ejus-
dem Concilii; in III. renovantur poenae contra Valdenses, qui jam in Con-
cilio Turonensi an. 1168. condemnati fuerant. Itaque illa, quae in Con-
stantiensi Synodo occurrit, Lateranensis Concilii mentio sine dubio perti-
net ad hoc Lateranense Concilium IV., in quo nova, de quibus in aliis
Conciliis minime actum fuerat, de fide decreta edita sunt. Accedit, quod
ad hoc quartum Concilium non solum occidentales, ut in aliis quatuor
factum est, verum etiam Orientales vocati sunt, ex quibus venere complu-
res, eique interfuerunt Episcopi 412, praeter Vicarios aliorum complurium
Episcoporum, Abbates, Legatos Principum, aliosque multos. Itaque Con-
stantienses Patres cum inter oecumenica Concilia Lateranense numerarunt,
sine dubio intellexerunt hoc quartum, quod ceteris illustrius est, semper-
que ab omnibus oecumenici Concilii loco habitum fuit.

§. V. Serpebat tamen interim, et in dies progredieba-
tur Graecorum odium in Ecclesiam Latinam; idque latius
manere caepit, posteaquam Latini Constantinopoli potiti sunt,

in eaque urbe Balduinum I. Imperatorem elegerunt. Fuerant etiam audaciores aliqui, qui palam, et aperte schisma facere non dubitarunt, eoque amentiae devenerunt, ut irritum putarent Baptismum Latinorum; et violata haberent altaria, in quibus ipsi rem divinam confecerant (1); ac denique, inclinata in Oriente Latinorum fortuna, nullus amplius fuit rerum modus. Romani Pontifices summam dederunt operam, ut schisma comprimeretur, Legatosque ad Graecos miserunt (2); sed horum pertinacia fecit, ut ea res non illum, quem boni cupiebant, exitum consequeretur. Tandem Michael Paleologus Graecorum Imperator, sive ut captaret benevolentiam Latinorum, quorum metuebat potentiam, sive quod esset revera quietis, tranquillitatisque cupidus, Legatos misit, literasque dedit ad Urbanum IV. Summum Pontificem, ut significaret, nihil se habere antiquius, quam ut omnes inter Latinos, et Graecos dissidiorum causae removerentur. Eadem de re actum est Clemente IV. Pontifice, qui proximus fuit Urbani successor (3); denique Gregorius X., qui post Clementem Pontificatu Maximo functus est, ut rem totam absolveret, Legatos misit ad Michaelem, atque indixit Synodum Lugdunensem, ad quam Imperatorem, Patriarcham Constantinopolitanum, Graecosque Episcopos vocavit. Synodus haec, quae est oecumenica XIV. habita fuit an. 1274.; in ea lectae sunt literae Michaelis Paleologi, qui et Spiritum Sanctum a Patre, et Filio procedentem, et Primatum Romani Pontificis divinitus institutum fatebatur (4); itemque literae Episcoporum qui obnoxii erant Patriarchae Constantinopolitano, quique ajebant, se in eadem esse sententia, quam Imperator expresserat (5); omnes se in unum locum convenisse, ut Summo Pontifici, tamquam omnium Capiti, debitos honores haberent (6); sese ipsi subditos confiteri; omniaque in ipso jura Principatus agnoscere, quae sui Majores ante schisma agnoscebant (7); denique se Josephum de Patriarchatu deturbaturos spondebant, si pertinax in sua sententia perseveraret (8). Quod revera factum est; nam Josepho de Patriarchatu dimoto, ei suffectus est Joannes Veccus, qui synodo cum suis Episcopis habita consensionem Graecae Ecclesiae cum Latina, qualis in Lugdunensi Synodo constituta fue-

rat, confirmavit, ac fidei subscripsit formulam, quae primum a Clemente IV., deinceps a Gregorio X. in Orientem missa fuerat (9).

(1) Concilium Lateranense IV. *can.* 4 *loc. cit. col.* 938.

(2) Gregorius IX. Legatos misit ad Graecum Patriarcham Constantinopolitanum, qui tunc Nicaeae penes Joannem Ducam Imperatorem morabatur; sed nihil proficere potuit, quoniam Graeci pertinaciter negabant, Spiritum S. a Filio procedere, uti patet ex actis, quae describit Raynaldus *ad an.* 1233. *num.* 5. *seqq. tom.* 2. *pag.* 76. *seqq. edit. Lucae* 1747. Innocentius IV., qui, eo vita functo, Pontificatum obtinuit, ad Graecos misit Joannem e Parma Ministrum Generalem Ord. Min., ejusque opera gentes complures in bonam frugem redierunt, ut constat ex ejusdem Pontificis *ep* 10. *ad Ottonem Cardinalem Tusculanum* apud Labbaeum *tom.* 14. *Concil. col.* 17.; ac Theodorus Lascaris Jun. Graecus Imperator approbavit leges, cum quibus ei pax oblata fuerat, quae tamen illico expediri non potuit propter eam vocem *filioque*, quae in articulo Spiritus S. Constantinopolitano Symbolo adjecta fuerat, uti testatur Innocentii Successor Alexander IV. apud Raynaldum *tom.* 2. *ad an.* 1256. *pag.* 560. *num.* 50. *et seq. edit. Lucae* epistola, quam ad eumdem Theodorum per Episcopum Urbevetanum misit.

(3) Videndae ea de re sunt literae a Clemente IV. ad Michaelem Paleologum missae, quae descriptae sunt a Raynaldo *ad an.* 1267. *num.* 72. *et num.* 80. *tom.* 3. *pag.* 223.

(4) Sunt haec verba literarum, quae ab Imperatore datae sunt *tom.* 14. *Conc. Labbaei col.* 512. „ Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum, „ et plenum Primatum, et Principatum super universam Ecclesiam catho„ licam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Prin„ cipe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potesta„ tis plenitudine recepisse veraciter, et humiliter recognoscit.

(5) Sunt hae literae his plane conceptae verbis *eod. loc. col.* 515. Dei „ gratia cooperata est, ut habeat ex nobis Apostolica magnitudo, vestrae „ sanctitatis sententiam agnoscere, qualiterque Magnifico Imperatori nostro „ simul communicaverimus in sententia „.

(6) „ Scitote quid nos volumus (ita in iisdem literis scriptum est) quod „ Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto Venerabili Clero . . . con„ venit in unum, ut attribuat prompte vestrae Sanctitati, et Apostolicae „ Sedi quod ad honorem pertinet, nec alium primum, et Summum Pon„ tificem Ecclesiarum omnium nominaturi „.

(7) „ Nos Patriarchalis Constantinopolitanae Sedis (sic habent literae „ *loc. cit. col.* 516) sublimes Pontifices cum omnibus, qui circa nos sunt, „ venerabilibus clericis, per hoc scriptum nostrum vobis conjungi habe„ mus . . . . et nos inclinamus prompte, et magnae vestrae Altitudini sub„ mittimus, et valde gratanter ea, quae sunt spiritualis totius subjectionis „ asserimus, et nihil eorum denegamus, quae ante schisma praestabant „ Patres nostri his, qui Apostolicam regebant Sedem, sed statim et nos „ attribuimus „.

(8) In iisdem literis *ibid. col.* 515. *et* 516. habentur haec, quae licet paulo longiora sint, omitti non debent. „ Nostrum Patriarcham, et sub„ sequentes omnes alios, quotquot convenerant, ut in unum haereant, et „ Sedis ponerent concordiam, obsecravimus. Ipse vero cum magna instan-

» tia tenet, quod agnosci debet primus; et postea, ut iudicat, non decidat ab ista voluntate: nec adhuc a prima sententia; quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est. Utile et pluries nos Praelati correximus ipsum; ipse nequidquam ad praesens acquievit. Nos autem, et nobiscum potentissimus Imperator, injunximus illi a Patriarchali Sede recedenti omnino in una forma solitudinis manere, quae sunt Constantinopoli; Monasteriorum, donec Nuntii ad vestram Sanctitatem accedant, et audiant sermonem vestrum; et si Magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos Delegatos cum nostris reversis Legatis; et nos hunc finem obtinentes, communiter, et interim convenientes attrahemus Patriarcham nostrum: ut si recedere ipsum ab intentione contingat, nobisque inclinaverit, et nos reddet benevolos esse, quod praeteritis temporibus throno Apostolicae Sedis excellens honor attributus est; sic habebimus ipsum Pontificem, etiam spiritualiter, sicut prius, praesidentem. Si vero immutabiliter se habeat in sententia; tunc dependebit omnis necessitas et ipsum dejicere, et Patriarchali Principatu privare. Nos autem constituemus, et promovebimus alium, qui utique consentiat, nobiscumque ejusdem voluntatis esse, et reddere convenientem Primatum summitati Sanctitatis vestrae ».

(9) Haec eadem est formula, quae habetur in literis Michaelis Paleologi lectis in Concilio Lugdunensi, quarum paulo ante facta mentio est. Neque vero mirum est, quod in Lugdunensi Concilio nihil de Primatu Romani Pontificis fuerit constitutum; nam Clemens IV. in iis literis, quas ad Imperatorem miserat una cum fidei formula, quam subscribere oportebat, aperte declaraverat, facile se facturum Concilii generalis copiam, posteaquam Graeci missam ab se formulam subscripsissent, sed minime se passurum, quod in eo Concilio de Pontificis Primatu ageretur, quoniam ea res ita certa, atque explorata erat; ut nullo alio decreto indigeret. Videndus Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. XIII. dissert. 7. art. 1. tom. 8. pag. 350. edit. indic.* Illud non omittam, quod eodem argumento petito ex sessione 39. Concilii Constantiensis, quo aliqui uti paulo ante animadversum est, utuntur, ut Concilium Lateranense IV. oecumenicum habendum negent, eodem inquam se ostendere arbitrantur posse, et hoc Concilium Lugdunense II. inter oecumenica non esse numerandum. Sed quod de Lateranensi diximus, cadit etiam in hoc Lugdunense. Scilicet etiamsi dicamus, Constantiensis Concilii Patres omnia oecumenica Concilia, re quaesita, et expensa diligenter, recensere voluisse, (qua de re neque actum, neque definitum aliquid est) tamen dubitari non potest, quia istud ipsum sit Lugdunense Concilium II., quod ab iis Patribus memoratur. In hoc enim, cui quingenti Episcopi interfuerunt, tum contra ad primum Lugdunense Concilium venere tantum Episcopi centum et quadraginta, actum est de concilianda utriusque Ecclesiae concordia, et schismate removendo: qua de re proposita est fidei professio, quae cuncta comprehenderet, ac praesertim fidei articulum de Spiritu S. non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedente: qui quidem articulus, unde omnis dissidiorum causa procedebat, speciatim primo canone constitutus est. Contra vero in Concilio Lugdunensi I., quod habitum est Innocentio IV. Pontifice an. 1245., nihil de fide definitum, sed tantum actum est de condemnando Friderico II. Imperatore, deque coercendis tum Graecis schismaticis, qui sub Joanne Duca regiones omnes usque ad maenia Constantinopolis vastaverant, et diripuerant, tum Scithis, qui Hungariam invaserant.

§. VI. Ita res in vado posita videbatur, sed brevi novae tempestates commotae sunt. Fortasse ipse Michael Paleologus, aut certe ejus filius Andronicus concordiam violavit; licet horum uterque sacramento promisisset, sese eam perpetuo servaturum. Romani Pontifices nihil omiserunt, quantum facere, enitique poterant, ut pax redintegraretur, ipsique Graecorum Imperatores sese concordiae, pacisque cupidos ostenderunt; verum sive haec esset eorum simulatio, et inanis ostentatio, praeterea nihil, sive Patriarchae, Episcopi, Clerusque Graecorum mallent in dissidio, ac dissensione persistere, nihil profectum est. Tandem, Graecorum Imperatore Joanne Paleologo, ab Eugenio IV. Summo Pontifice habita est Florentina Synodus, oecumenica XVIII. (1), qua omnia quaesita, et cognita diligenter sunt, sublatisque dissidiis Latinae, et Grecae Ecclesiae concordia stabilita est (2). Huic Concilio interfuerunt ipse Graecorum Imperator Joannes Paleologus, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, aliique magno numero Graecorum Episcopi., omnesque, excepto Marco Metropolita Ephesino, paucisque aliis, decretum de Primatu Summi Pontificis in tota Ecclesia subscripserunt (3). Patriarcha Constantinopolitanus, qui morte occupatus, antequam Concilium absolveretur, cum ceteris decretum subscribere non potuit, suam aperuit sententiam testimonio, quod dedit paulo antequam moreretur, cum homines sine fuco, ac fallaciis intimos animi sensus vere, ac libere patefaciunt (4). Fuit hic felix, fortunatusque exitus Concilii Florentini; sed longe alius fuit eventus eorum, quae postea consecuta sunt. Nam, ut scribit Nicolaus V. Summus Pontifex in literis, quas ad Constantinum Imperatorem Joannis Paleologi fratrem dedit, Joannis ipsius, quo praesente Concilium habitum est, nimium in res civiles studium fecit, ut alius esset rerum exitus, quam qui futurus videbatur (5). Accesserunt calumniae adversus synodum Marci Metropolitae Ephesini, qui cum ejusdem synodi decretum subscribere noluisset, ac pervicax in errore perstaret, quem animo imbiberat, reversus in Graeciam et verbis, et scriptis Graecorum animos antiqua schismatis consuetudine male affectos facile a concordia distraxit,

atque in schismate confirmavit. Post hoc tempus Graeci semper perseverarunt in schismate, cujus et causas, et initium, et progressum exposuimus, ut omnes intelligant, quales homines, et quo animo affecti Primatui Romani Pontificis bellum indixerint.

(1) Florentinum hoc Concilium Gallis oecumenicum esse negat Cardinalis a Lotharingia. Sed cum ad illud omnes ex toto orbe Episcopi vocati fuerint, cum ei Summus Pontifex praefuerit, cum illi libere sententiam dixerint, et eorum major, saniorque pars una consenserit, dubitari certe non potest, quin oecumenicum Concilium sit, secundum ea, quae a Synodo Nicaena II. oecumenica VII. constituta sunt *Act.* 3. *tom.* 8. *concil. Labbaei col.* 827. Huic quidem Concilio Galliarum Episcopi non interfuerunt, fuere tamen omnes vocati, sed ad illud accedere prohibiti sunt a Rege, qui cum nosceret dissensionem inter Pontificem, et Episcopos, qui Basileam convenerant, sui regni Episcopos Ferrariam, aut Florentiam ire noluit. Id vero impedimento esse non potest, quominus Concilium oecumenicum habeatur; secus enim, ut inquit Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 5. *cap.* 3, quivis in republica Princeps, si ei Synodus displicuerit, imperturbare eam nullo negotio poterit, dicta lege, ne suorum Episcoporum aliquis ad eam accedat. Carolus quoque Magnus Galliarum Episcopos ad Nicaenam Synodum II. ire prohibuit, et tamen hanc synodum inter oecumenicas numerari constat. Quod si Florentinum Concilium non est generatim in Gallis receptum, illud plane certum, exploratumque est, Clerum Gallicanum non modo nihil umquam verbo, factoque egisse adversus articulos definitos, atque in unionis decreto comprehensos, sed etiam eos semper firmos ratosque habuisse in iis quoque, quae pertinent ad Primatum jurisdictionis Romani Pontificis divinitus institutum. Illud in Galliis oecumenicum non haberi censuit Cardinalis a Lotharingia, propterea quod ab eo Gallicanas, quas vocant, libertates aliqua ex parte sublatas existimavit: verum postquam Duvallius, aliique Gallicani Theologi de conciliandis his libertatibus cum decretis Concilii Florentini laborarunt, Gallorum plerique idem Concilium inter oecumenica recensere non dubitarunt. Cujus quidem rei testimonium perhibet Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 15. *dissert.* 10. *art.* 1. *tom.* 9. *pag.* 503. *edit. ejusd.*, atque etiam Opstraetus, qui Gallicanas Libertates summa ope, studioque tuetur *de loc. theolog. dissert.* 5. *quaest.* 2. *object.* 6, iisdem libertatibus minime adversari defendit Concilium Florentinum, cui suum inter oecumenica adscribit locum *dissert.* 4. *quaest.* 5. Consule Cardinalem Orsium *de Rom. Pontif. auctor. lib.* 6, *cap.* 12. *art.* 2. *pag.* 490. qui Florentinam Synodum Gallis oecumenicam esse datis testimoniis ostendit.

(3) Decretum Concilii Florentini *sessione, seu collat.* 22. *tom.* 18. *Concil. Labbaei col.* 526. *et* 527. his est conceptum verbis „ definimus S. Apo„ stolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere „ Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri „ Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae „ caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; et ipsi „ in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a „ D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam „ in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus contine„ tur „ et iterum *col.* 1183.

(3) Vide idem Concilium *col.* 1186.

(4) Fidei professio, quam Josephus Patriarcha Constantinopolitanus emisit, cum ad vitae exitum properaret, extat in actis ejusdem Concilii *col.* 506., eaque est hujusmodi: » Quoniam ad finem vitae meae perve- » ni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo, et subscribo » sententiam meam aperte universitati filiorum meorum. Omnia igitur, » quae sentit, et quae dogmatizat Catholica, et Apostolica Ecclesia D. N. » Jesu Christi senioris Romae, ipse quoque sentio, et iis me acquiescen- » tem do, ac dico. Profiteor quoque beatissimum Patrem Patrum, et ma- » ximum Pontificem, et Vicarium D. N. Jesu Christi antiquae Romae » Papam ad certam omnium fidem, nec non Purgatorium animarum. In » horum quippe fidem subscriptum est die mensis Junii nono, millesimo » quadringentesimo trigesimonono, indictione secunda ».

(5) Epistolam hanc, quam Nicolaus Pontifex dedit ad Constantinum Imperatorem, describit Raynaldus *ad an.* 1451 *tom.* 9. *pag.* 564. *seq.*

§. VII. Graecorum exemplum primi omnium inter Latinos circa annum 1160. imitati sunt Waldenses, quorum fuit haeresis, neminem esse in Ecclesia, qui ceteris praestet, rejicienda esse nomina Papae, Episcopi, similia, neque Summum Pontificem Ecclesiae caput a Christo fuisse constitutum (1). Sed genus hominum Sacerdotio, et Imperio inimicum utraque Potestas condemnavit; Ecclesiastica nimirum in Concilio Turonensi, cui praefuit Alexander III. Summus Pontifex, atque in duobus Lateranensibus Conciliis III., et IV., civilis autem per leges, quas Fridericus II. Imperator (2), et Alphunsus Arragoniae Rex (3) ediderunt. Saeculo XIV., cum propter facinus Ludovici Bavari, qui anno 1323. generale Concilium appellaverat, graviores inimicitiae exarsissent inter ipsum Ludovicum, et Joannem XXII. Summum Pontificem, Marsilius Patavinus, et Joannes Jandunus, homines Imperatori servientes, et male animati in Pontificem scripsere librum cum titulo *de jurisdictione Imperiali, et Pontificia,* qui liber anno 1324. Marsilii nomine in vulgus emissus est. In eo libro, preter ceteros errores, quos cum suis auctoribus condemnavit Joannes XXII. (4), scriptum est Christum rediisse ad Patrem, neque ullum constituisse visibile Ecclesiae caput, neque item ullum sui vicarium in terris reliquisse, praeterea parem cum ceteris Apostolis potestatem Petro fuisse attributam. Ita redintegratus est error Waldensium per hos homines, quos transversos agebat odium in Sedem Apo-

stolicam, et gratia, ac potentia Imperatoris, qui ut noceret Pontifici, nullum ab se statuendum putavit modum odii, et inimicitiarum, eoque audaciae pervenit, ut anno 1327. conventu habito Tridenti, cui etiam Marsilius interfuit, Joannem XXII. et haereticum esse, et ex Pontificatu maximo cecidisse declaraverit.

(1) Confer Natalem Alexandrum *loc. indic. cap.* 4. *art.* 13. §. 2. *pag.* 78. *tom.* 7.
(2) Videndus Goldastius *Constit. Imper. tom.* 1. *pag.* 295.
(3) Regiam hanc Constitutionem Alphonsi refert Franciscus Pegna *in commentar. ad director. Inquisit. Eymerici pag.* 281.
(4) Confer Raynaldum *ad an.* 1327. *num.* 27. *tom.* 5. *pag.* 364. *seq.*

§. VIII. Eodem saeculo, nimirum circa annum 1327. Joannes Wicleffus ausus est contendere, quod „ non „ est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam „ esse supremam inter alias Ecclesias (1) „. Eumdem hunc errorem sequutus est Joannes Hussius, cujus triginta sunt articuli, quos Constantiensis Synodus condemnavit, sed inter eos VII., IX., XXVII., XXIX. ad Primatum pertinent. In his negat Hussius, Petrum fuisse Ecclesiae caput, Pontificiam dignitatem, atque auctoritatem totam ab Imperatore repetit; nullum ait esse necessarium, quod semper praesit, Ecclesia caput; Apostolos, fideles que Sacerdotes semper strenue rexisse Ecclesiam affirmat, idque eos et in posterum facturos pronunciat, si Papatus desit, quod facile evenire potest (2). Errores Joannis Wicleffi comprehensi articulis quadraginta quinque condemnati fuerunt ab Academia Oxoniensi, ad Universitate Pragensi, a Sacra Facultate Parisiensi, a Concilio Romano sub Joanne XXIII., denique anno 1415. a Concilio Constantiensi (3). Quae synodus damnavit etiam errores Joannis Hussii, qui supplicium pertulit eadem audacia, et obstinatione, qua vixerat.

(1) Concilium Constantiense *sess.* 8. *tom.* 16 *Concil. Labbaei col.* 121 Atque hic quidem ex quadraginta quinque articulis Wicleffi est numero quadragesimus primus.

(2) Idem Concilium *sess.* 15. *col.* 249.
(3) Ibidem *col.* 249. *et* 250. Videsis Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec. XV. tom.* 9. *pag.* 70. *et* 71.

§. IX. Haereticorum audacissimus ille proditor catholicae Religionis, et desertor Instituti, quod data Deo fide susceperat, Martinus Lutherus contemnens impudenter, quae toties summo studio expensa, ac definita fuerant, palam, et audacter caput extulit contra Primatum Summi Pontificis, et contra decretum a Constantiensi Concilio editum saeculo superiori. Contendere caepit, inter articulos Joannis Hussii ab eo Concilio proscriptos quosdam esse plane catholicos, atque evangelicos, quos universalis Ecclesia damnare non poterat; atque inter eos numerat articulum XLI. Wicleffi, quem Hussius sequutus fuerat, et quo uterque contendebat, minime ad aeternam salutem necessarium esse credere, quod Romana Ecclesia supra ceteras Primatum habeat; itemque articulum Hussii IX., in quo Pontificia dignitas, atque potestas ab Imperatore repetitur, atque in his articulis, aliisque similibus errores contineri omnino nullos affirmat (1). Tum suam de Petri, ejusque successorum Primatu sententiam aperuit, eumque esse ait meri ordinis, et honoris, non item potestatis, et jurisdictionis. Lutheri doctrinae multis in rebus affinis Joannes Calvinus, novarum haereseon architectus, ac princeps, et ipse arma cepit contra Primatum, quem tantum ordinis, non auctoritatis Petro concessum putat. Quod si etiam Petrus videatur habuisse Primatum, per quem ceteris Apostolis anteferendus esset, hic quidem ab iisdem Apostolis datus est arbitratu suo, neque ad ejus successores deferri debuit; Primatus autem Ecclesiae Romanae neque a Christi instituto, neque ab antiquae Ecclesiae consuetudine repetendus est (2). Commenta haec sunt Joannis Calvini, qui cum renovaret errores Wicleffi, Hussii, Lutheri, eadem, qua hi, nota, atque ignominia condemnatus est; nihilo tamen minus peculiari quoque judicio notatus est in iis locis, in quibus ea pestis, atque pernicies praecipue grassabatur (3). Denique Spalatensis Apostata M. Antonius de Dominis, cujus in ani-

mum sive metus antiquae Religionis, quam deseruerat, sive aliquae in eam amoris reliquiae, et studium, quo rapiebatur, rerum novarum, absurdum induxerant, et inane consilium conciliandarum cum somniis Lutheranorum, Calvinianorum, Anabaptistarum catholicarum veritatum, detestabili libro *de Republica Christiana*, errores Joannis Hussii in medium revocavit. Nam docuit impudentissime, nullum esse in Ecclesia supremum caput, praeter unum Christum; eum per multos ministros sine omnino visibili capite Ecclesiam regere; Romanam Ecclesiam nullum plane regimini, et jurisdictionis principatum obtinere. Quae doctrina errores Hussii a Constantiensi Concilio damnatos perspicue comprehendit. Resipuit hic homo cum Romam venisset; sed brevi rediit in coenum, quo oblitus antea fuerat, ejusque errores condemnati, et scripta cum ejus cadavere carnificis manu publice cremata sunt (4).

(1) Errores suos in medium protulit Lutherus praesertim in thesibus, quas Lipsiae proposuit anno 1519., cum adversus eum Joannes Eckius disputare deberet, cujus quidem disputationis acta ab ipso Luthero referuntur *tom.* 1. *opp.pag.* 243. Omnes Lutheri errores comprehensos articulis 41. damnavit Leo X. in Bulla *exurge Domine* 44. *tom.* 3. *par.* 3. *Bullarii Roman. edit. Mainardi pag.* 487., quae data est XVII. Kal. Julii an. 1520. Sed homo pertinax audacter defendit errores suos duobus operibus, quorum alterum inscripsit *Adversus execrabilem Bullam Anti-Christi* „ alterum *Assertio articulorum a Leone X. damnatorum* „ quod utrumque extat *tom.* 2. *opp. Lutheri.*

(2) Sic ipse Calvinus *Instit. lib.* 4. *cap.* 6., quod opus Basileae primum editum est an. 1533.

(3) Eadem de Primatu Lutheri erat, et Calvini doctrina, ideoque illo proscripto a Leone X. nihil opus erat, quod ejusdem socius erroris iterum proscriberetur. Sed quoniam in Galliis potissimum hi errores versabantur, Sacra Facultas Parisiensis anno 1542. edidit articulos vigintiquinque, quibus Lutheri, et Calvini haereses refutabantur, quique quasi Fidei formulam comprehendebant, eusque in vulgus emitti jussit Franciscus I. Galliarum Rex, ut videre est apud Fontanonium *Regiar. Constit. collect. tom.* 4. Eosdem articulos, praeter ceteros, probavit, atque recepit Synodus Provincialis Narbonensis, quae habita est an. 1551., ex his vero vigesimus tertius his est conceptus verbis. » Nec minus certum est, unum esse jure » divino Summum Ecclesiae militantis Pontificem, cui omnes Christiani » parere tenentur ». Etiam Universitas Lovaniensis an. 1545. contra Lutheri errores doctrinae corpus absolvit, quod in vulgus emitti, atque ab omnibus observari mandavit Carolus V. Imperator apud Goldastium *Constit. Imper. tom.* 1. *pag.* 514. Lutheri, Calvini, atque aliorum haereticorum errores saeculo XVI. Tridentina Synodus profligavit.

(4) Opus M. Antonii de Dominis *de Republica Christiana* condemnavit, atque illam de Primatu Summi Pontificis hujus hominis sententiam confixit his verbis *haec propositio est haeretica quoad singulas partes* : his autem improbavit sententiam alteram contra Principatum Romanae Ecclesiae. » Haec propositio est haeretica, et schismatica, quatenus aperte insinuat » Romanam Ecclesiam jure divino in alias Ecclesias non habere jurisdictionem ». Extat haec censura apud Bailium *apparat ad summam Concil. tom.* 1. Multi quidem M. Antonium de Dominis usque ad obitum in errore perseverasse existimant; verum Franciscus Antonius Zaccaria eum, antequam moreretur, errores suos ejurasse, et sacramenta suscepisse ostendit *de doctis catholicis viris qui cl. Justino Febronio in scriptis sui retractan. praeiver. in append. pag.* 62. *seqq. et pag.* 130. *not.* 1.

§. X. Deliramenta hominum perditorum paulo longiori sermone exposuimus, ut pateat, quales habeat adversarios Primatus Summi Pontificis, quae de eo constans, ac firma sit, semperque fuerit Ecclesiae sententia, quantum boni omnes soliciti esse debeant de hoc tuendo, conservandoque Primatu, in quo Christus primum esse voluit in terris Ecclesiae fundamentum. Ex iisdem tamen, quas memoravi, scholis recentiori aetate prodierunt haeretici complures, et qui se nomine catholicos profitentur, re tamen vera cum illis sentiunt, qui rem tam certam, tamque exploratam in discrimen revocare studuerunt ratiunculis quibusdam inanissimis, quibus Lutheri, Calvini, ceterorum, quos habent magistros, commenta illustrare conati sunt (1). Quin fuit etiam vir perabsurdi ingenii (2), qui cum Anglos, quos Episcopalis vocant, Romanum Pontificem in uno Episcopatu, non item in Primatu Petri successorem habere (3) intelligeret, ipse ut indulgeret genio rerum novarum, atque ab omni hominum opinione disjunctissimarum, eidem Pontifici Petro successionem in Primatu concessit, in Episcopatu autem nullo modo. Sed horum ineptias viri docti satis superque refutarunt (4); itaut in iis iterum refutandis frustra a nobis terendum tempus, atque opera consumenda videretur. Firmum igitur, immotumque sit, quod est omnium Ecclesiarum singulari consensu, temporisque diuturnitate firmatum, Petrum venisse Romam, in eaque Urbe usque ad vitae exitum Episcopatum obtinuisse, posteaquam praefuerat Antiochiae, ubi primum est auditum nomen Christia-

norum, quoniam aequum erat, ut illud oriretur in ea civitate, cui praeerat, qui primas in Apostolico collegio partes obtinebat. Itaque qui Petri successores sunt Romani Pontifices ei tum in Episcopatu Romano, tum in totius Ecclesiae Primatu succedere debuerunt.

(1) Longum est numerare omnes, sed praeter eos, quos Mamachius nominat. *loc. cit. cap.* 4. *et* 5. *pag.* 211. *not.* 2. *et pag.* 591., imprimisque Lutherum, Calvinum, Chamierum, Tilenum, Spanhemium, Salmasium, Pasnagium, in hoc tam gravi errore versantur Joannes Gerardus *tom.* 2. *confess. cathol. lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 2. *pag.* 468. *seqq. edit. an.* 1660., Salomon Vantilius *dissert. de Pêtro Romae Martyr. non Pontif. edit. Lugdun. Batav.* 1710., Joannes Huselmannus *disquisit. histpr. theolog de Eccles. Papistic. non haben. success. Episcop. continen. edit. Wittemberg.* 1640. Salomon Deylingius *exercit. de novit. regim. Monarch. in Eccles. observ.* 1. §. 4. *pag* 424. *tom.* 4. *observ sacrar. edit. Lipsiae* 1747. Inter eos, qui Lutheri, Calvini, ceterorum similium partibus summa animi contentione studuerunt, locum obtinet vel imprimis nobilem, atque illustrem tum Auctor libelli cujusdam *de Primatu Rom. Pontificis Londini edit. an.* 1770. qui omnium errores complecti videtur, ac suadere conatur, Primatum Rom. » Episcopi intes alios Episcopos nullum, nisi honorificum esse, et illum » Primatum nec divinum, nec jurisdictionis esse », tum auctor alterius libelli cui titulus *Il Papa o siano ricerche sul Primato di questo Sacerdote Eleutheropoli* 1783. Quo in libello mira est impudentia pari cum imperitia conjuncta, ejusque auctor, quisquis ille sit, id sibi unum proposuisse videtur, ut se Wicleffi, Lutheri, Calvini discipulum ostendat. In eodem luto haesitat Eybelius suo illo miserando libello *quid est Papa*? quem damnavit Pius VI. Summus Pontifex in Brevi *super soliditate* edito die 28. Novembris 1786., quemque Hyacinthus Cardinalis Gerdilius, et Mamachius peculiaribus operibus refutarunt. Hoc certum est, in Ecclesia numquam defuturas procellas, et tempestates, et hae in ejus caput convertantur necesse est; quoniam eo, si fieri posset, sublato, nulla amplius esset una catholica Ecclesia, qualem Christus instituit. Non omnes autem easdem persequuti sunt vias, ut Primatum Summi Pontificis impugnarent. Quidam enim omnes Apostolos inter se pares fuisse existimant, aut saltem Paulum Petro aequalem faciunt, adeo ut ex utroque Ecclesiae capite unum compositum sit, quae fuit Arnaldi sententia *de frequen. comunion. in praefat.* Contra quem cum multi in Gallia scriberent, in lucem prodierunt pro tuenda Arnaldi sententia an. 2645. libelli duo, quorum alter inscribitur *de l' autorité de S. Pierre et de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apôtres*; alteri vero titulus est *la grandeur de l' Eglise Romaine etablie sus l' autortié de S. Pierre, et de S. Paul*, quos libellos eisque consentaneam propositionem die 20. Januarii an. 1647. Innocentius X. condemnavit. Alii Petrum vel numquam Romae fuisse, vel ibi numquam Episcopum sedisse putant; alii contra in Episcopatu, non item in Ecclesiae Primatu Romanum Pontificem Petri successorem faciunt; alii tantum ei Primatum tribuunt dignitatis, non jurisdictionis; alii non divino, sed tantum humano jure Primatum constitutum existimant. Nec defuerunt, qui inventa fabula Joannae Papissae Romanorum Pontificum successionem in-

terruptam crederent, quam fabulam, praeter Schererum, Allaccium, Labbaeum, ceteros, refutarunt Blascus *Diatrib. de Joanna Papiss.* et Card. Garampius *dissert. de Nummo Bened. III.*

(2) Fuit haec sententia Joannis Harduini, cujus ingenium perabsurdum, rerum novarum cupidum, et abreptum studio inducendi Scepticismum in historiam omnes norunt.

(3) In hac olim sententia fuit Nilus Episcopus Thessalonicensis *in lib. advers. Primat. Papae*; et huc etiam spectant, quae scripserunt Pearsonius *dissert. de serie et success. prim. Rom. Episcop. cap.* 6. §. 2. *seqq. pag.* 28. *seqq. cap.* 4. §. 3. *seqq. pag.* 72. *seqq. edit. Londin.* 1687., Dodwellus *dissert. singul. de Pontif. Rom. primaev. succession. cap.* 3. *pag.* 13., quae Pearsonii dissertationibus modo indicatis adjecta est, Usserius *de Papat. Roman. cap.* 1. *pag.* 1. *seqq. edit. Londin.* 1617., Hamondus *dissert.* 5. *de jur. Episcop. cap.* 1. *pag.* 255 *seqq. edit. Londin.* 1651.

(4) In hoc argumenti genere, praeter Bellarminum *Controv. de Sum. Pontif. lib.* 2. *cap.* 1. *seqq opp. tom.* 1. *pag.* 298. *seqq. edit. Venet.* 1721, Baronium *ad an.* 44. *num.* 25. *tom.* 1. *pag.* 297. *edit. Lucae* 1738., Schelestratinm *Antiquit. eccles. tom.* 2. *dissert.* 3. *cap.* 1. *seqq. pag.* 148. *seqq. edit. Romae* 1692., Bianchium *della podestà, e polizia della Chiesa tom.* 8. *lib.* 1. *cap.* 3. §. 2. *pag* 256. *seqq.*, aliosque complures, omnium copiosissime, et accuratissime versatus est Mamachius *Origin. et antiquit. Christian. lib.* 4. *cap.* 4. *et* 5. *tom.* 5. *pag.* 541. *seqq.*

§. XI. Sane ea de re, nimirum de Petri adventu in Urbem Romam (1), ibique ab eo gesto Episcopatu, et morte obita pro Christi fide (2), Patrum omnium concors est traditio; quo factum est, ut ipse moriens ad suos successores Romanos Pontifices et Episcopatus, et Primatus jura transmiserit (3). Ac Primatus quidem ita affixus est Sedi Romanae, ut ab ea sejungi, atque in alium Episcopum transferri nulla ratione possit. Cum enim Christus Primatum Petro attribuerit, ipseque sedem posuerit Romae, ubi mortuus est, sequitur ut Primatus haerere in Sede Romana, atque ad omnes hujus Sedis Episcopos transferri debeat. Nam si in alium transferretur Episcopum, hic non esset Petri successor; eaque res adversaretur institutioni, et voluntati Christi, qui tantum Petri Successores Ecclesiae Principatum obtinere voluit (4). Itaque ad Romanos Pontifices Petri jura deferri debuerunt; et certe omnium Conciliorum semper constans fuit, ac firma sententia, eosdem Pontifices, quod Petro Apostolorum Principi successerint, Principatum in Ecclesia obtinere (5). Quibus consonant Patres omnes, atque Scriptores, quorum de ecclesiasticis rebus opera ad nos pervenerunt (6).

(1) Petrum Romae fuisse, ex eaque Urbe literas dedisse ad Christianos Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bytiniae, non obscure deprehenditur ex ejusdem Petri *ep.* 1. *cap. V. vers.* 13., ubi inquit *salutat vos Eclesia in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Nam Babylonis nomine Roma designatur, uti apud Joannem Apocalyps. *cap. XVII. vers.* 5. *et cap. XVIII. vers.* 10.; et huc quoque spectant Tertullianus *advers. Judaeos cap.* 9. *pag.* 193. *et advers. Marcionem lib.* 3. *cap.* 13. *pag.* 404., et Augustinus *de Civit. Dei lib.* 13. *cap.* 22. *opp. tom.* 9. *col.* 663. Papias autam Apostolorum discipulus apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 59. *edit. Taurin.*, et Hieronymus *de vir. illustr. in Marco cap.* 8. *opp. tom.* 2. *col.* 843. diserte tradunt, Babylonis nomine, cujus Petrus meminit, urbem Romam significari. Quod confirmat illa mentio Marci, qui discipulus fuit, atque interpres Petri, quique rogatus a Romanis, qui Petrum ipsum audierunt, Evangelium scripsit, antequam Alexandriam proficisceretur. Franciscus Voltairius homo levis ingenii, et omnis expers relgionis, atque arrogantiae, maledictorum, calumniarum plenissimus *in Dictionnaire Philosophique verb. Pierre*, quod opus singulari decreto Curiae Parisiensis die 19. Martii 2765. publice igni comburendum traditum fuit, nullum ait extare monumentum de hoc Petri adventu ad Urbem Romam, neque Babylonis nomine eamdem Urbem intelligendam esse. Verum Petrum fuisse Romae, res est ita omnium consensu probata, ut de ea dubitari ne levissime quidem possit. Nobiscum autem non solum Patres, et catholici Scriptores, sed etiam Protestantes consentiunt. Sic enim Grotius *in epist. I. Petri cap. V. vers.* 13. *inter critic. sac. tom.* 8. *col.* 175. *edit. Amstelod.* 1698. » De Babylone, *inquit*, dissident veteres, et novi Inter- » pretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse, nemo verus » Christianus dubitavit; novi Babylonem in Chaldaea. Ego veteribus as- » sentior ». Et Basnagius *Annal. Politico Eccles. ad an. Chr.* 64. *n.* 9. *seqq. pag.* 727. *ed. Roterod.* 1706. » Petrus, *inquit*, monente Deo, in Ur- » bem se contulit. Neque ulla umquam traditio fuit, quae majore testium » numero cingatur; ut de Petri in Urbem adventu dubitari non possit, » quin omnia historiae fundamenta convellantur ». Consule Scriptores, quos paulo post indicabo.

(2) Consulendi inter ceteros sunt Thomas Waldensis *Doctrin. fidei lib.* 2. *art.* 1. *cap.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 270. *seqq. edit. Venet.* 1757., Baronius *ad an. Chr.* 44. *num.* 25. *tom.* 1. *pag.* 296. *edit. Lucae*, Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom* 3. *pag.* 9. *edit Venet.* 1766., Ceillierus *Histoir. general des Auteurs sacr. et ecclesiast. liv.* 2. *chap.* 9. *art.* 1. *num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 443. Schelestratius *Antiquit. Eccles. dissert.* 3. *tom.* 2. *pag.* 148. *seqq. edit. Romae* 1697., et Mamachius *Origin. et Antiq. christian. lib.* 4. *tom.* 5. *pag.* 386. *seqq. et pag.* 593. Anno 1770. Romae vulgati sunt *libri duo Gregorii Cortesii S. R. E. Cardinalis de Romano itinere gestisque Principis Apostolorum* cum notis Vincentii Alexandri Constantii. Idem argumentum pertractavit Petrus Fogginius *de Romano D. Petri itinere*, in eodemque etiam summa cum doctrina, et laude versatus est eruditissimus Cardinalis Borgia *Vaticana confessio*.

(3) Videndus idem Mamachius *eod. loc.* Ac si in episcopatu Lini successores sunt Romani Pontifices, dubitandi locus esse nullus plane potest, quin et Petri successores in Primatu haberi debeant. Nam in ecclesiasticis monumentis ut Linus, ita etiam Petrus in Romanorum Episcoporum serie numeratur. Linus, inquit Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5 *pag.* 82. *edit. Taurin.* 1746. „ primus post Petrum Romanorum Ecclesiae Episco- „ patum tenuit „. Quod etiam scriptum reliquerunt Augustinus *epist.* 53.

num. 2 opp. tom. 2. col. 160. edit. indic., Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 2. *pag.* 36. *edit. Paris.* 1676., Epiphanius *haeres.* 7. *vel* 27. *num.* 6. *tom.* 1. *pag.* 107. *edit. Coloniae* 1682. Vetus Auctor carminum contra Marcionem *lib.* 3. *pag.* 635. *opp. Tertulliani edit. Venet.* 1744. Hyginum Petri successorem vocat, Cyprianus *ep.* 51. *ad Antonian. pag.* 243. *edit. indic.* Cornelium Pontificem Petri successorem agnoscit. Consule cathalogos Romanorum Pontificum, quos numerat Mamachius *ead. pag.* 386. Sed sive Linus, sive Clemens, sive alius immediatus Petri successor fuerit, illud exploratissimum est, fuisse unum certum, et singularem, eosque omnes serius ocyus Petro, his autem omnibus Romanos Pontifices successisse, uti rectissime animadvertit Petavius *de Eccles. Hierarch. tom.* 6, *theolog. dogmat. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. *et* 4. *pag.* 76. *edit. Venet.* 1757.

(4) Cum Petrus, ut inquit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. » Romae sedem constituerit, eamque usque ad mortem „ retinuerit, sive id evenerit ex divino praecepto, seu expressa revelatione „ ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet „ divinitus inspirata: inde factum est, ut supremi Pontificatus praeroga- „ tiva ita insita remanserit Romanae Sedi, ut qui in hac Petro succe- „ dit, necessario succedat in totius Ecclesiae Primatu Petro, ejusque le- „ gitimis successoribus a Christo collato „, Consule, praeter ipsum Benedictum XIV., Mamachium *ad Auctor. opusc. quid est Papa ? ep.* 6. *num.* 2. *pag.* 63. *et seq.*, Ballerinium *Vindic. Auctor. Pontific. etc. cap.* 8. §. 2. *pag.* 225, *seqq. edit. August. Vindelic.* 1770., dissertationem Augustoduni editam an. 1782., cui titulus *Epistola Sitlasipi a Lapide in causa, an Summus Pontificatus a Romanâ Ecclesia avelli, et alio transferri possit* ?, Cardinalem Gerdilium *Confutazione di due libelli etc tom.* 1. *pag.* 175. *et tom.* 2. *pag.* 73. 80. 182. 190. Graecorum schismatis Auctor praecipuus Photius primus, ut observat ipse Cardinalis Gerdilius *loc. cit. tom.* 2. *pag.* 81., Ecclesiae Primatum ex cathedra antiquae Romae ad Sedem novae Romae traduci posse existimavit, quem errorem ante conclusum in regione schismaticorum consequentibus annis haeretici integrarunt, et huc etiam referri potest propositio Wicleffi ajentis „ non est de necessita- „ te salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Eccle- „ sias „.

(5) In Concilio Nicaeno priorem occuparunt locum. Gosius Cordubensis Episcopus, Vito, seu Victor, et Vincentius Presbyteri, qui Sylvestri Pontificis vices gerebant, uti testantur Socrates *Hist. Eccles. lib.* 1. *c.* 13. *p.* 36. *ed. Taurin.* 1747., Gelasius Cyzicenus *Histor. Concil. Nicaen. lib.* 2. *cap.* 5. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 162. *edit. indic.*, Photius, licet Romanae Ecclesiae hostis infensissimus, *in Biblioth. Cod.* 88. *pag.* 207. *edit. Rothomag.* 1653. Certe Patres illi haud sivissent Sylvestri Romani Pontificis Legatos ceteris Episcopis primarum Sedium anteferri in consessu, totique Concilio praesidere, nisi vetere traditione constare intellexissent, Petri successorem, qui Primatum in Ecclesia obtinet, principem in eo consessu locum tenere oportere. Hinc ut ostenderetur, quam necessaria esset omnium Ecclesiarum cum Petri Sede conjunctio, statutum est, ut in *Literis Formatis*, quarum commercio, ut inquit Optatus Milevitanus *loc. cit.* „ totus orbis cum illa una communionis societate concordat „, praeter quatuor graecas literas Π. Υ. Π. Α., quibus sacrosancta Trinitas significabatur, nimirum πατὴρ *Pater*, υἱὸς *Filius*, πνεῦμα ἅγιον *Spiritus Sanctus* non solum, ΑΜΗΝ describeretur, ut hanc a Graecis inductam consue-

tudinem pateret, sed etiam adderetur π. litera Apostolum Petrum indicans, ut cuncti noscerent, disjungere sese ab ea Sede licere nemini. Videsis Mambillonium *Mus. Italic. tom.* 1. *pag.* 240. *seqq. edit. Paris.* 1714. Atque hunc ipsum Romanorum Pontificum, tamquam Petri successorum, in tota Ecclesia Primatum confirmat Concilium Ephesinum *act.* 2. *tom.* 3. *concil. Labbaei col.* 1150. *et act.* 3. *col.* 1154., Chalcedonense *par.* 1. *tom.* 4. *col.* 778. *et par.* 3. *cap.* 2. *col.* 1775., Constantinopolitanum III. *in sermon. prosphonet. act.* 18. *tom.* 7. *col.* 1090., Constantinopolitanum IV. *act.* 3. *tom.* 10. *col.* 517. Mitto reliquas synodos oecumenicas, quae habitae deinceps sunt, quoniam in iis Romani Pontificis Primatum fuisse confirmatum, ne Adversarii quidem negant. Quod oecumenicis, id etiam plenariis, nationalibus, provincialibusque conciliis probatum est. Sic Concilium Arelatense I. in epist. ad Sylvestrum P. *tom.* 1. *Concil. Labbaei col.* 2449., Sardicense *in epist. ad Julium P. tom.* 2. *col* 377., Milevitanum ejusdem anni *in epist. ad ipsum Innocentium tom.* 3. *col.* 388., Tarraconense *an.* 465. *tom.* 5. *col.* 85, Arausicanum II. *an.* 529. *tom.* 5. *col.* 809., Constantinopolitanum sub Menna an 536. *act.* 1. *tom.* 5. *col.* 986. *et* 1002. *act.* 4. *col.* 1051.

(6) Videndi sunt Irenaeus *contra haeres. lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Venet.* 1734., Egesippus apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 22. *pag.* 155. *edit. Taurin.* 1746., Athanasius *Histor Arianor. ad Monach. num.* 35. *opp. tom* 1. *pag.* 288. *edit. Patav.* 1777., Hilarius in *opere historico fragm.* 2. *num.* 9. *opp. tom.* 2 *col.* 629. *edit. indic.*, Basilius *ep.* 70. *pag.* 164. *seq. tom.* 3. *edit. Paris.* 1730., Ambrosius *de excess. Satyr. Fratr. lib.* 1. *num.* 47. *opp. tom.* 4. *col.* 188. *et epist.* 6. *ex Synod. Aquilejen. ad Imper. pag.* 850. *num.* 4. *tom.* 3. *edit. Venet.* 1751., Hieronymus *epist.* 15. *ad Damas. num.* 2. *opp. tom.* 1. *col* 39. *edit. Venet.* 1766., Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib* 2. *pag.* 35. *edit. Paris.* 1676., Epiphanius *haeres.* 7. *quae est Carpocratianorum num.* 6. *pag.* 107. *tom.* 1. *edit. Colon.* 1682., Augustinus in *Psalm contr. par. Donat. opp. tom.* 12. *col.* 8. *edit. Venet.* 1756., Theodoritus Cyri Episcopus *ep. ad Leonem M. quae inter Leonis epistolas est* 52. *opp. tom.* 1. *col.* 941. *edit. Venet.* 1753., Vincentius Lirinensis *Commonitor. num.* 9. *tom.* 1. *Instit. Theolog. Card. Thomasii pag.* 123. *edit. Rom.* 1769., Victor Vitensis *de persecut. Vandalic. lib* 2. *pag.* 29. *edit. Divionen.* 1664., Bachiarius in libello *Bachiarii fides pag.* 7. *edit. Romae* 1748., Socrates *Histor. Eccles. cap.* 15. *pag.* 80. *edit. Taurin.*, Sozomenus *Histor. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 95. *edit. ejusd.*, Severus Sulpitius *Histor. lib.* 2. *pag.* 161. *edit. Veron. ann.* 1741. Prosper Aquitanus *carm. de ingratis vers.* 40. *seqq. pag.* 72. *edit. Venet.* 1774., aliique fere innumerabiles, Pontificesque Maximi Zosimus *ep.* 1. apud Constantium *epist. Rom. Pontif. pag* 935. *seqq. et epist.* 2. *pag.* 943. *et pag.* 948. *et epist.* 12. *pag.* 971., Bonifacius I. *ep.* 4. *ibid. pag.* 1019., Caelestinus I. *epist.* 3. *ibid. pag.* 1064. *epist.* 4. *pag.* 1066. *ep.* 11. *num.* 4. *pag.* 1106. *ep.* 14. *pag.* 1146. *ep.* 17. *pag.* 1152., Sixtus III. *ep.* 5. *ibid. pag.* 1254. *num* 3. *ep.* 6. *num.* 5. *pag.* 1260. *ep.* 7. *pag.* 1262., Leo M. *serm.* 2. *de Natal. suae ordinat. cap.* 2. *tom.* 1. *col.* 9. *et* 10. *edit. Venet.* 1753. *serm.* 3 *cap.* 4. *col.* 13. *ep.* 6. *ad Anastas. Thessalonicen. cap.* 1 *col.* 620. *ep.* 14. *cap* 1. *col.* 681. *et ep.* 103. *coll.* 1144., Hilarus *ep.* 5. apud Labbaeum *tom* 5 *Conc. col.* 62., Felix III. *ep.* 1. *ad Acac. Constantinopol. ibid. col.* 144. *ep.* 3. *ad Petrum Fullonem col.* 163. *et ep.* 5. *ad Zenonem Imper. ibid.*, Gelasius I. *ep.* 1. *ad Euphemianum Constantinop. ibid col.* 284., *ep.* 4. *ad Faustum Magistrum col.* 295. *ep.* 8. *ad Ana-*

stasium Imp. col. 309. *ep.* 9. *ad Episc. Lucaniae cap.* 9. *col.* 316. *ep.* 11. *ad Episcopos Dardaniae col.* 322., Damasus, Innocentius I., Bonifacius I., Caelestinus I., Sixtus I., quorum epistolae Sedis Apostolicae principatum ostendentes describuntur in actis Concilii Romani an. 531. *cit. tom.* 5. *col.* 844. *seqq.* Sed nullum facerem scribendi modum, si omnes recensere vellem, qui rem ipsam literis consignarunt. At erunt fortasse Graeci aliqui, qui nullam adjungendam fidem putent Romanis Pontificibus, qui suam egere causam, tamque magnifice de se ipsis loquuti sunt. Sed hi animadvertant oportet, ea, quae a Romanis Pontificibus de Apostolicae Sedis dignitate, atque auctoritate dicta sunt, non solum Occidentalibus, sed etiam Orientalibus universis fuisse probata, adeo ut qui iis resistant hujus aetatis schismatici, ii non veritatis amore, sed praejudicata opinione, studioque partium ducantur necesse est. Ego brevi disseram de Pontificibus, de quibus ne schismatici quidem dubitandum esse putant. Igitur consulendus Anastasius II. *P. ep.* 1. *ad Anastasium Imper. cit. tom.* 5. *Concil. col.* 406., quo loco habentur haec: „ Per ministerium humilitatis „ meae, sicut semper est, Sedes B. Petri in universali Ecclesia assigna- „ tum sibi a Domino Deo tenet Principatum „. Atque ita ille quidem extremo quinto saeculo. Sed ante hoc tempus Honorius Augustus *ep. ad Theodos. Imper.* apud Constantium *Epistol. Rom. Pontif. pag.* 1029. *edit. Paris.* „ Illius Urbis Ecclesia, *inquit*, speciali nobis cultu veneranda est, „ ex qua et Romanum Principatum accepimus, et principium Sacerdo- „ tium accepit . . . . Antiquum ordinem (Majestas vestra) praecipiat cu- „ stodiri, ne sub Principibus Christianis Romana perdat Ecclesia, quod „ aliis Imperatoribus non amisit „. Et Valentinianus III. Imperator ad Theodosium scribens apud Labbaeum *tom.* 4. *Concil. col.* 822. „ debemus, „ *inquit*, cum omni competenti devotione defendere, et dignitatem pro- „ priae venerationis beato Petro Apostolo intemeratam et in nostris tem- „ poribus conservare, quatenus beatissimus Romanae Civitatis Episcopus, „ cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum ha- „ beat, et facultatem de fide, et Sacerdotibus judicare „. Eadem fere ad eundem Theodosium scripsere Galla Placidia Augusta *opp. S. Leonis ep.* 56. *col.* 966., et ad Pulcheriam Augustam *ep.* 58. *col.* 974 *ibid.*, et Marcianus Imperator *ibid. ep.* 73. *col.* 1017. *et ep.* 110. *col.* 1185. Mitto cetera Imperatorem, aliorumque testimonia, ne nimius sim. Sunt etiam eadem de re pene innumera ipsorum Graecorum testimonia, sed ex his pauca quaedam seligam. Huc sane spectant Orientales Episcopi *epist. ad Symmachum Pontif. tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 433., et Archimandritae non Byzantiorum modo, sed etiam Hierosolymorum, cunctique Orientis Episcopi *ep. ad Agapetum P. ibid. tom.* 5. *col.* 983. *et col.* 999., Stephanus Episcopus Larissensis *tom.* 5. *Concil Labbaei col.* 836. *edit. Venet.*, Joannes Constantinopolitanus Patriarca e libello fidei Hormisdae Pontifici oblato *ep.* 5. *Hormisd. P. eod. tom.* 5. *col.* 622. *seqq.*, Archimandritae, ceterique Monachi secundae Syriae *relat. ad Hormisdam ibid. col.* 598., Archimandritae, ac Monachi trium Palaestinarum ad Mennam scribentes *epist. ad Mennam Constantinopol.*, quae extat *in actis Synod. Constantinopol. sub eodem Menna ibid. col.* 1085. *et seqq.*, Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus *ep. ad Vigilium tom.* 6. *Concil. ejusd. edit. col.* 26. *et seqq.*, Sergius Cypri Episcopus *ep. ad Theodor. Pont. act.* 2. *Concil. Lateranen. sub Martino I. tom.* 7. *Concil Labbaei col.* 126., Tarasius *ep. ad Hadrian. P. tom.* 8. *Concil. edit. ejusd. col.* 1275., et Germanus uterque Constantinopolitanus Antistes *Theor. Mystagoc. tom.* 2. *Biblioth. PP. Graecor. pag.* 135.

edit. an. 1624 Nicephorus item Patriarcha Constantinopolitanus *in disput. cum Leone Armeno Imp. quae disp. est de imag n.* apud Combefisium *origin. rerumqe Constantinop. var. auctor. manipul. edit. Paris. an.* 1664. *pag.* 160. *et in Antirretic.* 1. *advers. Iconomach. cap.* 25. apud le Quienium *Panopl. centur.* 8. *pag.* 151. *num.* 4. Metrophanes Smyrneorum Metropolita *in actione VIII. Concilii Constantinopolitani IV. tom.* 5. *Concil. collectionis Labbaei col.* 610, Stylianus Episcopus Neocaesariensis *epist. ad Stephanum P. ibid. col.* 902. *et seq.* Petrus Antiochenus Patriarcha, qui epistola ad Michaelem Cerularium impium schismatis restitutorem graviter conqueritur apud Joannem Veccum *orat.* 2. *de injust. sui deposit. num.* 2. *tom.* 2. *Graec. Orthodox. Allacii pag.* 38. *edit. Rom.* 1659., quod defectione Graecae Ecclesiae *a magno, et primo Apostolico Throno* ingentia in homines mala redundarint, atque a Graecis copiis res male gestae ubique fuerint. De iis, qui recentiori aetate post confirmatum a Michaele Cerulario schisma floruerunt, nihil dicam; nam Photiani, et si injuria, eorum neminem audiendum putant, quoniam Latinos suis studuisse partibus inquiunt. Graecos autem catholicos veluti transfugas insectantur.

§. XII. Quod si Romanus Pontifex tamquam Petri successor caput, centrumque unitatis, et Princeps Ecclesiae divinitus constitutus est, is omnem profecto habere debet potestatem, qua opus est, ut commisso sibi muneri satisfaciat. Non enim dici, ac ne concipi quidem cogitatione potest, Christum alicui dedisse munus, et non dedisse facultates, sine quibus idem munus exerceri nequit. Quare Summus Pontifex, qui Ecclesiae praeest, ne ociose, et inutiliter praesit, in omnes jurisdictionem habeat necesse est; et qui omnes, quotquot in Christiano orbe sunt, vocare ad unitatem debet, omni sit instructus auctoritate necesse est, qua cogere repugnantes possit. Ex quo evidens, apertumque est, Primatum Summi Pontificis non tantum ordinis, atque honoris esse, sed etiam jurisdictionis, quae plane necessaria est, ut omnes in officio contineantur, ita ut nulla sit particularis Ecclesia, quae ab universalis Ecclesiae fide, et communione impune aberrare possit. Sine hac jurisdictione in uno omnium capite, centroque posita, omnes particulares Ecclesiae suam propriam habere potuissent fidem, et communionem; cumque earum nulla in alias habeat potestatem, non una esset omnium fides, atque communio,

sed utraque esset multiplex, uti multae sunt illae, quibus singulis uti liceret arbitrio opinionis suae (1).

(1) Celebre est illud S. Hieronymi *in dialog. contr. Luciferian. num. 9. opp. tom. 2. col.* 182. *edit. Vallars. Venet.* „ Ecclesiae salus „ in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam, et „ ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schis„ mata, quot Sacerdotes „ Hinc Nicolius *Instruction. Theolog. et moral sur le symbol. instruct.* 9. *chap.* 2. *pag.* 402. *tom.* 2. *edit. Paris.* 1740. „ Il faut donc aussi, *inquit*, que ce chef ait l' autorité, „ qui lui est necessaire pour la conservation de l' unité. C' est pour„ quoi S. Chrysostôme reconnoit, que S. Pierre pouvoit élire seul „ S. Matthias à la place de Judas. Ainsi quoique le Souverain Pon„ tife n' use de cette puissance, que selon la disposition, et la deter„ mination des saints Canons, il est vrai neanmoins, que c' est de „ droit divin, et par l' institution de Jesus Christ, qu' il a tous le „ droit, et les prerogatives necessaires pour travailler efficacement a „ mantenir l' unité, l' ordre, et la discipline de l' Eglise, qui lui ont „ été particuliermeat confiées „. Quod etiam observant Ludovicus Habert Doctor Sorbonicus *Theolog. Dogmat. par.* 2. *cap.* 4. §. 3 *tom.* 7., Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom.* 3. *dissert.* 4. *in saecul. I.* §. 1. *num.* 7. *pag.* 71. *edit. indic.* Bossuetus *in Catechism. lecon.* 3. *jour SS. Apotr. Pierre et Paul opp. tom.* 3. *pag.* 534. *edit. Leod. cit.*, Maimburgus *Traitè Historique des prerogatives de l' Eglise de Rome chap.* 4. *pag.* 39. *seqq. edit. Paris.* 1685. Placuit judicare testimonia hominum, qui certe nimii studii in Sedem Apostolicam suspecti haberi non possunt; mitto autem ceteros pene innumeros, qui de tota vi, ac ratione Primatus Pontificii recte, ac vere sentiunt. Neque quis obtrudat eas Augustini formulas, de quibus supra actum est. Non enim Augustinus cum S. Petrum personam, ac figuram Ecclesiae gessisse scripsit *in Tract.* 124. *in Joan. cap.* 19. *num.* 4. *col.* 1058. *tom.* 4. *propter primatum, quem in discipulis habuit*, seu *propter Apostolatus sui Primatum* (quia scilicet universum coetum repraesentare solet, qui primus in eo est) adimere umquam voluit eam potestatem, qua praeditum esse oportet Primatum, ut eam efficiat, custodiatque unitatem, cujus gratia institutus est. Quo tandem evaderet ea vis Primatus, si Petro tantum repraesentationem unitatis, non item auctoritatem ad eam stabiliendam, custodiendamque necessariam adscribamus? Typus, et repraesentatio unitatis haud certe excludit potestatem, et jus cogendi ad eamdem unitatem; quod manifestum est ex Conciliis oecumenicis, quae totam Ecclesiam repraesentant; et tamen nemo dubitat, bin in iis potestas insit, qua omnes ad parendum cogantur. Nam a duobus, dispari tamen modo, repraesentatur Ecclesia; a Concilio generali, et a Petro, ejusque successoribus. Concilium generale repraesentant Ecclesiam uti *universalem*, seu *catholicam*, quatenus constat ex Episcopis ex tota Ecclesia vocatis, in quibus tota Ecclesia continetur; nam in Episcopis Ecclesia est, uti docet Cyprianus *epist.* 33. *et epist.* 66. *pag.* 216. *et* 286. *edit. cit.* Petrus vero, ejusque successores repraesentant Ecclesiam ut *unam*, et unitatis figuram gerunt, quatenus Ecclesiae unitas, quae ab uno ducit originem, per unum Petrum, ejusque successores efficitur, et comprehenditur, in eoque uno, in quo unitas Ecclesiae absolvitur, ipsa Ecclesia una continetur. Sicut autem dubita-

ri non potest, quin generale Concilium, quod Ecclesiam uti catholicam repraesentat, vim habeat, et auctoritatem, qua catholicos omnes cogat, ita vis eadem atque auctoritas negari non potest Petro, ejusque successoribus, qui Ecclesiam repraesentant ut *unam propter Primatum*, cui peculiaris vis, et auctoritas propter unitatis bonum adscribi debet.

§. XIII. Jam vero Pontificis propria est potestas *pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam*, quod etiam est a Florentina Synodo definitum (1). Atque id quidem profluit ex ipsa indole, et natura Primatus, ut qui aliqui societati praepositus cum auctoritate est, is eam regere, et gubernare debeat. Ad hanc autem regendi, gubernandique potestatem ea sunt in primis referenda, quae pertinent ad unitatem fidei, seu communionis, quoniam haec potissimum causa instituendi Primatus fuit; ut scilicet unum esset commune centrum, quod tot gentes toto orbe dispersas una fide, et communione conjungeret (2). Sed unitas fidei unitas est Ecclesiae potior, ad quam refertur unitas caritatis, seu communionis; et ideo Pontifex quae ad fidem pertinent, curare, ac regere in primis debet. Et cum potestas, quae in primatu inest, vim cogendi habeat, sequitur, ut Pontifex cogere omnes possit ad eam fidem, quae est in centro, in quo unitas efficitur, et copulatur. Quam sane fidem fore semper erroris expertem Christus ipse promisit, cum Petro pollicitus est, numquam adversus eum inferi portas praevalituras, cumque ipsum his verbis allocutus est (3). „ Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem „ rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat fides tua, et tu „ aliquando conversus confirma fratres tuos „. Quae verba quisquis non praejudicata opinione, sed studio quaerendae veritatis expendat, is facile intelliget, Petri fidem eam esse fidem, quae numquam aberrare a veritate potest, et cum qua omnes, quotquot in Ecclesia sunt, consentiant necesse est. Porro adversus omnes Apostolos diaboli conatus futuros ostendit Christus, ideoque omnes, ut iis fortiter obsisterent, divina ope indigebant „, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum „. Verum pro uno Petro speciatim sese Patrem

rogasse ipse Christus affirmat „ ego autem oravi *pro* „ *te*, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando con- „ versus confirma fratres *tuos* „. Quibus sane verbis Petri fides semper firma, immotaque futura demonstratur; ut ea constituta ceteri intelligerent, hanc unam veram esse fidem, cum qua omnes convenire, et in qua a capite confirmari debebant (4).

(1) Concilium Florentinum *in definit. tom.* 18. *collect. Labbaei col.* 526. *et* 527.

(2) Lucas *cap. XXII. vers.* 32. S Leo M. *serm.* 4. *cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 18. *edit. Ballerin. Venet.* 1751. post illum Evangelii descriptum locum : *ego oravi pro te etc.* habet haec : „ Commune erat omnibus » Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis » auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes » cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, » et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior » sit futurus, si mens Principis victa non fuerit „. Quod idem declaravit S. Bernardus *ep.* 190. *ad Innocentium II. opp. tom.* 1. *col.* 649. *edit. Mabillon. Venet.* 1765. „ oportet, *inquit*, ad vestrum referre » Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, » et praecipue quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi » potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defe- » ctum. Haec quidem hujus praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquan- » do dictum est : ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua ? » Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur : et tu aliquando » conversus confirma fratres tuos ». Praeclare etiam Jacobus Benignus Bossuetus indicato sermone *sur l' Evangile jour* 70. *pag.* 407. „ En re- » primant l'ambition de ses Apôtres il avoit parlé d' une manière, qui » eût pu donner lieu à ceux qui n' auroient pas bien pesé ses paro- » les, de croire qu' il n' avoit laissé aucune primeté dans son Egli- » se, et qu' il avoit même affoibli celle, qu' il avoit donneé à Saint » Pierre, il parle ici d' une manière, qui fait bien voir le contraire : ». Satan dit il a demandé de vous tribler tous : mais Pierre, j' ai prié » pour toi, pour toi en particulier; pour toi avec distinction, non qu' » il ait negligé les autres ; mais, comme l' expliquent les Saints Pe- » res, parce qu' en affermissant le chef, il vouloit empêcher par là, » que les membres ne vacillassent. C'est pourquoi il dit : J'ai prié pour » toi, et non pas j'ai prié pour vous „. Huc quoque referenda est fidei regula ab Hormisda P. missa, quam omnes Episcopi adversus Acacium Eutychetis defensorem jussi subscripserunt apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 582., et epistola Agathonis Papae, ac Romanae Synodi in VI. Concilio oecumenico probata *eod. loc. tom.* 7. *col.* 706., idemque tradiderunt Ven. Guido Majoris Carthusiae Prior in literis ad eumdem Pontificem *tom.* 3. *opp. S. Bernardi col.* 1164., S. Anselmus Episcopus Lucensis *in opuscul. adver. Guibertum pag.* 42. *lib.* 1. *tom.* 4. *edit. Romae* 1697. *in Bibliotheca Pontif. Roccaberti*, S. Thomas 2. 2. *quaest.* 1. *art.* 10., Cardinalis de Vitriaco *in Histor. Oriental. cap.* 75., S. Agatho P. *epist. ad Imper. Constantin.*, quae in Synodo oecumenica a Patribus suscepta, et approbata fuit *tom.* 7. *Conc. Labbaei*

col. 662. S. Leo IX. *ep. ad Petrum Antiochen. tom.* 11. *concil. Labbaei col.* 1345., Arnulphus *Histor. Mediolanen. lib.* 5 *cap.* 7. *tom.* 4. *vers. Italic. col.* 43., Paschalis II, in Concilio Lateranensi apud Urspergensem *tom.* 12. *Concil ejusd. collect. col.* 1227., Innocentius III. in literis ad Patriarcham CP. apud Bosquetum *in gestis ejusd. Pontific. pag.* 41.

§. XIV. Ex quo intelligitur, quam procul absit a veritate eorum sententia, qui Summum Pontificem aliquid de fide *ex cathedra*, hoc est universalis magistri suscepta persona, definientem in errorem aliquem delabi posse arbitrantur (1). Nam si vera catholicae Ecclesiae fides est, quae cum Petri, ejusque Successorum fide consentit; profecto, nisi erroris expers habeatur fides Romani Pontificis, eidem errori subjecta erit fides totius Ecclesiae, quae cum illius fide consentire debet (2). Cumque ad hanc consensionem, fideique unitatem cogi etiam repugnantes possint, propter annexam Primatui auctoritatem, certe, si erraret Pontifex, in eodem errore cogeretur haerere Ecclesia universa; quo nihil absurdius dici potest. Quod argumentum ad eos quoque pertinent, qui tantum Ecclesiae accedente consensu fallere, et falli nescium Romani Pontificis de fide judicium putant. Nam si Primatui a Christo Servatore adjuncta est auctoritas, quae ad exigendam, conservandamque fidei unitatem apta, et idonea sit, nullo sane eget praesidio, sive accessione consensus Ecclesiae; nam secus apta, et idonea non esset ad illud efficiendum, cujus gratia Primatus institutus fuit (3).

(1) Consule prae ceteris Cardinalem Orsium *de irreformabili Romani Pontificis in definien. fid. controv. indic.*, Casterium *Auctoritas, et infallibilitas Summorum Pontificum in fidei, et morum quaestionibus definiendis August. Vindelic.* 1738., Ballerinium *de potest. Ecclesiast: Summorum Pontif. in Append. pag.* 249. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1770., Librum ex Gallico in Italicum sermonem conversum, cui titulus *L'infallibilità del Papa provata coll' esame del quarto articolo della dichiarazione del Clero di Francia radunato nel* 1682., a quibus copiose demonstratur, Pontificem in his definitionibus errare non posse.

(2) S. Thomas 2 2. *quaest.* 39. *art.* 1. *Schismatici*, inquit, *dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici.* Et S. Cyprianus *de unit. Eccl. pag.* 464. *edit. Maurin. Venet.* 1758. *Qui cathedram Petri*, inquit, *supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse con-*

fidit? Quae verba etsi in editionibus quibusdam desiderentur, tamen praestantiorum codicum auctoritate Cypriano adscribunt ejus operum Editores PP. Maurini *loc. cit.*: et vero similis plane sententia ex aliis Cypriani locis elicitur. Certe hunc locum Cypriani proprium agnovit Clerus Gallicanus Parisiis coactus an. 1682. datis literis ad Archiepiscopos, Episcopos etc. » Fidenter eum B. Cipriano pronuntiamus, eum, qui cathedram Pe» tri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse » . Sed Cypriano antiquior Irenaeus *lib.* 3. *advers. haeres. cap* 3. *opp. tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Venet. indic.* non solum » ad Romanam Ecclesiam propter » potiorem principalitatem necesse esse convenire omnem Ecclesiam » statuit, sed etiam, cum illa de celebrando Paschate controversia ferveret, rogavit Victorem Summum Pontificem, ne Asianos Episcopos » propter tradi» tionis ex antiqua consuetudine inter illos usurpatae observationem, a cor» pore universae Christi Ecclesiae amputaret » uti testatur Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 213. *edit. Taurin.* 1746. Quibus sane verbis manifestum est, Irenaeum agnovisse in Victore auctoritatem, qua tot Ecclesias ab se dissentientes a Catholicae Ecclesiae communione praecideret. Alia ejusdem generis testimonia laudat Ballerinius *de vi et ration. Primat. Romanor. Pontif. cap.* 13. §. 1. *pag.* 99. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1770.

(3) Romani Pontificis auctoritatem semper satis fuisse ad rem omnem definiendam, [illegible] Thyanensis Episcopus, et Helladius Tharensis [illegible] Constantium *ep.* 4 *num.* 2. *col.* 1246. » Olim siquidem, *inquiunt*, saepius » jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus suffecit » vestra Apostolica Sedes per universum tempus illud ad mendacium con» vincendum, impietatemque reprimendam „ . S. Flavianus Episcopus CP. ad Eutychis errores profligandos S. Leonis judicium ita sufficere existimavit, ut generalis Concilii praesidio nihil opus esse putaverit *ep.* 26, *inter epist. S. Leon. tom.* 1. *opp. col.* 789. *edit. Venet.* 1753.; idemque censuit ipse Leo, eum ea de re haberi Concilium noluit. Quod si postea Concilium ipsum celebrari permisit, non id sane egit, quasi ad eam rem definiendam auctoritatem suam minus aptam, et idoneam judicaret, sed ut morem gereret Marciano Imperatori, qui id magno studio exoptabat. Nam Romani Pontifices nihil umquam omiserunt, quantum facere, enitique poterant, ut pax, tranquillitasque servaretur, atque ut dubitantes, vel repugnantes ad unitatem vocarentur; sed non ideo quemquam non plane adstringi auctoritate, qua potiuntur, aut vim obligandi a cujusquam consensu pendere existimarunt. Revera acceptam a Christo potestatem, qua fruuntur, ad omnem, quae de fide esset, controversiam plane dirimendam satis superque esse censuerunt, ita ut omnes cogerent ad probandas, ratasque habendas suis subscriptionibus Apostolicas definitiones, quamquam nondum ille accessisset consensus, quem quidam ad vim coactivam obtinendam necessariam esse arbitrantur. Nota sunt exempla definitionum Damasi adversus Macedonianos, Innocentii contra Pelagium, Caelestium, et Julianum, Zosimi contra eumdem Pelagium, Caelestini contra Nestorium, Leonis adversus Eutychianos, eo ceteros, qui eos suut consequuti, Pontificum, qui omnes ad subscriptiones, seu, quod eodem recidit, ad praestandum consensum coegerunt. Verum injusta haec coactio fuisset, neque eam omnes aequo animo perferre voluissent, si consensus praesidio indigeret Apostolica auctoritas, ut vim obligandi obtinere posset. Ac recte Bossuetus, licet eum partium studio raperetur, aliud literis mandare non dubitaverit, *Histoir. des variation. liv.* 5. *num.* 24. *tom.* 4. *pag.* 170.

ed. ejusd. paulo dissimilem conditionem, qua haeretici Pontificiam auctoritatem circumscribere conantur, probari nulla ratione posse animadvertit. Nam ibi describit Melanchtonis locum, qui Romani Pontificis Primatum in Ecclesia necessarium statuit *ad conservandam in nationibus unitatem doctrinae*; cumque ipse Melanchton hanc potestatem unitatis fidei coactivam ea conditione obstrinxisset, quatenus Papa sanam doctrinam non oppimeret „ si il est permis, *inquit Bossuetus*, de dire qu' ils l' oppriment, et sous ce pretexte de leur refuser l' obéissance, qui leur est » due; on retombe dans l' inconvenient, qu'on veut eviter, et l'autorité » ecclésiastique devient le jouet de tous ceux qui voudront la contredi» re „ : Quibus sane verbis vir doctus rectissime animadvertit, futuram schismatibus, atque haeresibus viam amplam, atque munitam, si ea conditio permittatur, ita ut cuivis liceat Apostolicae Sedis judicium oppressae veritatis arguere. Itaque absolutam, ac nemini subjectam esse oportere censuit eam potestatem, per quam Christus omnium Ecclesiarum unitatem custodiri voluit, ut eidem illud efficere possit, cujus gratia instituta est. Sed non tantum schismatibus daretur locus, si Apostolicae Sedis judicium alicui conditioni subderetur, verum etiam diu esset anceps, et incerta fides, quam Catholici sequi deberent. Nam si necessarius esset totius Ecclesiae sive in Concilio congregatae, sive per orbem dispersae consensus, ut haec judicia rata firma habeantur, quis non videt, quam longum esset; ac saepe etiam difficile hunc consensum ... expressum, sive tacitum obtinere? Interea in summo errore, atque ignoratione versarentur, ac saepe malum, quod recens facile opprimi potuisset, fieret patientia, et caeca expectatione robustius. Itaque in Ecclesia semper esse debet judex certus, et erroris expers, qui statim malum avertat, et errorem sua sententia depellat. Confer Canum *de loc. theol. l. 2. c. 7.*, nostrasque *Instit. Jur. Canon. l. 4. §. 3. seq. t. 4. p. 48. seq. ed. Rom.* 1792. Distinctionem, quam fingunt, inter Sedem Apostolicam, et Rom. Pontificem, praeter ceteros, refutant *De supr. Rom. Pontif. auctor. ex. dissert. praev. par. 1 p. IV. seqq.*, *edit. Avenion.* 1747. et Cartierus *loc. cit. cap. 1. pag. 1. et seq.*

§. XV. Est et alia unitas, quae caritatis, seu communionis appellatur, quo quidem nomine non illam comprehendimus caritatem, quae communis est omnibus, quaque nos invicem, uti homines, diligere debemus. Nam hoc amore prosequimur etiam infideles, qui extra Ecclesiam sunt, nec si quis eo careat, cum cetera praesto sunt, ab Ecclesiae unitate descivisse videtur. Nos hoc loco ad unitatem caritatis, et communionis referri volumus specialem illam caritatem (1), qua Christiani omnes suis conjuncti Pastoribus, quos neque ullus error infecerit, neque ulla disjunxerint divortia sententiarum, ita inter sese fidei consensione junguntur, ut *idipsum invicem sentientes* (2), omnes eamdem fidei unitatem pacis vinculo custodiant. Hinc duo sunt, quae homines ab Ecclesia potissimum excludunt, haeresis, quae

fidei tollit unitatem, et schisma quo unitas caritatis adimitur. Cum autem Summus Pontifex utriusque unitatis servandae causa et Primatum a Christo acceperit, et auctoritatem ad ea gerenda, quae propria sunt ejusdem Primatus, sequitur ut Christianos omnes cogere ad utramque unitatem possit, ita ut qui ab ejus fide discedit, haereticus, qui ab ejus communione disjungitur, schismaticus haberi debeat (3). Porro ut hoc caritatis, et communionis vinculo Christiani omnes in unum coeant, atque unam visibilem Christi Ecclesiam efficiant, cum singuli inter se ἀμέσως *immediate* conjungi, ac res communicare non possint; satis est, quod conjungantur, et cum suo cujusque Episcopo communicent, cui sit conjunctio, et communicatio cum aliis catholicis Episcopis, in primis autem cum Romano Pontifice, qui omnium caput, centrumque unitatis est. Ita enim qui ei fide, et communione conjunctus est, utroque hoc vinculo jungitur etiam cum reliquis catholicis Episcopis, quos eadem communicatio cum Summo Pontifice consociat; atque hac omnium societate, et communione cum uno capite, centroque unitatis illa efficitur catholica caritatis, et communionis unitas, quae in una visibili Ecclesia visibilis esse debet, quaeque est omnibus ad aeternam salutem necessaria. Unitas particularium Ecclesiarum oritur ab Episcopo, cum quo membra omnia cujusque Ecclesiae conjuncta sunt; unitas Ecclesiae universalis ab uno omnium centro Romano Pontifice, cum quo omnes illae particulares Ecclesiae communione conjunctae esse debent, ut ex omnibus una simul fide, et caritate consociatis una existat Ecclesia (4).

(1) Haec quidem unitas caritatis, et communionis sejuncta esse potest ab unitate fidei, ut quis communionem tollere, et simul integram relinquere catholicae Ecclesiae doctrinam possit, et hic quidem schismaticus erit non item haereticus. Verum propter has discessiones magnum esset fidei periculum » neque enim scissio, vel schisma fieri potest, nisi di- » versum aliquod sequantur, qui faciunt » ut inquit Augustinus *contr. Crescon. lib. 2. cap. 7. opp. tom. 12. col. 522. edit. Venet.* 1756., et Hieronymus *in epist. ad Titum. cap. 3. opp. tom 7. col. 738. edit. Venet.* 1766. » nullum schisma, *inquit*, non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte » ab Ecclesia recessisse videatur » qua de re vide quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib. 4. tit. 5 tom. 4. pag. 61. seqq. edit. mox indic.* Ita-

que ut fidei unitas, quae potior est, sarcta tecta servetur, altera eidem unitas necessaria est, qua scilicet Christiani inter se conjunguntur, » soliciti, ut ait Apostolus *ad Ephes. cap. IV. vers.* 3., servare unitatem » spiritus in vinculo pacis » atque ita » omnes idem sapiant, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes » ut inquit idem Apostolus *ad Philippen. cap. II. vers.* 2.

(2) Paulus *ad Rom. cap. XII. vers.* 16. Itaque unitatem fidei caritatis unitate contineri Africani Episcopi in Sardinia exules declararunt *epist. Synod.* apud Labbaeum *tom. 5. Concil. col.* 733. *edit. Coleti* » Membra, *inquiunt*, ecclesiastici corporis . . . . in unitate fidei compages retinent caritatis » . Similiter cum post Acacianum schisma caritatis, et communionis unitas restituta fuit, etiam de fidei unitate cum ea simul restituta et Occidentales, et Orientales laetatos constat *ibid. col.* 625. 626. 628. *seqq.*, propterea quod illa ita ad hanc necessaria sit, ut altera sine altera stare non possit. Ea de causa ipse Apostolus *I. ad Corint. cap. I. vers.* 10. caritatis unitatem Corinthiis commendans, sententiarum unitatem commendavit: » obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Nostri » Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, in eadem sententia »; perinde ac non aliud quam fidei unitatem respiciat unitas caritatis, de qua propterea Felix III. *in opusc.*, quod extat apud Labbaeum *d. tom.* 5 *col.* 190., seu potius Gelasius II., cui Fratres Ballerinii opusculum illud tribuendum putant *tract. de collection. part.* 2. *cap.* 11. §. 4. *num.* 9. *tom.* 3. *opp. S. Leonis pag. CL. communio*, inquit, (quo nomine visibilis unitas caritatis antiqua formula significatur) *ad fidem pertinet*; et Tertullianus *de praescript. cap.* 21. *pag.* 209. *edit. Venet.* 1744. » communicamus, *inquit* » Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa » videlicet quod una omnibus, et eadem fides est.

(3) Cum Summus Pontifex catholicae unitatis centrum, et radix sit, evidens est, quod qui ab eo centro, et radice divulsus cum eodem Pontifice communionem non servat, Ecclesiae unitatem tenere non potest. Hinc S. Ambrosius *enarrat. in Psalm.* 40. *num.* 30. *opp. tom.* 2. *col.* 201. *edit. Venet.* 1748. ad illud de Petro advertens » Tu es Petrus, et super hanc » Petram aedificabo Ecclesiam meam » statim infert *ubi ergo Petrus* (quod idem de ejus successoribus, in quibus Petrus vivit, et praesidet, dicendum est) *ibi Ecclesia*; quibus sane verbis omnium Ecclesiae membrorum cum eo capite, et fundamento conjunctionem, et communionem necessariam ostendit. Quisquis igitur ab unitatis centro discedit, is sine dubio unitatem deserit, quae propria catholicae Ecclesiae est, neque tam sejungitur a Romano Pontifice, quam ab ipso Ecclesiae fundamento, in quo Christus unitatis centrum constituit. Ex quo intelligitur, quodnam proprium, verumque schisma habendum sit, quo quis relicta catholicae caritatis, et communionis unitate, revera in Ecclesia esse desinit. Nimirum qui se a caritate, et communione dissociat Romani Pontificis, is non amplius in Ecclesia est, cum deseruerit fundamentum, et centrum, in quo unitas consistit, et hunc quidem schisma fecisse manifestum est. Verum si quae inter duos Episcopos dissidia exoriantur, ita ut alter alterius societatem, communionemque deserat, hi quidem inter se schisma fecisse dicuntur; sed cum neuter eorum ab unitate, et communione Successorum Petri disjunctus est, nemo illud dicitur fecisse schisma, quod proprie eo nomine appellatur, et quod facit, ut quis revera a catholicae Ecclesiae unitate desciverit. Nam disjunctio, aut conjunctio unitatis pende a centro, et qui ab hoc centro discedit, in quo unitas conglutina-

tur, is profecto unitatem ipsam deseruisse dicendus est. Hinc in Vigilii Constituto apud Labbaeum *d. tom.* 5. *Concil. col.* 1348. merito, statuitur eos ab Ecclesia abscindi non posse „ quos sibi inconvulse unitos Apo„ stolica judicavit auctoritas „. Male igitur atque aestu praejudicatae opinionis abreptus Firmilianus *ep.* 75. *inter Cyprianicas pag.* 319. *edit. Amstelod.* 1700. cum schismatis notam inussit Stephano Pontifici, qui complures Episcopos in controversia de haereticorum Baptismo a communione rejecisse credebatur, ipsum se a catholicae Ecclesiae unitate Stephanum sejunxisse dixit. Cum enim Pontifex aliquem a catholicae Ecclesiae communione repellit, ab eo quidem se quodammodo separat, sed cum ipsa sit centrum unitatis, haec separatio facit, ut qui a Summo Pontifice disjunctus communione est, is etiam disjunctus haberi debeat ab unitatis centro, quod in illo positum est. Recte S. Irenaeus, qui non eodem, quo Firmilianus, aestu rapiebatur, sed uno ducebatur studio veritatis, Asianis veniam a Summo Pontifice impetravit, uti supra *not.* 2. *pag.* 89 demonstratum est, ne a communione Sedis Apostolicae, hoc est a catholicae Ecclesiae unitate disjungerentur. Hinc in re dubia cum quaereretur, num quis ad Catholicam Ecclesiam pertineret, illud semper observatum est, num communionem cum Summo Pontifice obtineret, quod factum a Satyro fratre narrat Ambrosius *de exces. Satyr. lib.* 1. *num.* 47. *tom.* 4. *col.* 188., qui cum dubitaret, num catholicus esset certi loci Episcopus, id quaesivit, num cum Romana Ecclesia consentiret » Advocavit ad se, *inquit*, Episcopum, » nec ullam veram putavit, nisi verae fidei gratiam, percunctatusque ex » eo est, utrum cum Episcopis catholicis, hoc est cum Romana Sede con» veniret » . Neque enim ab hac communione discedere quisquam potest, si catholicus esse velit, quod velut certum fidei dogma constituunt etiam Scriptores, qui certe Sedis Apostolicae assentatores haberi non possunt. Nicolius *in Symbol Apostol. par.* 2. *art.* 9., Claudius Fleury *Catechism. Histor. part.* 2., *lect.* 9. Card. de Noailles *Act. d' appell.* 3. *Avril.* 1717., Gallicani Episcopi Concilii Provincialis Aquensis anu. 1585. apud Labbaeum *tom.* 21. *Concil. col.* 939. *edit. cit.*, aliique complures, Confer Ballerinium *cit. cap.* 13. *pag.* 99. *seqq.*

(4) Huc sane spectavit Bossuetus *in Exposit. doctrin. Eccles. catholic. cap.* 21. *opp. tom.* 3. *pag.* 766., cum scriptum relliquit » auctoritatem » Episcopatus statuere unitatem in Ecclesiis particularibus, primatum » vero Sancti Petri esse centrum commune totius unitatis catholicae » ubi ad Primatum refert vim hanc conficiendae catholicae unitatis, seu communionis. Quod hic de S. Petro Bossuetus tradit, *in Defensione Cleri Gallicani lib.* 9. *cap.* 32. *opp. tom.* 18. *pag.* 317., idipsum affirmat de Petri successoribus Romanis Pontificibus, idque tribuit divinae institutioni inquiens „ certum est, Romanum Pontificem a Deo esse positum, qui ca„ tholicae societatis, communionisque esset vinculum, ubi *vinculum cen„ trum* est ; ac paulo post „ tesseram christianae fraternitatis in Romani Pon„ tificis communione a Christo constitutam animadvertit „. Vide tractatum *dello scisma cap.* 3., *et* 4. *pag.* 18. *seq. edit. an.* 1718.

§. XVI. Ad hanc eamdem unitatem conservandam referenda est etiam disciplina, quae a Summis Pontificibus, aut oecumenicis Conciliis constituta est, quaeque obtinet in Ecclesia universa. Singuli quidem Episcopi moderantur peculiarem disciplinam suarum dioeceseon ; sed quae

ubique viget, et ab Ecclesia stabilita est, tota est custodienda, administranda, regenda a Summo Pontifice jure Primatus, quod totam Ecclesiam complectitur. Diem celebrandi Paschatis definire caput erat disciplinae; et tamen Nicaena Synodus sequuta Victoris sententiam, qua ipse Asianos represserat, id fieri jussit non ipsa Luna decima quarta more Judaeorum, sed die Dominico, qui proxime eamdem sequitur. Pertinet etiam ad disciplinam statuere, num ii, qui rem divinam non conficiunt, sub una tantum specie Eucharistiam accipere debeant, num ea solum a jejunis sumenda sit, num in sacrificio azymus panis, an potius fermentatus adhibendus sit; verum cuncta haec ab Ecclesia stabilita ubique retinenda, atque observanda sunt. Idem dictum volo de aqua in calicem infundenda, cum sacrificium conficitur, de ritibus in sacramentorum administratione ab Ecclesia praescriptis, postremo de universa disciplina Ecclesiae lege, atque usu probata. Harum rerum omnium regimen, et administratio propria est illius, qui Ecclesiae caput, et princeps constitutus est (1).

(1) Illud hoc loco non omittendum videtur, uti est a Melchiore Cano *de loc. theolog. lib.* 4. *cap. ult. in resp. ad* 12. animadversum „ quod „ mortuo . . . . . Summo Pontifice una sine dubio Ecclesia manet, et „ manet in ea spiritus veritatis, sed manca, et imminuta sine Christi Vi„ cario, et Ecclesiae Catholicae Pastore uno relinquitur,

§. XVII. Et quoniam ad conservandam fidei, et communionis unitatem, atque ad generalem Ecclesiae disciplinam stabiliendam maxime spectant conventus omnium Episcoporum cum suo Capite, qui Ecclesiam repraesentant, ac generale Concilium efficiunt, facile noscitur, quantae et quales in his conventibus Primatis partes esse debeant. Quis enim totius Ecclesiae conventum indicere poterit, nisi is qui toti Ecclesiae praepositus est? Quis item omnes vocare Episcopos ex toto orbe poterit, nisi is, qui in omnes habet auctoritatem, quique omnes cogere ad unitatem potest? In civilibus quoque negociis collegium indicit, qui ei praeest, isque omnes, qui e collegio sunt, ad concionem advocat. Ergo a Summo Pontifice generale

Concilium indicendum, cunctique Episcopi ad conventum vocandi sunt. Cumque generale Concilium universam Ecclesiam repraesentent consequens est, ut ei praeesse debeat vel per se ipsum, vel per Legatos suos, qui Ecclesiae praesidet; nam quemadmodum sine hoc capite vera Ecclesia, ita verum generale Concilium haberi non potest. Denique cum Pontifex omnes, qui in catholica Ecclesia sunt, divinitus accepta potestate cogat ad servandam, retinendamque secum fidei, et communionis unitatem, cumque ipse toto animo, et studio omni incumbere debeat in curam earum rerum, quae catholicum dogma, aut generalem Ecclesiae disciplinam respiciunt, ab eo, quae sunt acta in Concilio, noscenda, et confirmanda sunt. Nam ejus est videre, num satis omnibus consultum, et provisum sit, num ea, quae sunt constituta, recte congruant cum unitate fidei, et comunionis; atque hac Pontificis confirmatione, quasi sigillo, Concilii decreta obsignantur (1).

(1) Agam de his omnibus copiose alio loco: vide interim quae scripsi *in Institut. Jur. Canon. tom.* 1. *cap.* 3. §. 38. *Prolegom. pag.* 34. *seqq. et lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. §. 17. *pag.* 174.

§. XVIII. Quae cum ita sint, quo demum abeat ea disputatio, num Pontifex Concilio praestet, an potius eo sit habendus inferior, omnes intelligunt, qui veritatem quaerunt, non autem sese rapi in errorem praejudicata opinione sinunt. Tantum saeculo XIV., cum totus pene orbis diro schismatis incendio deflagraret, in illo aestu, ac dissensione animorum, orta est disputatio, quae superiori aetate prorsus nulla fuerat (1). Nam antea nemo umquam dubitaverat, quin Petri successor, qui a Christo Servatore universae Ecclesiae praepositus est, ac tamquam in specula collocatus res omnes, quae ad eam spectant, observare, et curare diligenter debet, eò munere, ac dignitate privaretur, ut Episcoporum conventui subjectus fieret. Sed qui hanc disputationem intulerunt, in illa perturbatorum animorum concertatione non intellexerunt, fieri numquam posse, ut Concilium, quod vere generalis Concilii habeat auctoritatem, a Pontifice dissentiat, ita ut quaerere oporteat, utra auctoritas potior habenda sit,

Nam si huic Concilio Pontifex praessae debet, ejusque acta confirmare, quidquid in eo decretum, gestumque est non tam Episcopis ad Concilium vocatis, quam ipsi Pontifici tribuendum est. Ergo aut nihil statuitur contra Pontificis sententiam, aut si quid statuatur, eadem haec esse censetur sententia Pontificis, a quo ea, quae sancita sunt a Concilio, approbantur. Quod si quis hanc invideat Summo Pontifici potestatem Concilii acta confirmandi, is in alium incidet scopulum, ex quo evadere nulla ratione poterit. Nimirum qui Concilii auctoritatem Summo Pontifici praeferendam putant, ii nituntur hoc argumento, quod generale Concilium conventus est omnium Episcoporum, qui universam Ecclesiam repraesentant. Licet autem Pontifex singulos Episcopos infra se habeat, non tamen omnes in unum collectos, quoniam in his sedet totius Ecclesiae fides, et auctoritas.

(1) Videndus Cardinalis Orsius *de Roman. Pontif. auctor. lib.* 5, *cap. 6. art. 1. pag.* 70.

§. XIX. Sed quomodo Episcopi a suo capite avulsi, ac sejuncti repraesentare Ecclesiam universam possunt? Christus sane ita eamdem Ecclesiam instituit, ut unum semper habeat caput, per quod tot particularium, quae in tot orbe sunt, Ecclesiarum unitas copuletur. Tolle hoc caput, et centrum unitatis, non amplius habebis Ecclesiam, qualis a Christo instituta est; sed conventum habebis Episcoporum, quorum nemo ab alio pendet, quique nullum habent caput, cui subdantur, et nullum centrum, in quo conjungantur (1). Non igitur cum quaeritur, num hujus generalis Concilii auctoritas Romano Pontifici praeferenda sit, ea quaestio est inter ipsum Pontificem, et veram Ecclesiam catholicam; sed tota disputatio est inter Ecclesiae caput, et a capite disjuncta membra, hoc est inter Summum Pontificem, et Episcopos, qui nisi sint cum suo capite, centroque unitatis conjuncti, catholicae Ecclesiae nomen, et auctoritatem habere non possunt. Et Christum quidem uni Petro seorsim a ceteris Apostolis regendae, et gubernandae Ecclesiae potestatem dedisse constat, sed in Apostolorum ceterorum nemi-

nem separatim ullam contulit auctoritatem; verum quoties egit de ea concedenda; semper omnes conjunctim cum Petro allocutus est. Cur tantum hoc inter Petrum, ceterosque Apostolos discrimen infinitae sapientiae Deus constituit, ut nullam his sine Petro, omnem illi sine ceteris Apostolis potestatem attribuat? Ut significaret, jurisdictionem Petri, ejusque successorum ab aliorum jure, et consensu minime pendere, aliorum vero etiam in Concilio potestatem in unitate cum jure Petri, et ejus successorum debere consistere; quoniam nulla est Ecclesia, nisi una sit, neque una esse potest sine uno capite, et centro, a quo omnes particulares Ecclesiae et fidei, et communionis unitate conjungantur. Itaque si quod sit dissidium, dissensioque sententiarum inter Petri successores Romanos Pontifices, et Apostolorum successores Episcopos, controversiam definit ipse Christus, qui uni Petro separatim dedit claves regni coelorum, ac ligandi, et solvendi potestatem attribuit, in ceteros vero Apostolos nonnisi cum Petro, eamdem contulit auctoritatem.

(1) Ipse Bossuetius *dissert. praevia Defens.* §. 84. *opp. tom.* 17. *pag.* 96. *edit. Leodici* 1766. hau esse docet Parisiensium sententiam, ut sine Pontifice generale Concilium haberi non possit. Inquit enim » Parisienses ultro consentiunt ex antiquissimis regulis synodos generales absque Romano Pontifice nullas esse, et irritas. „ Quae sententia congruit cum illis Gregorii XII. verbis in indictione generalis Synodi 6. Non. Jul. an. 1408. *tom.* 15 *Concil. col.* 1103. *edit. indic.*, cum ait generale Concilium, congregare solius Romani Pontificis esse dignoscitur, sine cujus auctoritate factum non concilium, sed conciliabulum, aut conventiculum dicitur ».

§. XX. Nec praetereundum absurdum illud gravissimum, in quod incidant necesse est, qui pugnam illam inter Summum Pontificem, et Catholicam Ecclesiam fingunt. Hi nimirum infra Pontificem esse fatentur dispersam Ecclesiam, cujus ille Caput, Princepsque est; sed Episcopos omnes ad Concilium convocatos superiores faciunt, quod ab iis referri ajunt Ecclesiam universam. Ergo (hoc enim est ejus consequens) dispersa Ecclesia caput habebit, in Concilio congregata non habebit, et qui dispersae caput est, idem congregatae aliud quodvis membrum evadet (1). Quo utroque nihil mihi videtur esse absur-

dius. Imo vero tantum abest, quod solum dispersa Ecclesia, non item congregata caput habere debeat, ut in primis universitas, quae ab omnibus conficitur, opus habeat capite, a quo regatur; neque illa totius Ecclesiae unitas conficitur a singulis tantum, sed ab omnibus *collective* sumptis, atque in unum coactis, ita ut ex tot particularium conjunctione Ecclesiarum una catholica Ecclesia componatur. An non huic ipsi universali Ecclesiae, quae constat ex tot particularibus Ecclesiis, uno capite, centroque conjunctis Summus Pontifex datus est a Christo et dignitate, et jurisdictione Primas? Ergo aut adimendus est Summo Pontifici universalis Ecclesiae Primatus, quod alienum a fide est (2); aut confitendum, eum cunctis Episcopis tum *collective*, tum *distributive* sumptis, hoc est tam in Concilio congregatis, quam per orbem dispersis praeesse oportere. Hinc supra Petrum non singuli lapides, sed universa Ecclesia aedificata est; Petro datae sunt claves non unius, alteriusve conclavis; sed totius regni Coelorum; ipse praeterea non singulis tantum agnis; atque ovibus, sed gregi universo praepositus est; denique si fratres singulos, etiam omnes confirmare debet (3):

(1) Absurdam hanc distinetionem de potestate Summorum Pontificum in omnes singillatim, seu *distributive* Episcopos, non in omnes simul, et *collective* sumptos inter ipsos recentiores haereticos refellit Jo. Laurentius Moshemius *in dissertat. de Gallorum appellationibus ad Concilium universae Ecclesiae unitatem Ecclesiae visibilem tollentibus inter ejus dissertat. ad histor Eccles. pertinen. tom. 1. pag.* 612. *edit. Altonaviae* 1733. his verbis: „ Quod universis, sive singulis Ecclesiis Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ac si » quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero, quod ex membris constat, corpus, aut urbes quidem omnes, villas, et praedia subesse » Regi; non vero, quae his continetur, ipsam provinciam »: Quod etiam novit, ac literis consignavit Samuel Puffendorfius, homo similiter ex numero haereticorum, *de habitu Religionis Christianae ad vitam civilem* §. 38. *pag.* 176. *seqq. edit. Brem.* 1602. Vide Christianopolum *diatrib. de potest. eccles. cap.* 2. *sect.* 2. §. 2. *num.* 51. *seq. pag.* 89. *seq.*

(2) Hinc in decreto Concilii Florentini, quod et Graeci subscripserunt, et cujus verba descripsimus §. 6. *not.* 3. *p.* 72. *et* 73, merito definitum est, R. Pontificem *in. B. Petro regendi universalem Ecclesiam* a Christo *plenam potestatem* accepisse. Postrema verba, quibus hoc decretum concluditur *quemadmodum etiam in actis Conciliorum etc.* non ita; uti habent vulgatae conciliorum editiones, legenda putant Joannes Launojus Ludovicus Maimburgus, Natalis Alexander. Petrus de Marca, aliique; sed eos copiose refellunt cum Mamachio Cardinalis Orsius *de Rom. Pontif. auctor. lib.* 6. *cap.* 11. *par.*

2. *pag.* 453. *seqq.*, et Ballerinius *de potest. eccles. Summ. Pontif. et Concil. gener. cap.* 4. §. 3. *num.* 8. *not.* 4. *pag.* 59. Quod si Romanus Pontifex divina institutione *plenam* habet *potestatem* regendi, et gubernandi *universalem Ecclesiam*; certe non in singulas, et particulares tantum Ecclesias *distributive*, et separatim sumptas, sed in omnes *collective*, et conjunctim acceptas, ex quibus simul sumptis Ecclesia universalis efficitur, auctoritatem habet; ideoque etiam in Patres Conciliorum generalium, qui illam repraesentant, nec majori, quam ipsa universalis Ecclesia, privilegio fruuntur. Atque hanc eamdem potestatem Summi Pontificis in Ecclesiam universalem satis clare indicasse videtur I. Nicaena generalis Synodus, cum decrevit, ut Paschalis dies ab Alexandrina Ecclesia, cujus erat in ea re peritia singularis, quotannis Romanae Ecclesiae significaretur, ut haec *pro sua auctoritate* cogeret Ecclesiam universam ad Pascha uno, et eodem die *sine ulla disceptatione* celebrandum. Nam de hoc Nicaeno decreto S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus in prologo Paschali apud Bucherium habet haec: „ Cum his „ igitur, atque hujusmodi dissensionibus „ (de Paschatis celebrandi die) „ regula turbaretur; sanctorum totius orbis synodi consensione decretum „ est, ut quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quae in „ hujus scientia clareret, quota Kalendarum, vel Iduum, quota Luna Pascha debeat celebrari, per annos singulos Romanae Ecclesiae literis inti„ maret; unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem „ definitum Paschae diem sine ulla disceptatione cognosceret „. Alexandrinae Ecclesiae, quae ejus rei scientia praestabat, negocium datur, ut videat, quo die singulis annis Pascha sit celebrandum, idque nunciet Summo Pontifici, qui *Apostolica auctoritate universali Ecclesiae* indicat hunc diem, illamque cogat ad eumdem Paschatis celebrandi diem, ita ut omnes *sine ulla disceptione* huic Apostolicae Sedis decreto parere debeant. An non ita Nicaena Synodus agnoscit, et confitetur plenam Summi Pontificis in universalem Ecclesiam potestatem?

(3) Consule Cardinalem Orsium *de irreform. R. Pontif. in definien. fid. controv. judic. tom,* 2. *lib.* 4. *cap.* 16. *seqq. pag* 503. *seqq.*, et Ballerinium *de potest. eccles. Summ. Pontif. et Conc. Gen. cap.* 4. §. 3. *pag.* 57. *seqq.*

§. XXI. Quod si aliquando, cum plures essent, qui inter se de Pontificatu contendebant, neque certo nosci posset, quis eorum verus esset Pontifex, Concilium jurisdictionem exercuit in incertos competitores, non inde effici potest, ut verus Pontifex infra Concilium esse videatur. Quo praesertim invidi vituperatores Pontificiae auctoritatis referunt duo Concilia, Pisanum, et Constantiense. Sed Pisana Synodus generalis certe non fuit, quoniam eam habuerunt Cardinales utriusque obedientiae, quarum una Gregorii XII., altera Benedicti XIII. partibus studebat; et vero indixerunt, atque habuerunt, aperte dissentientibus ipsis Gregorio, et Benedicto, quorum alter Forojulii, alter Perpiniani Concilium haberi voluerat. Ex his duobus alteruter certe verus erat Pontifex, licet ignoraretur, uter esset; utroque autem invito, et repugnante, ac praeterea

duobus aliis in locis indicta Synodo, quis Pisanae, quam Cardinales nullo hujusmodi jure praediti convocaverant, generalis Synodi auctoritatem attribuat? Accedit quod a Pisano Concilio abfuerunt Episcopi complures, et adfuit in primis omnium Caput, ac Princeps, sine quo universa Ecclesia referri non potest (1). Itaque si particularis fuit ea Synodus, profecto, ipsis adversariis fatentibus (2), Summo Pontifice superior esse non potuit. Hinc neque haeretici, neque schismatici habiti umquam sunt, qui tum illi, tum ab eodem electo Pontifici Alexandro V. parere noluerunt; resque omnis post habitam Synodum incerta, et obscura permansit, qualis erat antequam eadem haberetur (3). Quinimo si quis totum illud negocium perspicere diligenter velit, is facile deprehendet, nihil in Pisano Concilio decretum, actumque fuisse, quod legitimi, verique Pontificis auctoritatem labefactare posse videatur. Cum enim omnino esset necessarium schisma illud tollere inveteratum, et exitiosum, primum quidem omnis est data opera diligenter, ut se uterque competitor sponte abdicaret Pontificatu; quod cum impetrari non potuisset, aliam Concilii Patres persequuti sunt viam, qua ad id, quod volebant, pervenirent. Scilicet visum est rogare sententiam Theologos, jurisque canonici peritos, qui cum respondissent, dubios illos Pontifices; qui, ut pax Ecclesiae daretur, sacramento promiserant, sese derelicturos incertam dignitatem, qua fruebantur, et tamen promissis stare renuebant, schismaticos, atque haereticos esse habendos, eaque de causa tamquam ab Ecclesia praecisos Pontificatu cecidisse; Synodus utrique dignitatem abrogavit. Itaque non in verum Pontificem actum aliquid est, sed in eos, qui tamquam schismatici, et haeretici omnis dignitatis expertes judicati fuerant; nec si Concilii Patres in verum Pontificem habere se auctoritatem existimassent, primum illud statuendum putassent, schismaticos homines, et haereticos Ecclesiae praesidere non posse, antequam in Gregorium, et Benedictum depositionis sententiam ferrent (4).

(1) Pisano Concilio nullus interfuit Episcopus ex Hispania universa, quae Benedicti XIII. partibus favebat, quaeque, ut in Constantiensi Con-

lio apud Labbaeum *tom.* 16. *Concil. col.* 34. ajebat Cardinalis S. Marci, *erat non minor Christianorum portio, quam Graecia Christiana.* Absfuerunt etiam omnes Episcopi Scotiae, et multi ex Italia, et Germania, adeo ut idem Cardinalis *ibid.* memoret *multas Germaniae, et Italiae gentes,* quae Gregorio XII. parebant. Hinc non immerito Jacobus Lenfantius *in praefat. ad histor. Concil. Pisan. num.* 5., licet Calvinianus, confessus est, eamdem Synodum non fuisse omnino completam, si ex nationum numero aestimetur. Quod si Bossuetus oecumenicum negat esse concilium VI., propterea quod absfuerunt Hispani, quo jure, aut qua potius injuria oecumenicam habere potest synodum Pisanam, a qua non tantum Hispani, sed aliae *multae Germaniae, et Italiae gentes* absfuerunt?

(2) Bossuetus *Defens. declarat. Cler. Gallic. lib.* 5. *cap.* 15. *opp. tom.* 17. *pag.* 579. *edit. Leod. indic.* ad illam advertens Constantiensis Concilii censuram adversus Wicleffum Summi Pontificis Primatum in discrimen revocantem » En, *inquit*, ut Ecclesias particulares . . . . . Pontifici subjiciunt » additque Gallicanos eum Gersone illa sumpsisse: » dudum esse » supremam, et plenam Pontifici potestatem, sed in comparatione ad fideles singulos, et ad particulares Ecclesias »: quod eodem recidit, ac si dixisset, particularium Ecclesiarum Concilia, quae universam Ecclesiam non referunt, uti referunt Concilia oecumenica, subdita esse *supremae, et plenae* potestati Summi Pontificis, nullamque in eum exercere jurisdictionem posse. Hinc *lib.* 10. *ejusdem Defens. cap.* 20. *tom.* 18. *pag.* 404. habet haec. » Sit ergo profecto, nobis etiam auctoribus, Romani Pontificis sacrosancta » majestas. Nulla eam Synodus particularis judicare audeat ». In eamdembue sententiam malus quoque Pontifices *non subesse particulari Concilio* affirmavit *lib.* 11. *cap.* 4. *pag.* 453., ac vulgatum illud *Prima Sedes a nemine judicatur*, ad particularia Concilia pertinere existimat.

(3) Ea de re initio Constantiensis Concilii magna animorum contentione disputatum est, cum Joannes XXIII. Alexandri successor Pisanum Concilium oecumenicum esse contenderet, ne sui ipsius electio in discrimen revocaretur. Verum, quod vehementer cupiebat, obtinere non potuit, obsistente praesertim Cardinali de Alliaco, qui licet generalis Concilii potestati faveret, probaretque Synodum Pisanam, quaeque in ea gesta fuerant, tamen victus veritate fateri debuit apud Labbaeum *tom.* 16. *Concil. col.* 38. quod » duae obedientiae duorum contendentium, (Gregorii XII. et Benedicti XIII.) » probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diversa, et ad- » versa varietate non sunt minores difficultates juris, et facti, quam ante » Concilium Pisanum erat de justitia duorum contendentium ». Hinc Jacobus Lenfantius *Histor. Concil. Pisan. lib.* 3. *num.* 77. incertam vocat Pisani Concilii auctoritatem; quique eam oecumenicam putant, haereticos neque habent, neque habere possunt, qui eamdem Synodum oecumenicam esse negant. Etiam Ludovicus Maimburgus, qui ante Natalem Alexandrum, Bossuetum, aliosque recentiores in tractatu gallice edito *de magno schismate Occidentis*, Pisanam Synodum oecumenicam appellat, tamen *lib.* 6. *pag.* 576. *seqq. edit. Paris.* 1777. fateri debet, haud esse certam, atque exploratam ejusdem Synodi auctoritatem, quoniam a multis sine ulla schismatis nota tamquam veri Pontifices habebantur Gregorius XII., et Benedictus XIII., quos Pisana Synodus Pontificatu dimoverat. Clarius etiam Gerson *de mod. se hab. temp. schism. pag.* 171. *tom.* 1. *edit. Paris.* 1606 » In schismate » praesenti, *inquit*, tam dubio temerarium, injuriosum, scandalosum est » asserere omnes tenentes istam partem, vel alterum esse extra statum salu- » tis, vel excommunicatos, vel de schismate suspectos ». Idem quoque tradit R. Antoninus *Sum. Moral. par.* 2. *tit.* 3. §. 8. *tom.* 2. *col.* 738. *seqq. edit.*

Florent. 1756. Confer Roncagliam *in not. ad dissert.* 2. *Natal. Alexand. Histor. Eccles. saec.* 15. *et* 16. *tom.* 9, *pag.* 283. *seqq.*, et Catalanum *in Concil. oecumenic. Histor. Concil. Pisan. tom.* 4. §. 37. *seqq. pag.* 165. *seqq. edit. Romae* 1736.

(4) Cum Gregorius XII., et Benedictus XIII., quorum jus erat dubium, et incertum, sese abdicare, uti jurejurando polliciti fuerant, Pontificatu nollent, foverentque schisma obstinatum, et perniciosum, tamquam schismatici judicati sunt, imo etiam haeretici juxta vulgatam illam, quae invaluerat, scholarum regulam, ab haeretico practice non distingui eum, qui pertinax in schismate perseverat. Ea de causa ob notorium schismatis, atque haeresis crimen ante omnem sententiam visi sunt *ipso facto* ab Ecclesia praecisi, ideoque de Pontificatu deturbati; propterea vacua Sede Romana novus, certusque Pontifex eligendus videbatur. Haec porro sententia fuit Theologorum, et Canonistarum 103., qui jussu Concilii in prima Congregatione a Cardinali Mediolanensi consulti fuerunt. Idem quoque judicium fuit Doctorum 120. Academiae Florentinae, Universitatis Bononiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosanae, ac praesertim Parisiensis, quae eamdem ea de re sententiam per Legatos suos Concilio significaverant. Hoc sane tot hominum doctrina illustrium judicium sequuti sunt Pisani Patres non solum cum prima, et secunda sessione duos illos competitores citari voluerunt non nominibus Gregorii XII., et Benedicti XIII., sed Angeli Corrarii ac Petri de Luna, quoniam eos illis de causis, quas commemoravi, non amplius uti Pontifices habebant, verum etiam, et multo quidem clarius, cum post medios aliquot actus in definitiva sententia eosdem tamquam notorios schismaticos, et haereticos *ipso facto*, a Deo ipso, sacrisque Canonibus dignitate dimotos, atque ab Ecclesia praecisos declararunt *sess.* 14., antequam in ipsos depositionis sententiam emitterent, seu potius jam ante emissam significarent.

§. XXII. Eadem fere est habenda ratio Concilii Constantiensis, cujus decretis, quae sessionibus quarta, et quinta continentur, in primis nituntur, qui Pontificiam auctoritatem insectantur. His porro decretis sancitum est, ut etiam Summus Pontifex generalis Concilii legibus parere debeat in iis, quae pertinent ad stabiliendam fidem, ad schisma comprimendum, atque ad procurandam generalem Ecclesiae tum in capite, tum in membris emendationem, poenaeque etiam indicuntur contra ipsum Pontificem, qui his legibus obtemperare recusaverit. Sed ut vis eorum decretorum recte aestimetur, multa primum enodanda sunt, quae nisi plane cognita, et explorata fiant, nihil ex iisdem decretis colligi potest, quod Pontificiae auctoritati detrimenti aliquid inferre videatur. Scilicet quaerendum, definiendumque est, num Joannes XXIII., cujus auctoritate Constantiense Concilium indictum fuit, potiori, ac certiori frueretur jure ad Pontificatum obtinendum, quam duo reliqui competitores Gregorius XII., et Benedictus XIII.

huic indictioni repugnantes; num eodem Joanne Pontifice renunciato post Pisanam Synodum omnia essent tuta, ac tranquilla, ita ut, quae antea fuerat inter Gregorium, et Benedictum, controversia plane finita esset; num Constantiense Concilium, quod initio, et cum habitae sunt sessiones illae IV. et V., tantum constabat ex Joannis obedientia, et ea quidem aliquorum, non omnium, oecumenicum videri possit, cum abessent duae aliae obedientiae, quae tunc schismaticae, atque ab Ecclesia avulsae neque habebantur, neque erant revera; num earum decreta sessionum, quae ab ea Joannis obedientia prodierunt, generalis Concilii auctoritatem obtinere possint, cum edita fuerint non solum eodem Joanne neque per se, neque per Legatos Concilio praesidente, sed etiam palam repugnante (1), ac praeterea in iisdem ferendis exclusum fuerit suffragium Collegii Cardinalium, quod absente Pontifice aliqua ratione Romanam refert Ecclesiam (2); num pro rei gravitate, ac difficultate totum illud negocium satis diligenter cognitum, expensumque fuerit; num insolens illa suffragiorum distributio facta jure, an injuria fuerit (3); denique num ad ferendum suffragium vocare licuerit omnes indiscriminatim laicos, etiam qui habebant uxores, et qui ex nobili genere, quique ex infima plebe erant.

(1) Cardinalis de Turrecremeta *Sum. de Eccles. lib. 2. cap.* 99. tria distinguit Constantiensis Concilii tempora. Primum est, in quo sola Joannis XXIII. obedientia, eaque non integra, Congregationi interfuit: alterum, quo Gregorius XII. suo se jure abdicans congregationi sese conjunxit; postremum, in quo omnes obedientiae convenerunt, electusque est Summus Pontifex Martinus V., et tunc universalem Ecclesiam Concilium repraesentavit. De illis vero decretis IV. et V. sessionis observat 1. Quod minime decretum est generatim de omni oecumenico Concilio, quod habeat immediate a Deo potestatem, cui etiam Summus Pontifex subjiciatur, sed id dictum est speciatim de Synodo Constantiensi, cum nullus erat certus in Ecclesia Pontifex; 2. haec decreta lata sunt tantum ab aliquibus ex obedientia Joannis XXIII., repugnantibus obedientiis Gregorii XII., et Benedicti XIII., imo ipso repugnante Joanne, qui de iis graviter conquestus est, tantum abest, quod ea aliqua ex parte probaverit; 3. decreta illa ab aliis obedientiis minime approbata fuerunt, imo cum omnes obedientiae convenissent, statutum est, ut futurus Pontifex corrigenda corrigeret, quod ostendit, eorum decretorum nullam habitam fuisse rationem, electoque Martino V., ab eo petita est omnium, quae gesta fuerant, confirmatio, quae tantum propria superioris est. Martinus vero eadem decreta non obscure improbavit, cum damnavit errorem, quod Papa canonice electus supremam non habeat in Ecclesia potestatem. Denique idem Cardinalis, decreta illa Conciliorum canonibus, Pontificiis constitutionibus, ac SS. Patrum sententiis adversari animadvertit.

(2) Quod suffragio Collegii Cardinalium nullus est datus in Concilio locus, synodi decreta *conciliariter* facta a pluribus minime censebantur, ut animadvertit unus e Patribus Cardinalis de Alliaco *in tract. de potestate ecclesiastica*, qui in Constantiensi Concilio editus, et Cardinalium nomine Imperatori, ac synodo oblatus fuit. „ Deliberatio, *inquit*, exclusa delibe- » ratione dicti Collegii, et non facta in communi sessione conciliariter fa- » cta „. Ea de re, quod suffragium Collegii Cardinalium exclusum fuisset, conquesti sunt etiam Oratores Galliarum in protestatione Concilio exhibita die 3. Martii an. 1417. *sess.* 28. *tom.* 16. *Concil. col.* 558.

(3) Constantienses Patres ad ferenda suffragia distributi fuerunt in nationes quatuor, easque inaequales, suffragia vero non singillatim, et per capita, sed per nationes in publicis sessionibus ita aestimata fuerunt, ut eadem vis esset suffragii nationis Anglicanae, quae ex paucissimis; ac Italicae, et Gallicae, quae ex plurimis Episcopis constabant. Hanc suffragiorum distribuendorum minus aequam methodum graviter improbat Joannes XXIII. in literis ad Ducem Aurelianensem, atque ad Parisiensem Academiam datis *tom.* 16. *Concil. col.* 805. *seqq.*, atque improbant etiam Galli Oratores *eod. tom.* 16. *Concil. col.* 552. *seqq. et col.* 557.

§. XXIII. Tot ac tanta, quibus duo illa decreta laborant, vitia tollere potuisset auctoritas, et confirmatio Summi Pontificis; sed nulla hujusmodi confirmatio est, et vero non dubia, incerta, et obscura, sed expressa, planeque explorata eadem esse deberet, qualis nimirum esset necessaria, ut omni dubitatione sublata eorumdem decretorum auctoritas certa, ac perspicua reddatur (1). Sane haec confirmatio peti non potest ab Joanne XXIII., qui Constantiensibus legitimus erat Pontifex, cum illae habitae sessiones sunt. Is enim ante tertiam sessionem a Concilio discesserat, neque duabus illis sessionibus interfuit, neque earum decreta approbavit; imo se ab iis vehementer abhorrere declaravit, uti ex literis ad Aurelianensem Ducem, atque ad Parisiensem Academiam datis manifestum est. Frustra etiam hanc confirmationem quaerimus a Martino V., qui a Constantiensi Concilio electus verus, ac legitimus Pontifex fuit. Nam quidquid ab eo, postquam Pontifex renunciatus est, de Constantiensi Concilio gestum, dictumque est, id cum minime expressam, atque perspicuam duarum sessionum confirmationem habeat, imo longe aliud attingat, ad easdem sessiones referri nulla ratione potest. Porro eum expresse quidem approbasse ea, quae contra Joannem Wicleffum, Joannem Hussium, ac Hieronymum Pragensem constituta fuerant, et quidquid forte vitii in iis inesse poterat, sua

auctoritate sustulisse certum est (2); sed de duabus illis sessionibus IV. et V. nullibi verbum, aut indicium est. Imo vero Polonos Oratores ad generale Concilium, indicta poena excommunicationis, appellare vetuit, neque alicui fas esse decrevit hujus causa appellationis se judicio subtrahere Sedis Apostolicae; quo quidem modo Constantiensia illa decreta abrogata sunt (3). Quamquam autem ipse Martinus non aliquid decernendo, sed rem gestam narrando canonicam appellarit Joannis depositionem, id tamen referendum est ad ordinem in eo negocio servatum, atque ad factum ejusdem Joannis, qui cum sententiae a synodo ferendae sese subjecisset, eamque deinceps latam firmam ratamque habuisset, eidem Synodo in semetipsum jurisdictionem concessisse, seque non tam Synodi sententia, et auctoritate, quam suo ipso judicio, et voluntate Pontificatu abdicasse videbatur. Idem debet esse judicium de Eugenio IV., qui cum Basileensis Concilii progressum approbavit, haud sane approbavit, quae in eodem Concilio fuerant constituta, multoque minus Constantientia decreta, quae in illius actis descripta fuerant (4).

(1) Pontificiam hanc Constantiensium decretorum confirmationem adeo necessariam ipsi Adversarii existimarunt, ut *in Declaratione Cleri* edita an. 1682. eam accessisse affirmaverint, ut eorum auctoritas consisteret. » Valeant, *inquiunt*, et immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Con- » stantiensis a Sede Apostolica comprobata ., . decreta ».

(2) Quod patet ex duabus ejusdem Pontificis Constitutionibus datis ante exitum concilii VIII. Kalendas Martij; et in earum altera, quae incipit *In eminenti Apostolicae dignitatis specula* vitia omnia, si quae forte in illorum haereticorum erroribus condemnandis contracta fuissent, e medio tolluntur, ac suppletur quidquid forte deesse poterat: verum de duobus illis decretis Sessionum IV. et V. ne unum quidem verbum est.

(3) Bullam hanc Martini V., qua omnis est vetita a judicio Summi Pontificis ad Concilium appellatio, *fundamentale penitus robur destruxisse* Constantiensium decretorum Joannes Gerson praecipuus eorum fautor, et vindex conquestus est *dialog. Apolog. tom.* 2. *opp. pag.* 390. *edit Antuerp.* Quare cum iisdem Polonis petentibus cujusdam libri condemnationem Martinus respondit „ omnia et singula determinata „ conclusa, et decreta in ma- » teria fidei per praesens Concilium conciliariter tenere, et inviolabiliter » observare velle . ipsaque sic conciliariter facta approbare . et ratificare, » et non aliter, nec alio modo„ *tom.* 16. *Concil. col.* 746., id totum pertinet ad fidei decreta . quae adversus Wicleffum, Hussium, et Hieronymum Pragensem emissa fuerunt, quorum certa confirmatio est, non ad decreta duarum sessionum IV. et V., quae Pontifex non modo non approbavit, sed potius reprobavit in radice. et *fundamento*, uti Gerson animadvertit; cum

praesertim ea per sese a Patribus Concilii edita non fuerint veluti decreta fidei iis concepta formulis, quae in definitionibus dogmaticis adhiberi solent, sed per modum *constitutionum synodalium*, ut *in quintae sessionis proemio* declaratum fuit.

(4) Haec sane Bulla, qua Imperator a Martino V. solutus est onere custodiae Joannis XXIII. his initio verbis concepta est: » Dudum praesens » generale Concilium Constantiense personam Balthassaris Cossae, olim » Joannis XXIII. in sua obedientia nuncupati, post illius a Papatu definitivam sententiam ejusdem concilii canonicam depositionem, per eamdem » sententiam ad standum, et morandum in aliquo bono, et honesto loco sub » custodia tuta etc. „ *tom* 16. *Concil. col.* 716. Consule Schelestratium *de sens. et auctor. decret. Constant. Concil.*, Orsium Cardinalem *de Rom. Pontif. in Synod. oecumenic. potest.*, Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontif. et Concil. Gener. cap.* 7. *pag.* 101. *seqq. edit. August. Vindelic.*

§. XXIV. His accedit, quod Constantienses Patres cum ea de concilii supra Pontificem auctoritate decreta ediderunt, nullam sane dogmaticam definitionem emittere, sed tantum quaedam capitula, seu decreta proponere voluerunt *per modum constitutionum synodalium* (1); adeout plane nihil praescriptum haberetur, quod omnibus, ad instar dogmaticae definitionis, veritatis loco esse deberet. Non enim omnia Conciliorum decreta fidei dogma constituunt, nisi in primis ita sint proposita, ut nemini in aliam ire sententiam liceat, ita ut qui secus sentiat a catholica fide alienus, atque ab Ecclesia praecisus habeatur, poenasque luat, quae sunt in haereticos constitutae (2). Ea sane controversia de generalium Conciliorum, Summique Pontificis auctoritate, pertinebat ad intelligenda evangelica loca, quibus utraque potestas innititur, ad vim, et naturam Pontificii Primatus explicandam, atque ad alia similia, quae fidem respiciunt; at Pontificis supra Concilium auctoritas ita erat antiquis exemplis atque omnium pene sententia confirmata, ut dogmaticum judicium, si quod fuisset ferendum, pro Summo Pontifice ferri debuisset. Verum in illo rerum discrimine, et pertinacia competitorum, cum non alius esset tam diuturni, tamque exitiosi schismatis comprimendi modus, imperiosa quaedam necessitas coegit Patres Constantienses sibi auctoritatem adscribere in incertos illos Pontifices; ita ut de dignitate dejicerentur, nisi sponte sese Pontificatu abdicarent, atque ita removerentur mala, quae Ecclesia Dei certo viduata capite tot jam annos perferebat (3). Sed quod in illis re-

rum angustiis suaserat lex dura necessitatis, id quidem satis esse potuit, ut Concilii Patres probabilem haberent ita agendi causam, sed certe efficere non potuit, ut nova illa, et a misero rerum statu, ac remedii necessitate profecta sententia tamquam dogma costitueretur (4). Hinc post illa edita decreta, quibus generale Concilium Pontifici antelatum est, cum quaereretur, num ejusdem Concilii, an Pontificis nomine vulganda essent, quae contra Wicleffum fuerant constituta, sancitum est, ut eadem Pontificis, non Concilii nomine emitterentur; quod certe fieri non potuisset, si duo illa quartae, ac quintae sessionis decreta sine nomine Pontificis edita tamquam fidei dogma proposita fuissent; et hinc etiam cuivis integrum semper fuit eadem decreta sine ulla haereseos nota repudiare (5).

(1) His sane verbis Sessio V. *tom.* 17. *Concil. col.* 73. concepta est: » surrexit de mandato totius S. Synodi Rev. P. D. Andreas electus Posna» niensis, et certa capitula per modum constitutionum synodalium prius » per singulas quatuor nationes conclusa, et deliberata legit, et publicavit ». Quod idem vocabulum *constitutionum* iterum usurpatur post lectionem ipsorum decretorum V. sessionis *ibid. col.* 76 *et* 77. Ex quo patet, in ea sessione Constantienses Patres nullam ferre voluisse legem, qua omnes tenerentur, sed tantum literis mandasse, quae in illo rerum discrimine necessitate coacti faciendum putaverant, ut pax Ecclesiae redderetur.

(2) Confer Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 5. *cap.* 5., ubi et notae, quibus nosci fidei decreta possint, indicantur.

(3) Malum hoc obstinati schismatis causam fuisse, propter quam plures, cum Synodus Constantiensis habita est, in eam abirent sententiam, non obscure significavit Joannes Gerson *in tract. de potest. eccles. consid.* 11. *pag.* 107. *tom.* 5. *edit. ejusd.* ubi post memoratam vulgatam antea eorum sententiam, qui » posuerunt papalem auctoritatem supra Concilium, aut » saltem non imparem » subdit » Benedictus autem Deus, qui per hoc sa» crosanctum Concilium illustratum divinae legis lumine, dante ad hoc » ipsum vexatione praesentis schismatis intellectum, liberavit Deus Eccle» siam suam ab hac pestifera, perniciosissimaque doctrina ». Itaque *vexatio schismatis* novam illam opinionem induxit, cum antea longe alia esset, eaque apud omnes recepta sententia, quam Gerson propter illam praejudicatam opinionem *pestiferam, et perniciosissimam* vocat, licet paulo post *consid.* 12. fatetur, quod eadem vetusta sententia veluti quaedam *traditio* a Majoribus accepta ante Synodum Constantiensem „ sic occupaverat mentes „ plurimorum „ ut oppositum dogmatizare fuisset de haeretica pravitate » suspectum, vel damnatum „. Quae Gersonis confessio evidenter ostendit, novam esse sententiam, quae Summo Pontifici Concilium praefert, ideoque falsam esse, secundum regulam a Vincentio Lirinensi, aliisque propositam, cum ab Ecclesia generatim improbari non possit tamquam fidei contraria ea doctrina, quae talis revera non sit. Hinc Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 6. *cap.* 7. in ea sententia est, quod si in oecumenico concilio

esset, nec fuisset opinio eorum, qui Summum Pontificem aliquid ex cathedra definientem errare posse existimant, ea tamquam haeretica proscripta fuisset, quae sententia confirmatur a generali condemnatione quatuor propositionum Cleri Gallicani an. 1682.

(4) Hinc ea decreta, de quibus quaerimus, nullam habent adjectam notam haeresis, aut aliam hujusmodi, qua fidei definitiones distingui solent, et qua Constantienses Patres in proscribendis erroribus Wicleffi, Hussii, et Hieronymi Pragensis usi sunt. Itaque sola remedii necessitas in illo rerum discrimine eosdem Patres in novam illam sententiam induxit, et hi quidem quid tunc optimum factu esse putabant iis decretis proposuerunt, non quod ab omnibus tamquam exploratum fidei dogma haberetur.

(5) Ea de re conventus est habitus Theologorum, in eoque Cardinalis Cameracensis pro Concilio disseruit. Verum cum quadraginta essent, qui in eum locum convenerant, tantum Doctores duodecim Cardinalis sententiam sequuti sunt, reliqui viginti et octo Cardinali vehementer obstiterunt, ac Pontificis nomine definitivam sententiam emittendam esse demonstrarunt. Si duabus illis sessionibus IV. et V. tamquam fidei dogma definitum fuisset, infra Concilium esse Summum Pontificem, qui fieri potuisset, ut paucos post dies quaereretur: num fidei decretum Concilii, an potius Summi Pontificis nomine esset emittendum, atque ut ex quadraginta Theologis viginti et octo pro Pontifice sententiam ferrent, ac nullam Concilio inesse auctoritatem affirmarent, nisi Patres cum suo capite in unitate sint? Certe Cardinalis Cameracensis in eo libello, quo solo Concilii nomine fidei decreta emitti posse defendit, ut id efficeret, quod contendebat, nihil luculentius proferre poterat decretis sessionum quartae, et quintae, quae uno Concilii nomine edita sunt, si ea tamquam fidei dogma proposita fuissent. Ex quo patet, novisse ipsum Cardinalem, quod iis decretis fidei doctrina minime contineretur. Quin idem Cardinalis in longiori tractatu, quem deinceps in eodem Concilio evulgavit *de Ecclesiae, Conciliorum generalium, Romani Pontificis, et Cardinalium auctoritate*, cum in eadem quaestione versaretur, non solum eorumdem decretorum mentionem facit plane nullam, nec adversarios haereseos arguit; sed etiam disputationem pro Concilii oecumenici auctoritate his verbis concludit „ quae tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo » posita sunt; nam hujus rei definitionem sacri Concilii determinationi » submitto ». Quibus ex verbis manifestum est, eum quaestionem illam de jure Concilii in Summum Pontificem minime ex fide definitam credidisse, sicut nec alii deinceps umquam crediderunt, qui licet potiorem habeant Concilii, quam Pontificis auctoritatem, haud tamen haereticos judicant eos, quorum alia sententia est. Solide haec omnia, et copiose persequitur Petrus Ballerinius *de potest. eccles. Summ. Pontif. et Concil. general. cap. 8. et 9. pag. 109. et seq.*, et Cardinalis Orsius *de Rom. Pontif. potestate lib 5. et 6.*, ubi omnia quae contra Summi Pontificis auctoritatem ex Constantiensi, et Basileensi Conciliis, praesertim a Bossueto Episcopo Meldensi, sumi solent, diligenter refutantur. Confer etiam Petidierum *Dissertation Historique et Theologique, dans la quelle on examine quel a été le sentiment du Concile de Constance, et des principaux Theologiens, qui y ont assisté sur l'auctorité des Papes, et sur leur infallibilité*, et Schelestratium *de sens. et auctor. decret. Constan. Concil.*

§. XXV. Jam reliqua Primatus jura persequamur. Porro ex jurisdictione, quam in tota Ecclesia Summus Pontifex

habet, multa profluunt, quae ejusdem sunt propria jurisdictionis. Nimirum ipse leges condit, quibus obstringitur Ecclesia universa, conditas cum opus est, relaxat, poenisque animadvertit in eos, qui legibus parere recusent, judicat graviores causas ecclesiasticas, habetque jus appellationum. Cum enim recta earum ratio sit, ut ab inferiori ad superiorem provocetur, ita ut postrema appellatio ad eum deferatur, qui omnibus cum auctoritate praepositus est, facile intelligitur in ecclesiasticis negociis appellandum demum esse Summum Pontificem, quem Christus toti Ecclesiae praeesse voluit. Eadem est methodus in civilibus quoque negociis, in quibus postrema appellatio ad eum defertur, qui toti Reipublicae cum jurisdictione praeest; an non idem pari modo in rebus ecclesiasticis jus erit Summo Pontifici qui similem habet in ecclesiastica Republica, et eam quidem a Christo acceptam potestatem? Non igitur Synodus Sardicensis, quod quidam putant, primum contulit in Romanum Pontificem jus appellationum, sed potius jus ipsum Primatus proprium agnovit; eaque constituit, quae in his appellationibus servare oportebat, ne aut inutiliter, aut minus recte proponerentur. Revera appellationum ad Sedem Apostolicam multa sunt exempla Sardicensi Concilio antiquiora: et huc sane spectant appellationes Montani, Sancti Athanasii Patriarchae Alexandrini, Pauli Episcopi Constantinopolitani, Asclepae Gazensis, Marcelli Ancyrani, Lucii Adrianopolitani. Hi omnes ad Summum Pontificem provocarunt adversus sententiam synodorum, a quibus condemnati, atque ab Episcopatu dejecti fuerant, antequam Sardicense Concilium haberetur (1).

(1) Jus appellationum, inquit Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 28. *de jur. appellat. tom.* 4. *pag.* 462. *edit. Venet.* 1776. „ est appendix Primatus S. Petro, et ejus successoribus a Christo collati, non „ est a Synodo Sardicensi, aut quavis alia institutum „. De hoc jure et alio loco copiose disseram, et multa me dixisse memini *in Instit. Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 15. *tom.* 3. *pag.* 203. *seqq. edit. Romae* 1792. Quod etiam dictum volo de ceteris Primatus juribus, de quibus alio loco multa dicam, et multa jam dixi in iisdem *Instit. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. *tom.* 1. §. 14. *seqq. pag.* 167. *seqq.*

§. XXVI. Ejusdem quoque jurisdictionis est proprium, ut Pontifex, cui divino jure subduntur omnes, sibi uni subjicere possit eos, qui et aliis infra semetipsum Jure ecclesiastico subjecti sunt; ut plenarias, quas vocant, Indulgentias attribuat; ut ubique terrarum Pontificalia solus exercere possit; ut generales ecclesiasticos situs a tota Ecclesia servandos constituat; ut regularia Instituta approbet, atque, confirmet, eademque etiam justis de causis e medio tollat; ut insignes pietate viros albo Beatorum, vel Sanctorum adscribat. Et quoniam Pontifex et ovibus, et agnis a Christo Servatore praepositus est, eique commissa cura, et procuratio Ecclesiae universae, non tantum in gregem, sed etiam in Pastores, qui gregem ipsum speciatim regunt, singuli in Dioecesi sua, suam exercere jurisdictionem, et omnium solicitudinem habere debet. Itaque ipse creat, ac transfert Episcopos, eorumque arctat, et constringit potestatem, quam obnoxiam habet; eosdem propter crimina Episcopatu dimovet, et, cum est opus, restituit; Episcopatus constituit, et plures in unum conjungit, aut unum distrahit in plures, cum alterutrum postulat Ecclesiae utilitas, cui prospiciendum in primis ab se, consulendumque est. Cumque Pontifici omnia, quae in Ecclesia fiunt, nota esse debeant, ut quod postulat ejusdem Ecclesiae bonum, perficere possit, consequens est, ut ipse rerum omnium, quae ad ipsam pertinent, certior sit faciendus; unde oritur jus petendarum, accipiendarumque relationum, per quas Pontifici totius Ecclesiae status innotescit, partesque implet officii, quod sibi a Christo commissum est (1). Cuncta haec quasi praetereuntes strictim aspeximus; alius erit earum dilatandarum, fusiusque explicandarum locus.

(1) Antiquus saue mos est, atque a primis Ecclesiae seculis perpetuo servatus referendi ad Sedem Apostolicam graviora quaeque ecclesiastica negocia, quae praesertim ad fidem pertinent, cujus quidem initia ab ipsa Apostolorum aetate repetit Theodorus Cyri Episcopus in epistola ad S. Leonem M., quae est numero 52. *inter ipsius Leonis epistolas tom. 1. opp. col.* 941. *edit. Venet.* 1753., ejusque primum exemplum profert ex Apostolo Paulo, qui tametsi esset *Praeco veritatis, et tuba Spiritus S.*, tamen in prima illa de legalibus controversia, ut omnibus praeberet exemplum „ ad „ magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversa„ tione ambigebant, explicationem ab ipso referret „. Temporis injuria

perierunt antiquissima monumenta; eademque de causa nihil etiam reliquum est ex iis multis, quae Hieronymus sub Damaso relata, et responsa commemorat *epist.* 123. *ad Ageruchiam n.* 10. *opp. tom.* 1. *col.* 907. *edit. Venet.* 1666. „ cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanae Urbis „ Episcoporum, et Orientis, Occidentisque synodicis consultationibus respon- „ derem etc. „ Sed multa adhuc monumenta supersunt, ex quibus intelligimus, omnia Romano Pontifici, tamquam Summo Ecclesiae moderatori, significari consuevisse, ut omnis, si qui forte irrepsisset, error ejus auctoritate tolleretur, veraque fides in illustri loco poneretur; quo sane consilio Augustinus ad Bonifacium P. misit libros quatuor contra duas Pelagionorum epistolas, ut ipse declarat his verbis *lib.* 1. *num.* 3. *opp. tom.* 13. *col* 513. „ Haec ergo, quae istis, ut dixi, duabus epistolis illorum ista di- „ sputatione respondeo ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem non „ tam discenda, quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, „ emendanda constitui „. Hinc merito Innocentius I. *ep.* 29. *ad Concil. Carthaginien.* apud Constantium *epist. Rom. Pontif. num.* 1. *col.* 888. *seqq. antiqua traditione*, atque etiam *Patrum institutis* firmatum ait jus relationum ad Sedem Apostolicam „ ut quidquid quamvis de dis- „ junctis, remotisque provinciis ageretur, non prius finitum haberetur, „ nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa „ quae fuerit pronunciatio firmaretur „. Quod etiam ipse Innocentius tradit *ep.* 30. *ad Concil. Milevitan. num.* 2. *col.* 896., idemque confirmant Africani Episcopi *in epist. ad Theodor. P.*, quae postea lecta fuit in Lateranensi Concilio sub Martino I. *act.* 2. apud Labbaeum *tom.* 7. *Concil. col.* 131. „ Antiquis enim regulis, *inquiunt*, sancitum est, ut quidquid „ quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non „ prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae Sedis „ vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quae fuisset pronun- „ ciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae, velut de natali „ suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regio- „ nes puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis „. Confer quae scripsi *in institut. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 8. *sect.* 1. §. 14. *not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 167.

DE EPISCOPIS APOSTOLORUM SUCCESSORIBUS

CAPUT VI.

I. Potestas extraordinaria solius Apostolatus propria. Ea necessaria ad Ecclesiam constituendam.

II. In ea non successerunt Episcopi, sed tantum successerunt in potestate ordinaria Episcopatus.

III. Episcoporum jurisdictio circumscribitur finibus singularum Dioeceseon. Jurisdictio episcopatui generatim affixa a Deo immediate procedit.

IV. Jurisdictio singulorum in una, alterave Dioecesi ab Ecclesia repetenda est.

V. Actum, et usum exercendae jurisdictionis ab Ecclesia habet Episcopus.

VI. Hic usus, atque actus a Summo Pontifice arctari potest. Quae sint jura primigenia, et originaria Episcoporum.

VII. Jura Episcoporum ab Apostolo arctata.

VIII. Item arctata deinceps ab Ecclesia.

IX. Jure Primatus recte arctantur a Summo Pontifice.

X. In Episcopis potestas ordinis, et jurisdictionis. Quomodo utraque acquiratur?

XI. Ecclesia congregata, et dispersa. Utraque erroris expers.

XII. Errant qui unanimem omnium Episcoporum consensum requirunt.

XIII. Presbyteris regendae Ecclesiae potestas divinitus concessa non est.

XIV Ab Episcopo omnia oritur Presbyterorum jurisdictio.

XV Singulae Ecclesiae unum habere debent caput, quod cum capite Ecclesiae universalis in fide, et communione consentiat.

§. I.

Christianam Rempublicam instituturus Dei filius Christus Jesus, ei praeficere debuit Rectores, et Gubernatores, qui eamdem administrarent, adornarent, munirentque legibus ea praestarent, omnia, quae Reipublicae bonum, et incolumitas postulabat. Hi Rectores Apostoli sunt, quos Christus ex discipulorum numero elegit, et quorum esse voluit nunciare Evangelium orbi universo, atque homines cogere, ex quibus eadem Respublica efficeretur. Si ea brevi tempore stare debuisset, satis fuisset his tantum rectoribus initio constitutis regendi, administrandique tribuere potestatem, quae iisdem morientibus extingueretur; sed cum ea stare, et consistere deberet sempiternis saeculorum aetati-

bus, in Apostolorum successores transmittere oportuit potestatem, quam illi initio habuerunt, ad regendam Rempublicam necessariam. Duplex autem, uti diximus, Apostolis a Christo data potestas est, altera, qua opus erat, ut Ecclesia constitueretur, altera, quae erat necessaria, ut constituta regeretur. Prior illa potestas, ut omnes facile intelligunt, non potuit non esse potestas certi cujusdam temporis, quantum scilicet res ipsa postulabat, ut Ecclesia constitueretur; sed ea constituta, inutilis fuisset eadem potestas, imo vero, adhuc integra ea remanente in omnibus Apostolorum successoribus, gravi exinde mala, et incomoda exorta fuissent. Nam si his eadem omnino, quae illis, attributa fuisset constituendae Ecclesiae potestas, cum ipsi non eodem, quo Apostoli, Spiritu Sancto instincti sint, novis ab se legibus datis, novaque forma regiminis rem divinitus constitutam evertere potuissent; praeterea nulla certa esset Ecclesiae ratio, et administratio, quoniam tot hominum arbitrio perpetuo subderetur; denique rerum omnium confusio esset, ac perturbatio plane singularis. Ecclesiae conformandae gratia in primis erat necessarium peramplam, atque extraordinariam Apostolis tribuere potestatem ubique nunciandi Evangelium, et ubique exercendi jurisdictionem, creandi Episcopos in Civitatibus, quae Christi fidem amplecterentur, stabiliendi fines eorum potestatis, agendi demum cetera, quae ad illam constitutionem pertinebant. Itaque haec extraordinaria potestas, quae propria tantum erat Apostolatus, data quidem est Apostolis, quibus ea fuit necessaria; sed iis mortuis plane desiit, neque ad eorum successores translata est.

§. II. Verum potestas altera, quae gubernium, et administrationem respicit Ecclesiae jam constitutae, perpetua esse debuit, uti perpetua est Ecclesia; ideoque transiit ad Apostolorum successores, non autem illorum morte expiravit. Itaque Episcopi Apostolis successerunt in iis, quae Episcopatus, non item in iis, quae Apostolatus propria sunt; ideoque regunt singuli particulares Ecclesias, quibus praepositi sunt, suamque exercent jurisdictionem intra illum terrae tractum, quem administrandum acceperunt. Cujus quidem distributionis initia ab ipsis Apostolis repetenda sunt. Hi

enim a Christo missi in universum mundum cum amplissima potestate nunciandi Evangelium, et rem Christianam constituendi, particulares Ecclesias fundarunt, iisque praefecerunt Episcopos cum jurisdictione non in totum orbem, qualis erat jurisdictio sibi ipsis a Christo data, sed tantum in eam regionem, cujus fuerat iisdem commissa administratio. Exempla sunt in Tito, et Timotheo, quorum alterum Paulus Apostolus Cretae, alterum Ephesi Episcopum creavit; similiter et Petrus, ceterique Apostoli alios dederunt Episcopos particularibus Ecclesiis ab se institutis (1). Imo ex duodecim Apostolis unum Petrum fixam habuisse Sedem, quam per semetipsum gubernavit, certum est, primum Antiochiae, deinde Romae, quoniam omnibus certa, et explorata esse debebat Ecclesia; quae caput erat ac princeps reliquarum; et fons, centrumque unitatis. At ceteros Apostolos particularem aliquam Ecclesiam rexisse non constat (2); adeo ipsi soliciti erant de una, et universali Ecclesia ubique propaganda, deque exercendo munere Apostolatus proprio, quod minime ad successores Episcopos transire debebat. Non igitur cum Episcopos dicimus Apostolorum successores, illos Apostolis successisse putandum est in extraordinaria illa, atque ad constituendam Ecclesiam necessaria potestate, quae propria fuit Apostolorum, sed tantum successerunt in ordinaria potestate regendi populum, cui praefecti sunt (3).

(1) Plures sane in Asia fuisse Episcopos, quibus Apostoli certam regionem administrandam dederunt, constat ex Joannis Apocalypsi *cap. II. vers. 1. et seq.*, atque a Paulo, cum Miletum venit, eoque vocavit Episcopos, non eum modo, qui Ephesinae, sed etiam ceteros, qui in finitimis Civitatibus Ecclesiis praeerant, accitos fuisse scribit Irenaeus *contr. haeres. lib. 3. cap.* 24. *pag.* 201. *tom.* 1. *edit. Venet.* 1734. Confer etiam Hieronymum *de viris illustr. cap* 9. *opp. tom.* 2. *col.* 843. *edit. Vallarsii Venet.* 1766., et Ignatium Martyrem in epistolis ad Ephesios, ad Philippenses, ad Trallianos, ad Magnesianos, ad Polycarpum. Cum enim ipse vel anno 107. post Christum natum, vel non multo post martyrium pertulerit, profecto cum Episcopos descripsit earum Civitatum, nonnisi Episcopos ab Apostolis ordinatos describere debuit. Vide etiam Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 211. *edit. Taurin.* 1746.

(2) Jacobum fratrem Domini cognomento Justum particulari, hoc est Hierosolymitanae Ecclesiae, praefuisse constat. Verum non ita exploratum est, num hic Jacobus e numero fuerit duodecim Apostolorum. Affirmant Baronius, Petavius, Pearsonius, Cotelerius, Valchius, Orsius, Casinus, Natalis Alexander: negant autem Florentinius, Henschenius, Valesius, Mazochius, quorum sententiam solide, copioseque confirmat Franciscus An-

tonius Zaccaria peculiari dissertatione, quae extat *in append. ad tom.* 6. *Petavii de theolog dogmat. pag.* 89. *seqq. edit. Venet.* 1757. Horum ego sententiam sequor, ac satis exploratum arbitror, tres fuis e Jacobos, primum Zebedaei, alterum Alphaei, postremum Cleophae filium, et hic quidem fuit Theadelphus, Hierosolymorum Episcopus, neque fuit Apostolus ex duodecim, quo ex numero reliquos duos fuisse certum est.

(3) Confer, praeter ceteros, Petavium *lib.* 4. *de Eccles. Hierarch. cap.* 7. *num.* 3. *tom.* 6. *Theolog. Dogmat. pag.* 185. *edit. Venet. indic.* Natalem Alexandrum *Histor. eccles. dissert.* 4 *saec.* 1. §. 4. *tom.* 3. *pag.* 85. *edit.* 1776., Schelestratium *antiq. eccles. tom.* 2. *dissert.* 4. *cap.* 3. *pag.* 245. *seqq. edit. Romae* 1697., Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontif. etc. cap.* 1. §. 4. *pag.* 10. *seqq.*

§. III. Collegium quidem universum Episcoporum, qui cum suo capite conjuncti universalem Ecclesiam referunt, habet in totum orbem jurisdictionem; sed singulorum jurisdictio non producitur ad eas gentes, quarum nulla ipsis commissa gubernatio est. Itaque Episcopi cujusque legis certam illam dioecesim afficiunt, cui sunt praepositi, atque obstringunt subditos, qui ea continentur; sed extra suam dioecesim cum unusquique nullos habeat subditos, ne ullam quidem jurisdictionem habere potest. Ex quo mihi expediri videtur posse a controversia, de qua etiam a Tridentinis Patribus actum est, ac res in medio relicta (1), *mediate* ne, an *immediate* a Christo procedat Episcoporum jurisdictio. Equidem jurisdictionem affixam generatim Episcopatui ab ipso Christo *immediate* repetendam arbitror, *mediate* tantum jurisdictionem speciatim in singulis residentem. Id brevius dictum paulo diligentius explicandum est, Christum Episcopatum instituisse, atque in universo Episcoporum collegio cum suo Capite conjuncto omnem Christianae Reipublicae administrationem, auctoritatemque posuisse certum est. Mitto hic quae uni Petro seorsim ab aliis Apostolis dicta sunt, ac tantum insisto iis Evangelii locis, in quibus Apostolis omnibus in totam Ecclesiam auctoritas, et jurisdictio concessa est. In his autem locis quomodo haec data potestas est? Semper est attributa omnibus Apostolis cum Petro, nemini separatim, excepto tantum ipso Petro, qui primum seorsim ab aliis Apostolis, postea conjunctim cum iis regendae Ecclesiae potestatem accepit. Itaque jurisdictio, quam totum habet collegium Episcoporum, qui Apostolis successerunt, *immediate* ab ipso Christo repetenda est.

(1) Confer Pallavicinium *Histor. Concil. Trident. lib.* 18. *cap.* 14. *et* 15., *et lib.* 21. *cap.* 11. *pag.* 199. *et seq. et* 555. *edit. Antuerp.* 1770.

§. IV. At si singulos consideremus Episcopos, tamquam particularium Ecclesiarum rectores, nullam ipsi a Christo jurisdictionem *immediate* acceperunt. Omnis haec jurisdictio *immediate* oritur ab Ecclesia, quae dioeceses distribuit, in quibus singuli Episcopi jurisdictionem exerceant, certosque assignavit subditos, quos regant. Extra hanc dioecesim nulli sunt singulorum subditi, et nulla jurisdictio. Quod si ea, quam singuli Episcopi separatim habent, jurisdictio tota pendet ab illa certorum subditorum, certaeque regionis assignatione, et si haec assignatio ab Ecclesia conficitur, manifestum est, singulos Episcopos ab eadem Ecclesia, sive ab ejus Capite Romano Pontifice jurisdictionem *immediate* obtinere. Revera divini juris est, quod collegium extet Episcoporum, qui cum suo Capite conjuncti totam Ecclesiam referunt; sed quod unus, aut alter Episcopus sit, nihil ad jus divinum pertinet, nec divinae Ecclesiae, et Episcopatus institutioni quidquam detrahitur, si unus, aut alter Episcopus tollitur, modo maneat collegium universum Episcoporum. Ita cum fines contrahuntur alicujus dioeceseos, Episcopi, qui ei praeest, contrahitur, in angustumque deducitur jurisdictio, contra cum iidem fines augentur, et amplificantur, latius patet Episcopi, qui illam regit, jurisdictio; adeo verum est, eam totam ab Ecclesiae arbitrio pendere. Sed hic Episcopus sive dioecesim habeat ampliorum, sive angustiorum, plus certe, minusve habebit illius jurisdictionis, quam singuli habent separatim Episcopi; at in collegio omnium Episcoporum, quibus praeest caput, eamdem, quam ceteri collegae habent, potestatem obtinebit (1). Ergo alia jurisdictio est, qua singuli Episcopi potiuntur, alia quae inest in collegio universo; et haec quidem, non item illa *immediate* a Deo proficiscitur.

(1) Atque huc spectasse arbitror Cyprianum *de unit. Eccles. col.* 464. *edit Maurin. Venet.* 1758. cum scripsit » Episcopatus unus est, cujus a » singulis in solidum pars tenetur ». Non enim eo loco Cyprianus vocabulum illud *in solidum* forensi modo usurpavit, quasi dicere voluerit, singulos Episcopos tam in propria dioecesi, quam in tota Ecclesia jurisdi-

ctionem habere. Alia sane, eaque longe diversa est ejus vocabuli significatio. Id nimirum Cyprianus intelligi voluit, singulos Episcopatus non veluti partes esse inter se disjunctas, atque discretas, ita ut corpus, quod ex iis efficitur, sine discrimine *soliditatis* dividi, ac separari possit; sed singulos Episcopatus tam esse compositos, tamque compactos, et coagmentatos, ut ex eorum compagibus corpus efficiatur unum, ac solidum, quod dividi, ac discerpi non possit. Id vero pertinet ad eam, de qua Cyprianus agebat, Ecclesiae unitatem demonstrandam, quae revera in eo est posita, ut ex particularium conglutinatione Ecclesiarum unum solidum corpus, hoc est una catholica Ecclesia efficiatur. Quod quidem voluisse Cyprianum evidenter constat ex iis, quae in eodem libro scripta sunt. Nam paulo ante dixerat » quam unitatem firmiter tenere, ac vindicare debemus, » maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque » ipsum unum, atque indivisum probemus ». Tum reliqua persequitur argumenta, quae ad eamdem dividi nesciam unitatem pertinent, ac praeter cetera tamquam symbolum hujusce unitatis proponit Christi tunicam, quae » non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, » qui ipsam indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta, atque indivi» sa tunica possidetur » additque deinceps » unitatem illa portabat de su» periore parte venientem, quae ab accipiente, et possidente scindi omni» no non poterat, sed totam simul, et solidam firmitatem inseparabiliter » obtinebat ». Clarius autem inferiori loco *col.* 480. „ Deus, *inquit*, unus » est, et Christus unus, et una Ecclesia, et una fides, et plebs una in so» lidam corporis unitatem concordiae glutino copulata ». Praeclare Bossuetus *sermons. sur l'unité de l'Eglise opp. tom.* 6. *pag* 477. *edit. Leodii* 1766. » Les Evêques, *inquit*, n'ont tous ensemble qu' une même chaire, » par le rapport essentiel, qu'ils ont tous avec la chaire unique, où Saint » Pierre et ses successeurs sont assis. »

§. V. Verum dari etiam, et concedi potest, non tantum totius Collegii Episcoporum, sed etiam singulorum jurisdictionem a Deo ipso *immediate* procedere; eodem tamen revolvamur necesse est. Nam distinguere oportet ipsam jurisdictionem ab actu, et usu ejus exercendae; illa quidem a Deo repeti immediate potest, sed actus et usus omnis ab Ecclesia est, quae eum unicuique Episcopo concedit, cum ei suos assignat subditos, in quos illam divino jure quaesitam, sed tamen sine iisdem subditis otiosam jurisdictionem exerceat. Ita in ordinatione Sacerdos dimittendi peccata potestatem consequitur, sed ea, nisi ab Ecclesia subditos habeat, uti non potest. Quod clarius est in ipsa Episcoporum ordinatione. Fac enim duos ordinari Episcopos, quorum alter Ecclesia suam dioecesim, suosque subditos attribuit; non item alteri, uti sunt Episcopi, quos *Titulares* appellamus. Eadem ex ordinatione in utrumque Episcopum descendit jurisdictio, quae divini juris est; sed ille eamdem exercere potest. In

iis, quae pertinent ad Jus Divinum, eadem prorsus est utrinsque Episcopi potestas, et jurisdictio, sed tamen dissimilis est conditio; quoniam alter tantum, quae juris divini est, jurisdictionem obtinuit, alter et ipsam jurisdictionem, et ejus, quae ab Ecclesia tribuitur, in certos subditos exercendae facultatem. Cum Paulus Titum, ac Timotheum Episcopos ordinavit, in eos certe contulit jurisdictionem divino jure annexam Episcopatui, sed haec jurisdictio abstracta, et ociosa fuisset, nisi utrique suos assignasset subditos, in quos illi eamdem exercerent. Solis Apostolis Christus et jurisdictionem dedit, et simul usum jurisdictionis, cum ait *euntes in universum mundum praedicate Evangelium omni creaturae.* Quibus verbis hic usus conceditur in omnes *creaturas* quae sunt *in mundo universo.* Sed haec extraordinaria missio in totum orbem propria tantum Apostolorum fuit, quorum jurisdictionis *subjectum* omnes homines esse debebant. Sed Episcopi, qui Apostolis tantum in jure ordinario Episcopatus, non item in extraordinario Apostolatus succedebant, eamdem hanc auctoritatem tam late patentem habere non poterant, ideoque *subjectum* eorum jurisdictionis certa tantum, ac definita pars orbis esse debebat. Ea de re nihil Christus constituit, sed totam permisit arbitrio Ecclesiae, cujus erat singulas orbis partes inter Episcopos distribuere, hoc est cuique eorum assignare subditos, in quos haberent usum jurisdictionis. Sic Paulus Tito Cretenses, Timotheo Ephesios, aliosque Asianos assignavit; et sic hi populi subjectum evaserunt Episcopalis jurisdictionis Titi, ac Timothei, quorum uterque eamdem habebat divino jure annexam Episcopali ordinationi jurisdictionem, sed nemo habebat ipsius jurisdictionis usum extra fines Pauli voluntate constitutos.

§. VI. Quae cum ita sint, non multo est opus ingenio, ut intelligatur, usum jurisdictionis uniuscujusque Episcopi arctius astringi ab Ecclesia, sive ab ejus capite Romano Pontifice suo jure posse. Cum enim totus ab eo pendeat, ab eoque detur, quis dubitet, quin etiam contrahi ipsius arbitrio possit? Sane Pontificem novos instituere Episcopatus, aut jam institutos angustioribus cohibere finibus non solum usitatum,

sed etiam fere quotidianum est. An non ita uni Episcopo adimuntur subditi, ut alteri adscribantur, eoque pacto illius jurisdictionis imminuitur, atque inde ejus detracta pars in alium confertur? Ea de causa Summus Pontifex pro suprema, quam habet in tota Ecclesia potestate, certos sibi casus reservare potest, uti est a Synodo Tridentino (1) definitum, quo quidem modo prohibetur Episcopus in iisdem casibus aliquid jurisdictionis exercere. At enim quaedam sunt jura in Episcopatu penitus affixa, atque insita, quae *originaria*, seu *primigenia* appellantur, quaeque ab illo auferri, ac separari non possunt. Verum quae haec primigenia, et originaria jura sunt? Ea sunt profecto, quae Christus Episcopis attribuit, quaeque ipse inhaerentia, et quasi innata in Episcopatu esse voluit. Atqui ea sunt omnia, quod cuncti Episcopi simul cum uno omnium capite, ac centro unitatis totam Ecclesiam regant, ac moderentur. Verum quod singuli Episcopi certos habeant subditos, quos regant; atque ita fruantur usu, et actu jurisdictionis, id totum ecclesiastici juris est, neque ad illa, quae a Deo immediate procedunt, originaria, et primigenia jura Episcopatus referri potest. Par, et simile omnino est jus originarium regendi Ecclesiam, quod habet Episcopus, Metropolita, Patriarcha; et tamen hi omnes licet in eo sint jure plane similes, dissimiles tamen in usu jurisdictionis sunt, cum omnium latissime pateat auctoritas Patriarchae, minor sit potestas Metropolitae; denique his duobus inferior sit Episcopus, qui solum unam dioecesim regit. Omnes hi parem habent, quae divino jure annexa est Episcopatui, jurisdictionem. Cur tanta in eadem exercenda dissimilitudo; cur Episcopus Metropolitae, uterque autem Patriarchae subjectus? Quia res ea tota pendet ab Ecclesiae voluntate, quae nisi explicetur, ociosa est singulorum Episcoporum jurisdictio, explicata autem ostendit, qualis, et quanta sit. An licuisset Ecclesiae inter Episcopos pares omnes jure divino, ita jurisdictionem distribuere, ut alius alio superior, alius inferior sit, si divini juris esset usus jurisdictionis singulorum Episcoporum, atque ad jus originarium, tolli, atque imminui nescium, pertineret? Pari modo non solum Romani Pontifices, et Concilia oecumenica, sed etiam Patriarchae, Metropolitae, et Concilia provincialia hunc usum

cohibuerunt; quod certe fieri non potuisset, si fuisset divinitus constitutus (2).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 14, *cap.* 7. *de Sacram. Poenit.*
(2) Confer quae scripta a me sunt in *Instit. Juris Canon. lib.* 2. *tit.* 2, *sect.* 8 §. 118. *seqq. pag.* 191 *seqq. tom.* 2.

§. VII. Quin etiam ab ipsis Ecclesiae incunabulis vix distributae dioeceses, ac singulis singuli Episcopi dati sunt, horum potestas contrahi, certisque legibus adstringi caepit. Christus Apostolos miserat in mundum universum cum amplissima ligandi, et solvendi potestate, neque finierat huic potestati modum. Sed distributis dioecesibus, Paulus, qui Ephesi Timotheum, ac Titum Cretae Episcopum ordinaverat, statim imminuit Episcopalem auctoritatem in illis ipsis rebus, quae maxime in Episcopatu inhaerebant. Quid enim magis proprium est Episcopi, quam ordinatio? Et tamen ipse a Paulo bigamos, et neophitos ordinibus initiare prohibetur (1), ac praeterea nonnisi *sub duobus aut tribus testibus adversus Presbyterum accusationem* recipere jubetur (2); licet Episcopus suo lubitu posset adversus Presbyterum; qui ei divino jure obnoxius est, eam in judiciis adhibere methodum, quae commodior, atque opportunior videretur. Cujus rei quoniam est facta mentio, in ea videamus non obscuram, et adumbratam, sed claram, et expressam imaginem eorum, quae dicta sunt. Apostolus uti diximus, Episcopum creat Timotheum, in eumque per ordinationem omnem confert, quae jure divino annexa est Episcopatui, jurisdictionem. Sed ubi hanc Timotheus exercuisset? Apostolus non erat, ita ut jure extraordinariae missionis, quae Apostolis data fuerat, jurisdictionem ordinatione quaesitam producere ad orbem universum posset; sed tantum erat Episcopus, qui non ubique terrarum, sed in certis tantum regionibus illa uti debebat. Itaque idem Apostolus, qui Timotheum ordinaverat, eumque participem fecerat jurisdictionis insitae in Episcopatu; dat etiam ejus usum, et exercitium per assignationem subditorum, eorum scilicet omnium, qui Ephesiorum regione continentur. Ita Timotheus vo-

luntate Pauli, qui subditos concesserat, usum consequitur jurisdictionis, quam ordinatione acquisiverat. Sed Paulus hunc usum, quem initio dederat universe, certis legibus cohibendum judicat, ab eoque bigamos, ac neophitos removeri jubet. An Paulus sua hac coercitione juri divino adversatur; an Timotheo quidquam adimitur eorum, quae divino jure obtinuerat? Haud sane. Nullum hic in ordinatione acceperat jurisdictionis usum, totum hunc dederat Paulus; et hic quidem in eo constituere leges, modumque poterat suo arbitratu. Idem dictum volo de reliquis Episcopis, qui ab Apostolis ordinati fuerunt.

(1) Apostolus I, *ad Timoth. cap. III. vers.* 2. 6. 12.
(2) Ibidem *cap. V. vers.* 19.

§. VIII. Gesta haec sunt ab Apostolis, quibus vita functis similiter Romani Pontifices (1), et Concilia, non solum oecumenica, sed etiam particularia, Episcopos jurisdictionem exercere vetuerunt in iis quoque rebus, quae magis eorum sunt propriae; scilicet in ordinationibus, in administrando poenitentiae sacramento, in matrimoniis permittendis. Certe jus proprium est Episcoporum ordinibus initiare Christianum hominem, qui ad ecclesiasticum ministerium aptus, et idoneus judicatur, et tamen huic potestati modus imponitur per leges Ecclesiae, quibus cautum est, ne ordinibus donentur qui titulo carent, qui indocti, deformesque insigniter sunt, qui certam non attigerunt aetatem, qui baptismum aegroti acceperunt, qui sibi virilia amputarunt, qui se criminibus quibusdam gravioribus implicuerunt (2). Quid dicam de impedimentis matrimonii, quibus Episcopi potestas in hujus administratione sacramenti cohibetur? Quid item de sacramento poenitentiae, in quo Apostolis amplissima ligandi, et solvendi potestas a Christo data est? Verum Ecclesiae legibus justi sunt Episcopi reis quibusdam graviorum criminum non statim arbitrio suo, sed tantum post annos plures, diuturnamque poenitentiam veniam tribuere, quibusdam vero, cum mors immineret. Quin haec potestas ligandi, et

solvendi tam arcta circumscriptione comprehensa, et conclusa est, ut non liceret Episcopo aliquem lege solvere, nisi primum ab oecumenica synodo venia, et auctoritas impetraretur (3).

(1) Innocentius I. *ep. 2. ad Victric. cap.* 1. 2. 5. apud Constantium *col. 748. et 750.* vetat Episcopum aliquem ordinibus initiare *extra conscientiam Metropolitani*, pluresque a sacris ordinibus arceri jubet, quod etiam facit *Ep. 3. ad Episcop in Tolet. Synod. constit. cap. 6. col. 770.*; ceterisque literis, quae a Petro Constantio descriptae sunt, et in quibus similiter plures feruntur leges, per quas potestas contrahitur Episcoporum. Confer etiam Siricium *ep. 1. ad Himer. Tarraconen.* apud eumdem Constantium *cap 4. 5. 8. 9. seqq. col.* 628 632. *seqq.*, Leonem M. *ep. 5 cap. 3. col.* 638. *ep. 7. cap.* 6. *col.* 622. *ep. 9. cap.* 1. *et* 2. *col.* 629. *seqq. ep.* 10. *col.* 633. *opp. tom.* 1. *edit. Ballerin. Venet.*, ceteros, quos descripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *tit* 2. *sect.* 9. §. 119. *not.* 3 *pag.* 198. *seqq. tom.* 2

(2) Multa de his omnibus constituta sunt a Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, a Concilio Eliberitano, Nicaeno, Carthaginiensi III.; Antiocheno, Chalcedonensi, ceterisque Conciliis, quae antiquissimis Ecclesiae temporibus habita sunt.

(3) Ita in I. Nicaena Synodo *can.* 12. *tom.* 2. *col.* 38. *collect. Labbaei edit. Venet. Coleti* statutum est, oecumenici Concilii veniam, et auctoritatem esse necessariam, ut liceat *Episcopos humanius aliquid de eis statuere*, qui luculentiores dederant dolentis animi, et pietatis significationes. Ita ligandi, et solvendi potestas, quae divinitus Episcopis latissime data est, tam arcta, et adstricta evasit, ut iis amplius non liceret alicui veniam dare, nisi ejusdem Concilii auctoritas intercederet.

§. IX. Quod si Episcoporum jurisdictio, sive potius ejusdem usus a Patriarchis, Metropolitis, Synodisque provincialibus circumscribi potest, ac saepius circumscriptus revera est, multo sane magis idipsum licebit Summo Pontifici, qui non humano, ut illi, sed divino jure Episcopis superior est. Imo Christus, uti diximus, unum fecit in Episcopatu gradum, neque Episcopos subjecit Patriarchis, aut Metropolitis. Sunt hi ab Ecclesia constituti gradus dignitatis, et jurisdictionis, quoniam eos rectus rerum ordo, rectaque administratio societatis toto orbe diffusae postulabat; an idcirco aliquid egisse videbitur Ecclesia contra voluntatem Christi, qui omnes Episcopos jurisdictione pares constituit? Haud sane. Fines hujus jurisdictionis latores, angustioresve facit subditorum assignatio, quae cum ab Ecclesiae arbitrio pendet, mirum non est, quod ipsius lege Metropolitae Episcopis, utrisque autem Patriarchae jurisdictione praestent. Et hi quidem humano jure in sibi subjectos Episcopos omnem ha-

bent potestatem, et hanc quidem tam late patentem, ut alicubi Episcopi sine venia Patriarchae, aut Metropolitae, cui subjecti erant, nihil prorsus agere possent (1); verum Summus Pontifex non ab hominibus, sed a Christo Servatore datam habet potestatem tam in omnes Episcopos, quam in illos, qui Episcopis subjiciuntur. Itaque talia sint, qualia tandem vis, jura primigenia, et originaria Episcoporum; nemo certe, qui catholicus haberi, et esse revera velit, inficiabitur, quod haec jura ita a Christo instituta, atque Episcopis data fuerint, ut essent obnoxia jurisdictioni Successorum Petri, quos toti Ecclesiae tum dignitate, tum auctoritate voluit praesidere. En igitur quo demum abeat tota haec disputatio, in qua homines male animati in Sedem Apostolicam multum temporis, atque opere consumpserunt. Divina certe est tum Primatus, tum Episcopatus institutio. Illi datum est a Christo jus proprium, et originarium praesidendi toti Ecclesiae cum dignitate, et jurisdictione; huic jus est attributum regendi Ecclesiam cum subjectione eidem Praesidi, qui omnium rector, caput, princepsque est. Itaque Summus Pontifex eum Episcoporum jurisdictionem minuit, utitur jure suo nativo, et originario, hoc est jure Primatus, qui ei tribuit hanc potestatem, neque Episcopi de imminuta jurisdictione sua conqueri possunt, quoniam eamdem acceperunt ea lege, ut uni omnium capiti subjecta sit. Quod generatim ad omnia pertinet, in quibus vel Romani Pontifices, vel Concilia oecumenica Episcoporum auctoritatem vel in certa negocia, vel in certos homines inhibuerunt. Nam omnis eorum jurisdictio ita instituta, dataque est, ut semper superiori potestati obnoxia sit.

(1) Praeclarum est illud, quod de Aegypti Episcopis, qui sine auctoritate Alexandrini Antistitis, cui subdebantur, nihil prorsus agere poterant, proditum memoriae est *Act. 4. Conc. Chalcedonensis in praecibus ab iisdem Episcopis ad Imperator.* datis *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1407. Quo quidem modo nemo non videt, quam angustis circumscribatur, finiaturque terminis Episcoporum jurisdictio. Ejusdem est generis quod de Africanis Ecclesiis scriptum est. Eae nimirum in exitu quarti saeculi, quintique initio magna sacrorum ministrorum inopia laborabant, adeout multae earum penitus desertae essent, ac ne unus quidem Diaconus in locis quibusdam reperiretur. Huic malo facile mederi potuissent Episcopi, si eis li-

cuisset ad suos gradus illos restituere ; qui a Donatistis ad catholicam unitatem refugerant , aut baptizatos in infantia a Donatistis , deincepsque post usum rationis in catholicam Ecclesiam cooptatos ordinare. Sed cum ea in re transmarinum concilium , cujus meminit Synodus Africana *can.* 35. apud Pithaeum *Cod. Canon. pag.* 152. *edit. Paris.* 1687. Episcopi auctoritatem contraxisset , legationem mittere oportuit ad eos , qui legem illam tulerant , ut eadem necessitatis gratia tolleretur , sicut patet ex eadem Synodo Africana *loc. cit. pag.* 143.

§. X. Jamvero duplici potestate instructi sunt Episcopi , ut suo recte fungantur munere , altera , quae ordinis , altera , quae jurisdictionis appellatur. Haec per legitimam missionem, illa vero per ordinationem , seu consecrationem acquiritur. Potestas ordinis pertinet ad sacramentorum administrationem , atque ad cetera, quae ordinis propria sunt , qua de re suus erit opportune agendi locus. Potestas jurisdictionis spectat ad regimen , et gubernationem populi , qui unicuique Episcopo commissus est ; quod fit per legitimam missionem , per quam singulis certi subditi assignantur. Sine hac assignatione jurisdictio , quae nihil est aliud , quam potestas in subditos, nulla plane esse potest. Per ordinationem Episcopus , quae sunt ordinis , gerendorum consequitur potestatem ; sed nisi etiam habeat subditos quos regat , ecquae ei potest esse jurisdictio , cum habeat prorsus neminem , in quem eamdem exerceat ? Quod adeo verum est, ut etiam qui Abates vocantur , licet Episcopi non sint , jurisdictionem habeant , contra vero eadem careat Episcopus vel depositus , vel minus licite ordinatus , licet ipse habeat ordinis potestatem (1). A quo autem haec missio tribui ; ac subditi assignari possunt ? Episcopi non aliam habent jurisdictionem , quam quae continetur finibus regionis , cui praepositi sunt ; et ideo nequeunt alicui attribuere subditos , in quos nullum habent imperium. Unus Petri successor a Christo accepit potestatem in omnes , quotquot in Ecclesia sunt ; ergo unus potest singulis attribuere partem gregis , qui ei totus divino jure subiectus est. Ergo legitima missio , subditorumque assignatio a Summo Pontifice repetenda est (2). Atque eo quidem jure dandae missionis , atque attribuendi subditos unicuique Episcopo , semper Romanos Pontifices , praesertim in Occidente, usos

fuisse, nemo inficiatur, (3); neque huic jure aliquid detractum videri potest, cum iidem Pontifices aut Capitulis jus eligendi, aut Summis Principibus jus nominandi Episcopos concesserunt. Nam electorum, aut nominatorum hominum confirmatio, quae proprie, ac vere jurisdictionem tribuit, integra est Pontifici, qui neque debet, neque potest assentiri electioni, aut nominationi eorum, quos minus idoneos judicat, quosque sacri canones ab Episcopatu repellunt (4).

(1) Ita Concilium Constantinopolitanum I. *can.* 4. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1125. *edit. Venet. Coleti* nullam jurisdictionem residere voluit in Maximo, qui contra regulas Constantinopolitanus Episcopus ordinatus fuerat.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *can.* 8. „ Si quis, *inquit*, dixe» rit, Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse le» gitimos, et veros Episcopos ..... anathema sit. Consule Hallierum *de sacr. elect. et ordinat. par.* 3. *art.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. *et art.* 3. §. 6. *num.*45. *tom.* 3. *pag.* 14. *et* 94. *edit. Romae* 1739., et Bertium *de Theolog. discipl. lib.* 36. *cap.* 13. *num.* 8. *pag.* 441. *edit. Romae* 1739.

(3) Videsis Innocentium I. *ep.* 24. *ad Alexand. Antiochen. et ep.* 25. *ad Decent. Eugubin. num.* 2. apud Constantium *Rom. Pontif. epist. col.*852. *et* 856. *edit. Paris.*, Gregorium M. *lib.* 1. *ep.* 77. *opp. tom.* 2. *col.* 561. *edit. Paris.* 1705., ceteros; quos laudat Hallierus *loc. cit. pag.* 94. *seqq.*

(4) Huic autem potestati, quam in Summo Pontifice inesse diximus, nihil detrahit vetus illa disciplina, per quam comprovinciales Episcopi eligebant, Metropolitae autem Episcopos confirmabant. Nam omnis haec auctoritas, quam Metropolitae supra Episcopos obtinebant, nonnisi a Sede Apostolica concedi potuit, cum omnes Episcopi ex institutione sua pares inter se sint, neque alius in alium habeat potestatem. Si cui data jurisdictio latior, et praestantior est, dari profecto debuit a superiori potestate, cui iidem Episcopi subderentur. Ejus autem potestatis loco haberi nequeunt Concilia oecumenica, quae multo post institutos Metropolitas haberi caeperunt, non item Concilia provincialia, quae hanc institutionem jam factam ostendunt, cum illud sit provinciale concilium, cui praeest Metropolita. Una igitur esse potuit superior potestas Romani Pontificis, a qua illa omnium Episcoporum similitudo, aequalitasque tolleretur; ac Metropolitis in alios Episcopos auctoritas tribueretur. Revera ex Petri Cathedra illa primum est profecta dignitatis, ac potestatis praerogativa, qua potiebantur primae illae Sedes, quae postea Patriarchales appellatae sunt, eaque labentibus annis cum certo gradunm discrimine permanavit ad Metropolitas, cum divisae Provinciae sunt, ut ecclesiastica negocia facilius, et commodius expedirentur. Ita potior auctoritas Metropolitarum pars fuit potestatis, qua primae illae Sedes a Petro institutae supra ceteras eminebant, qua de re videndi sunt Thomassinus *Vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *tom.* 1. *pag.* 31. *seqq. edit. Venet.* 1773., Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 5. *dissert.* 16. *tom.* 5. *pag.* 253., et Cardinalis Gerdilius *Confutazione di due libelli etc. part.* 1. *tom.* 1. *pag.* 13. *seqq.* Nihil igitur de Pontificio jure detractum est, cum ipsi Pontifices justis de causis in Metropolitas contulerunt partem aliquam potestatis, qua ipsi fruebantur, et

vero ita contulerunt, ut eadem semper ab se ipsis penderet, ita ut electio vel confirmatio eorumdem arbitrio infirmaretur. Praeclare Hallierus *citat. art.* 3. §. 6. *num.* 55. *pag.* 102. dicit haec: „ ex quibus duo ista Summis „ Pontificibus competere colligimus, Episcoporum ubique terrarum creandorum curam, et potestatem, qua si aliquando usi non fuerint, moderationi eorum, ac prudentiae tribuendum, utpote qui melius, ac commodius per alios a se constitutos Patriarchas, Primates, Metropolitanos, „ ordinationem, aut delectum fieri posse censuerint, quam per se ipsos. „ Si quando autem uti voluerint, et expedire judicaverint, nemo quaerere „ possit, qua auctoritate id faciant, cum auctoritate Petri id facturi deprehendantur . . . . Haec est ea, quam toties inculcavimus, Romanae „ Ecclesiae praerogativa, ut ordinationibus firmitatem, auctoritatemque ob „ Principatum ecclesiasticum conciliet, nec absque ejus communicatione „ plenitudinem officii, ut loquitur Bernardus, seu executionem legitimam „ aliquis consequatur. Haec Apostolicae Cathedrae praerogativa est; haec „ Primatus dignitas; hoc non novum, sed ipsius Ecclesiae constitutioni „ coaevum, quod semper viguit, privilegium „. Decretis etiam Summorum Pontificum in Cleri arbitrium collata est electio Episcoporum, quod late ostendit Petrus de Marca *Concord. Sacerd. et Imper. lib.* 8. *cap.* 8, *num.* 6. *et* 8. *pag.* 435. *edit, Roboret,* 1763., et ejus quidem disciplinae originem ipse a Siricio Pontifice repetendam putat; quod sane egregiè confirmat Romanorum Pontificum auctoritatem.

§. XI. Episcopi in generali Concilio conjuncti Ecclesiam conficiunt; quam *congregatam* dicimus, dispersi, atque diffusi per totum Orbem, Ecclesiam, quam *dispersam* appellamus. Utraque Ecclesia, quae cum ejus capite Romano Pontifice et fide, et communione consentit, expers erroris est. Qua in re magnis in erratis est eorum sententia qui tantum Ecclesiam in generali Concilio congregatam, non item eam, quae per totum Orbem diffusa, ac dispersa est, falli nesciam existimant. Christus enim sesè Ecclesiae adfuturum promisit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, eamque semper esse voluit columnam, et firmamentum veritatis, ne fideles *fluctuantes sint, sicut parvuli, et circumferantur omni vento doctrinae* (1). Si tantum in Concilio congregatam Ecclesiam erroris expertem putemus, ei profecto Christus haud semper praesto erit, neque semper damnari poterunt errores, certaque veritas proponi, cum non semper oecumenica Concilia habeantur. Certe primum oecumenicum Concilium tantum anno 325. post Christum natum habitum est. Ergo ante hanc synodum Christus ab Ecclesia abfuerit necesse est, nullaque in ea fuit certa veritas, imo vero omnia incerta, et erroris plena esse debuerunt;

quo nihil magis falsum, et absurdum dici, fingique potest. Quid? Paulus Samosatenus, Montanus, Novatianus, Pelagius, aliique haeretici nonne extra oecumenicum concilium dispersae Ecclesiae consensu damnati sunt? An non Patres (2) ad traditionem provocant Ecclesiarum, quae sunt toto orbe dispersae, ut statuant, quid veritatis loco esse debeat?

(1) Errorem eorum, qui dispersae Ecclesiae falli nesciam auctoritatem in discrimen revocant, quo quidem e numero sunt multi ex Appellantibus, Sacra Facultas Parisiensis an. 1644. apud Languetum Episcopum Svessonensem *Avvertis.* 2. *an.* 1718. *num.* 22. proscripsit his verbis „ Hae pro- » positiones in quantum infallibilitati Ecclesiae universalis in nullo alio sta- » tu; quam in solo concilio oecumenico congregatae tribuunt, temerariae » sunt, ipsi Ecclesiae injuriosae, et haereticae ». Eademque Facultas apud Tournelyum *Praelect. Thelog. de Eccles. Christ. quaest* 3. *art.* 3. *tom.* 6. *pag.* 174. *edit. Neap. an.* 1765. declaravit » necessarium non esse absolu- » te concilium generale ad extirpanda quaelibet schismata, et quaslibet hae- » reses v. g. Pelagianam, et Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas » absque concilio generali, quod tantum in aliquibus casibus dici potest » absolute necessarium »,

(2) S. Irenaeus, et Tertullianus ad Ecclesias ubique terrarum dispersas; non ad generalia concilia provocant, ut vera fidei regula constitui, noscique possit. Sic ille *advers. haeres. lib.* 1. *cap.* 10. *lib.* 3. *cap.* 2. 3. *et* 4. *et lib.* 4. *cap.* 26 *et* 33. *tom.* 1. *opp. pag:* 48 *et* 49. 175. 178. 262. 272. *edit. Venet* 1734. alter autem *de praescript. cap.* 20. 21. 28. 36. *pag.* 208. 209. 212. 215. *edit. Venet.* 1744. Idem habet Cyrillus Alexandriuus *in epist. synod. ad Nestorium* apud Labbaeum *tom.* 4. *Concil. col.* 28., Augustinus *de Baptism. lib.* 7. *cap.* 53. *opp. tom.* 12 *col.* 238. *edit. Venet.* 1756., et Hegesippus singulas lustravit Ecclesias, ut quae vera esset fides, intelligeret, sicuti narrat Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 22. *pag.* 155. *edit. Taurin.* 1746. Mitto ceteros Patres, quorum omnium concors sententia est. Vide, praeter alios, Tournelyum *praelect. theolog. de Eccles. Christ. tom.* 6. *quaest.* 3. *art.* 3. *pag.* 172. *seqq. edit. indic.*, *et* Mamachium *de Animab. Justor. in sinu Abrahae etc. lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 114. *seqq.* §. 2. *pag.* 189. *seqq.* §. 3. *pag.* 203. *seqq. edit. Romae* 1766, *et in ep.* 4. *ad Justin. Febronium.*

§. XII. Sunt tamen aliqui, qui dispersae Ecclesiae auctoritatem ratam firmam haberi volunt, modo unanimis omnium consensus accedat, et hic quidem non moralis, sed physicus, et absolutus, adeo ut certum Ecclesiae judicium haberi nequeat, cui aliquis Episcopus, aut aliqua insignis Ecclesia adversetur; quin hanc absolutam unanimitatem etiam ad oecumenicum concilium pertinere arbitrantur. Hi nimirum plus tribuunt unius Episco-

pi sententiae, quam totius Ecclesiae consentientis auctoritati, quoniam illi facultatem concedunt totius Ecclesiae decretis intercedendi; quod sane dici nonnisi absurde, et inepte potest. Neque illud levius, quod ea sententia facit, ut unus aliquis Episcopus errare numquam possit, atque ut certum Ecclesiae judicium vix umquam habeatur; quoniam difficile est in magno numero Episcoporum, qui in Ecclesia versantur, non aliquem reperiri, qui a ceteris dissentiat. Quid si Episcopus aliquis, quod pluries evenisse constat, in haeresim incidat? Eum Ecclesia damnare non posset; et interim Christianis incerta esset fides, atque errorem sequi liceret, quoniam unius Episcopi sententiam impedimento esset, quominus certum ea de re judicium ab Ecclesia emitteretur. Imo quis umquam proscriberetur haereticus, cui satis esse unum, aut alterum Episcopum in suum rapere errorem, ut in eo versari ipse posset impune, atque aliorum animos depravare? Quot Arius socios erroris habuit, quot Nestorius, quot Donatistae, quot ceteri haeretici! An catholico homini minus certum, minusque exploratum erit judicium, quod ab Ecclesia latum est (1)?

(1) Nemo ignorat, quam illustris esset Anglicana Ecclesia, antequam in schisma, atque in haeresim incideret; sed non ideo minus haeretica, et schismatica haberi poterit propter societatem tot Episcoporum, qui cum ea a catholica veritate discesserunt. Mitto cetera, quae multa sunt, exempla generis ejusdem. Christus sane sese adfuturum promisit universo Ecclesiae corpori, non membris singulis, corpusque ipsum integrum, non singulos Episcopos erroris expertes futuros pronunciavit; imo *surrecturos* praevidit *lupos rapaces ex vobis ipsis* (senioribus) *non parcentes gregi, et loquentes prava*, sed Christianos procul ab iis esse, et firme in Ecclesiae fide stare voluit. Consule, inter ceteros, Cl. Bolgenium in libro, cui titulus *Risposta al quesito Cosa è un' appellante num.* 249. *seqq. pag.* 393, *seqq. et num.* 282, *seqq. pag.* 44. *seqq.*

§. XIII. Atque hi quidem sunt, quos Christus Ecclesiae Rectores constituit, et in quos omnem contulit potestatem, Petrus nimirum, ejusque successores, et Apostoli, successoresque eorum Episcopi, qui non separatim singuli, sed omnes una fide, et caritate in uno capite, centroque conjuncti unam universalem Ecclesiam conficiunt. Non defuerunt qui et Presbyteris datam a Christo crederent regendae

Ecclesiae potestatem, quin et error fuit Aerci, qui Episcoporum, et Presbyterorum auctoritatem parem esse arbitrabatur (1). Quem errorem postea renovarunt haeretici complures, quorum e grege Claudium Salmasium; qui omnium fere commenta descripsit, gravissime refutavit Dionysius Petavius (2); neque ab illo procul abest Synodus Pistoriensis Scipionis de Ricciis, quae Parochos, hoc est simplices Presbyteros in ecclesiastica disciplina constituenda Episcopis aequat, ac utrosque fidei judices pari jure constituit (3). Sed quod in sacris literis vestigium est hujus potestatis, quam hi vindices, et fautores vetustarum haereseon simplicibus Presbyteris a Christo attributam putant? Omnis sane regendae Ecclesiae potestas aut in Petrum singillatim, aut in Apostolos conjunctim cum Petro collata est. Quo igitur argumento sustentabimus jurisdictionem, quam a Christo Servatore numquam datam fuisse constat? Elegit quidem Christus discipulos septuaginta duos (4), unde illi Parochorum originem repetendam falso putant, eosque misit *ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus*. Verum hac missione tantum his data facultas est praedicandae poenitentiae, dotrinaque, ac miraculis ad Christi fidem praeparandi animos populorum; sed nullum est concessum jus gubernandae, ac regendae Ecclesiae, nulla item potestas, sive ordinis, quae tantum in ultima coena collata creditur, sive jurisdictionis, quae post resurrectionem reipsa, et ut loquuntur, *actu* tributa est (5). Fac igitur Parochos successores esse septuaginta duorum discipulorum, et fac ad eos pervenisse potestatem, quae illis a Christo attributa est. Haec potestas haud certe erit ordinis, quem tunc Christus nondum instituerat, neque jurisdictionis in Ecclesia, cujus in ea missione discipulorum nullum indicium est. Accedit, quod ex septuaginta duobus Discipulis septem electi sunt viri, quos Apostoli manuum impositione Diaconos ordinarunt (6). Quomodo igitur omnes a Christo Sacerdotes creati esse poterant (7)?

(1) Confer S. Epiphanium *lib. 3. haeres. 76. tom. 1. pag. 904. edit. Coloniae* 1682., et Concilium Tridentinum *sess. 23. can. 7.*

(2) Consule Petavium *de eccles. hyerar. lib.* 3. *cap* 1. *num.* 6. *tom.* 6. *Theol. Dogmat. edit. Venet.* 1757.

(3) Errorem hunc una cum ceteris, quibus haec Pistoriensis Synodus referta est, damnavit Pius VI. *in Constitutione Auctorem fidei data die* 28. *Augusti an.* 1794.

(4) Lucas *cap.* X. *vers.* 1. *seqq.*

(5) Confer Petavium *loc. cit. cap.* 16. *num.* 2. *pag.* 171.

(6) Act. Apostol *cap.* 6

(7) Vide S. Epiphanium *haeres* 20. *lib.* 1. *num.* 4. *tom.* 1. *pag.* 50. *edition. lau [illegible]* [illegible] etiam Petrus Paludanus *de caus. immed. Eccles. potest. art.* 2. 3. *concl. edit. Paris.* 1523. ostendit, septuaginta duos discipulos haud fuisse Presbyteros a Christo constitutos, idque ex eo praesertim conficit, quod illi ab Apostolis Diaconi ordinati fuerunt.

§. XIV. Revera judicium sanae doctrinae (1), qua populi imbuendi sunt, totumque Ecclesiae regimen, et administratio semper penes Episcopos fuit, neque Presbyteris sine venia Episcopi, a quo omnis eorum manat auctoritas, jurisdictionem aliquam exercere umquam licuit. Hinc Patrum omnium concors sententia est, Presbyteros Episcopos subditos esse oportere (2), neque illos his ignaris, aut repugnantibus agere quidquam posse (3); omnem illorum jurisdictionem ab Episcopo oriri, ab eoque ita pendere, ut ab eodem dari, auferri, explicari, constringi possit (4); Episcopi esse leges ferre pro bono totius dioecesis (5), poenisque animadvertere in criminosos (6), omnemque in eo jurisdictionem residere (7). Quid vero de Episcoporum, qui in oecumenicum concilium convenerunt, auctoritate dicam? Per eos cum suo capite conjunctos totam Ecclesiam congregatam referri, nemo ignorat; verum in his conventibus, in quibus totius Ecclesiae inest auctoritas, omne judicium, cui cuncti parere debent, tantum Episcoporum est (8). Si in his oecumenicis conciliis etiam iis, qui Episcopi non essent, datus est aliquando locus, id factum est jure singulari, ac privilegio, quod ipsum ostendit, jus ferendi judicium tantum esse proprium Episcoporum. Neque enim aliter qui Episcopi non sunt, eo privilegio indiguissent. Similiter quod Presbyteri consilium Episcopi efficiant, id argumento esse non potest, quod aliqua in iis insit jurisdictio propria, ac nativa, quae ab Episcopo non pendeat. Nam si quae ab hoc consilio jurisdictio exercetur, ea tota Episcopi jurisdictio est; quemadmodum, et qui summo potiuntur imperio in re civili suum habent consilium, et tamen quidquid ab eo geritur auctoritate, et imperio geritur illius, penes quem summa rerum potestas est.

(1) Ut Cataphrygas refutaret Serapio Antiochenus Episcopus, literas protulit a pluribus Episcopis subscriptas, sicuti narrat Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 19. *pag.* 205. *edit Taurin.* 1747. Quo eodem argumento suorum temporum haereticos refellunt Alexander Episcopus Alexandriae apud Theodoretum *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 19. *edit. ejusd.*, Athanasius *ep. ad Afros. num.* 1. *et* 2. *opp. tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 712. *ed. Patav.* 1777., Basilius *epist.* 204. *num.* 7. *opp. tom* 3. *pag.* 307. *edit. Paris.* 1721., Augustinus *contr. Julian. cap.* 3. *num.* 5. *seqq. opp tom.* 13. *col.* 618. *seqq. edit. cit.* locisque aliis sexcentis, Leo M. *ep.* 15 *cap.* 17. *num.* 75. *opp. tom.* 1. *col.* 710 *edit. Venet.* 1753., Simplicius P. *ep.* 4. *ad Zenon. Imper. tom.* 5 *Concil. Labbaei col.* 98. „ Haec enim est, *inquit* Cyrillus Alexandrinus, *in ep. ad Nestor.*, quae extat *in act. Concil. Ephesin. tom.* 3. *Concil. Labbaei col.* 947. „ catholicae, apostolicaeque Ecclesiae fides, „ in qua universi Occidentis, et Orientis orthodoxi Episcopi consentiunt „. Adde quae de Hegesippo paulo ante dicta sunt *cap.* 6, §. *XI. n.* 2. *p.* 127.

(2) Consule S. Ignatium Martyrem *ed. ad Smirn. num* 8. *pag.* 37. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *edit. Antuerp.* 1698. Tertullianum *de Baptism. cap.* 17. *pag.* 230. *edit. Venet.* 1744., S. Cyprianum *ep.* 16. *pag.* 194. *et ep.* 17. *pag.* 197. *edit. Amstelod.* 1700., Luciferum Calaritanum *de non parcen. in Deum delinquent. pag* 228 *edit. Venet.* 1778., S. Ambrosium *de Offic. Ministror. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 123. *col.* 117. *opp. tom.* 3. *edit. Venet.* 1748., S. Cyrillum Alexandrinum *epist. ad Domn. Antioch. a t.* 14. *Concil. Chalcedon. tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1646., S. Caelestinum P. *ep.* 1, *ibid. tom.* 3. *col* 470., S. Hieronymum *dialog. contr. Luciferian. num.* 9. *opp. tom.* 2. *col.* 182. *et ep.* 52. *ad Nepotian. num.* 7, *tom.* 1. *col.* 262. *edit. Venet.* 1766, S. Epiphanium *haeres.* 56. *ep.* 3. *pag.* 908. *seqq. num.* 4. *et.* 5. *tom.* 1. *edit. indic.* Innocentium III, *lib.* 20. *ad univers cler. Eccl s. in Constant. Dioeces. com. lib.* 11. *tom.* 2. *pag.* 146. *edit. Baluzii*, Concilium Tridentinum *Session.* 23. *cap.* 4. *de Ordin.*

(3) S. Ignatius M. *ep. ad Trallian. num.* 2. *loc. cit. pag.* 22., *et ad Philadelph. num.* 7. *pag.* 32., Tertullianus *loc. cit.* S. Caelestinus I. *ep.* 27. *ad Episcop. Galliar. cap.* 1. apud Constantium *epist. Rom. Pontif. col.* 1186., Canon. Apostolicus 32. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 443. *edit. indic.* Concilium Laodicenum *can.* 57. *tom.* 1. *Concil. Labbaei col.* 1539., Toletanum I. *can.* 20. *col.* 1474. *tom.* 2, Chalcedonense *can.* 8. *tom.* 4. *col.* 1666., Sardicense *cap.* 17, *tom.* 2. *col.* 679.

(4) Confer. S. Cyprianum *ep.* 33. *pag.* 216., S. Siricium *epist.* 5. *ad Episc. Affric. num.* 1. apud Constantium *col.* 651., S. Innocentium *epist.* 2. *num.* 2. *pag.* 747. *ibid.* Clericus, qui sine Episcopi missione sui beneficii munus exercuit, gravioris criminis reus efficitur, atque etiam beneficium amittit *Cap. relatum* 21. *de jurepr. et cap. cum qui* 18. *de praeben. et dignit. in* 6.

(5) Inter omnes, quae ecclesiastico codice continentur, leges, nulla prorsus est, quae Episcopali auctoritate lata, aut probata non sit. Quod constans Ecclesiae disciplina testatissimum facit. Antiquioribus Ecclesiae saeculis extant literae canonicae Sancti Gregorii Thaumaturgi, S. Gregorii Nysseni, S. Dionysii Alexandrini, quas eas misit ad alios Episcopos, ut eorum quilibet in sua Dioecesi easdem observandas curaret; item S. Basilii literae, quibus plura ecclesiasticae disciplinae capita continentur, multaque decreta, quae a Petro Alexandrino edita sunt. Vide Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 2. *pag.* 1. *seqq. pag.* 8. *seqq. pag.* 24. *seqq. tom.* 2. *edit.*

Oxonii 1672. Omni aetate Episcopi tulerunt leges sive in Conciliis oecumenicis Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, sive in Conciliis particularibus, quae in Asia, Africa, Italia, Gallis, Hispaniis, aliisque regionibus habita sunt. Aliae quoque ad nos pervenerunt constitutiones Episcoporum, qui semper res Ecclesiae curarunt, dederuntque leges, quibus opus esse sentiebant, neque umquam Episcopi tam certa, tam probata, ac vetusta possessione dimoti sunt. Presbyterorum autem nullae sunt leges, quas ignaro, aut repugnante Episcopo populos obligarint.

(6) Tertullianus *de Baptism. cap.* 17. *pag.* 231. narrat, Joannem Apostolum gradu movisse Asiae Presbyterum, qui acta S. Theclae conscripserat, eaque Paulo Apostolo falso adscripserat. Marcion a Patre, qui Episcopus erat, Arius ab Alexandro Episcopo Alexandrino depositus fuit. Jus hoc Episcopi tamquam certum, et ubique receptum memorant Constitutiones Apostolicae *lib.* 8. *cap.* 28. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom* 1. *pag.* 410. *edit. indic.*; et Ivo Carnotensis *ep.* 162. *opp. pag.* 68. *par.* 2. *edit. Paris.* 1647. Presbyterum criminosum ab Episcopis poena coercendum monet. Concilium Sardicense *can.* 14. *tom.* 2 *Concil. Labbei col* 665. Presbytero, qui Episcopi judicio immerito condemnatus est, Metropolitam appellare permittit; ex quo patet Concilio probari jus ferendi primum judicium, a quo provocatur. Sed in re satis explorata longiori sermone immorari nihil attinet.

(7) Petrus Aurelius *advers Spong. pag.* 91. » Atque haec est, *inquit*, » eminentia Dignitatis Episcopalis supra sacerdotalem, quod sacerdotalis » nullam per se jurisdictionem nec includat, nec exigat, utpote imperfe- » ctior, et Episcopali subjecta, cujus nutu regi, et ad operationes, ac » munia Ecclesiae admoveri, non ipsa prosilire debet, ut canones jampri- » dem sanxerunt; et Episcopalis Dignitas, ut summa, et in suo genere per- » fecta, jurisdictionem necessario complectatur, nec sine ea consistat, non » magis quam Regia Dignitas, cui Sancti Patres Episcopalem Dignitatem » passim comparant, sine imperio concipi potest. Quod adeo verum est, » ut nequidem ii Episcopi, qui indulgente Ecclesia, Episcopali cura se » abdicant, et vitam quodammodo privatam traducere sinuntur, omni pe- » nitus jurisdictione careant; retinent enim jurisdictionem aliquam, quam » non quidem exercent soli, quia nullam Ecclesiam sibi solis addictam » habent, sed simul cum toto Episcoporum corpore in conciliis tam pro- » vincialibus, quam generalibus, in quibus jus suffragii et veri Ecclesiae » judices habent, atque ita jurisdictionem tum in Ecclesiam particularem, » tum in Ecclesiam generalem exercent ». Consule Cardinalem de Turrecremata *Sum. de Eccles. lib.* 3. *cap.* 14., Bellarminum *Controv. de Concil. lib.* 1. *cap.* 15. *opp. tom.* 2. *pag.* 14. *edit. Venet.* 1721., Cardinalem de Aguirre *Concil. Hispan. dissert.* 15. *num.* 15. *tom.* 1. *pag.* 236., Thomassinium *Nov. et vet. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. *et seqq. et cap.* 2. *num.* 1. *seqq.*, Jueninium *Instit. Theolog. dissert.* 4. *quaest.* 3. *cap.* 1. *art.* 2., Hallierum *de Hierarch lib.* 3. *cap.* 2. *art.* 3. §. 2. *pag.* 247. *edit. Paris.* 1656., Sanderum *Histor. schism. Anglic. regn. Elisabeth. n.* 54. Suaresium *dispen.* 2. *de Concil. sect.* 1., Duvalium *par.* 4 *quaest.* 3. *de compet. Sum Pontif. et Concil*, Bossuetum *serm. sur l'unité de l'Eglise tom.* 6. *opp pag.* 474. *edit Leodii cit.*, Fleury *Instit. du droit ecclesiast. tom.* 1. *chap* 12, Tillemontium *Histoir. eccles. art.* 52 *tom.* 15. *pag.* 531. *Venise* 1632., Mamachium *Origin. et Antiquit. Christian. lib.* 4. *cap.* 4. §. 3. *tom.* 4. *pag* 527. *seqq.*, Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 44. *tom.* 4. *pag.* 648. *seqq. edit. Venet.* 1776., Auctorem operis *de l'autorité des deux puissances tom.* 2. *par.* 3. *chap.* 1. §. 3. *pag.* 87. *seqq.*

Strasbourg. 1780., Acta Cleri Gallicani *tom.* 1. *pag.* 705. *et seqq. et tom.* 6. *pag.* 1001. 1002. *edit. Paris.* 1768. Vide etiam quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect* 10. §. 87. *tom.* 1. *pag.* 259. *seqq. not.* 1. *et lib.* 4. *tit.* 4 §. 2. *pag.* 46 *seqq. tom.* 4.

(8) In oecumenicis conciliis omne a solis Episcopis judicium semper editum fuisse constat; quod adeo verum est, ut ea designari consueverint expresso numero Episcoporum, qui iis interfuerunt. Nicaenum Concilium 318. Episcoporum Concilium appellatur a Synodo Ephesina *tom.* 3. *Concil. Labbaei. col.* 1202., quae semetipsam Synodum vocat ducentorum sanctorum Episcoporum *ibid. col* 1771. Chalcedonensis Concilii Patres a quingentis viginti Episcopis ejusdem Concilij decreta emissa fuisse affirmant *ibid. tom.* 4. *col.* 1775. Eadem ratione Concilium Constantinopolitanum III. ex numero Episcoporum, qui praesentes fuerunt, designat Synodum Nicaenam, Ephesinam, Chalcedonensem, Constantinopolitanam, qua damnatus est Macedonius *ibid tom.* 7. *col.* 1055. Quod si aliquibus Conciliis etiam Presbyteri interfuerunt, id factum est vel ex consensu Episcoporum, quibus certos Presbyteros vocare placuit, qui doctrina praestabant, vel ut absentium Episcoporum vices agerent, quod in Nicaena Synodo factum narrant Eusebius *de vit. Constantin. lib.* 3. *cap.* 7. *et* 8. *pag.* 521. *et* 522. *edit. Taurin.* 1746., et Socrates *Histor. Eccles lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 16. *edit. ejusd.* Hinc Episcopi subscribebant hac formula: *N. Episcopus judicans subscripsi*, verum a subscriptionibus Presbyterorum aberat τὸ *judicans*, ut pateret, in Conciliis solos Episcopos veros esse judices, et in Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. *col.* 886. *tom.* 4. *collect. Labbaei* habentur haec: » Foras mittite » superfluos; Concilium Episcoporum est ». In literis Viventioli Episcopi Lugdunensis pro indicenda Epaonensi Synodo anni 517. *tom.* 5. *concil. Labbaei col.* 709. haec occurrunt „ ubi (in Concilio) clericos, prout expe» dit, compellimus: laicos permittimus interesse, ut ea, quae a solis Pon» tificibus ordinata sunt, et populus possit agnoscere ». In Concilio Lugdunensi an. 1274. „ licentiati sunt omnes in ista sessione (secunda) pro» curatores Capitulorum, ac Abbates, et Priores non mitrati, exceptis il» lis, qui fuerunt nominatim ad Concilium evocati; licentiati sunt omnes » alii inferiores Praelati mitrati „ *tom* 14. *Concil. Labbaei col.* 502. Nullum est Concilium, cui plures numero Doctores, et Presbyteri interfuerint, quam Concilium Tridentinum; verum ex illis omnibus ii tantum jus suffragii habuerunt, quibus peculiari privilegio concessum est: quod evidenter ostendit, nullum jus hujusmodi proprium iisdem fuisse, quod privilegio obtinere debuerunt.

§. XV. Atque hoc quidem superiori loco, unde Presbyteris, ceterisque praesit, ac praestet, necessario posita esse debet Episcopi jurisdictio, ut tres Ecclesiae recte, atque ordine gubernentur. Nam quaelibet particularis Ecclesia caput unum habere debet, cui sit potestas, et imperium in clerum universum, quem eadem Ecclesia complectitur; ut totus una fide, et communione copuletur, eademque rationis norma dirigatur. Ita unaquaeque Ecclesia particularis cum Ecclesia universali conjungitur, ex eaque conjunctione illa oritur unitas Ecclesiae catholicae, quae ex tot Ecclesiis nexis, et jugatis

conficitur. Nisi particulares Ecclesiae unum habeant caput, a quo regantur, magna erit ubique confusio, perturbatioque rerum (1). et amota subjectione unicuique licebit cuncta ad suum arbitrium, libidinemque revocare. Qualis igitur erit in illa varietate capitum, atque studiorum hujus Ecclesiae fides, quae, ut ad catholicam Ecclesiam pertineat, una et eadem esse debet cum fide reliquarum Ecclesiarum? Cum Protestantes jugum Episcopatus ejicere ceperunt, procul abiit omnis ordo, omnisque subjectio, turbaeque, ac dissidia orta sunt. Ex eorum grege Philippus Melancthon agnoscere, et fateri debuit hanc in singulis Ecclesiis uni Episcopo subjectionis necessitatem, ut recte consistat Ecclesiae administratio (2). Repetit is quidem, ut error erat hujus sectae hominum a jure ecclesiastico Episcopalis jurisdictionis institutionem; sed semetipsum falsi convincit, cum illam pro recto Ecclesiae regimine necessariam confitetur. Quis enim credat, Christum, cum Ecclesiam instituit, non etiam instituisse ordinem, et jurisdictionem, sine qua Ecclesia recte gubernari atque incolumis esse non poterat (3)?

(1) S. Cyprianus *ep.* 59. *pag.* 261. „ neque enim, *inquit*, aliunde » haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacer- » doti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, » et ad tempus judex Vice Christi cogitatur » *et ep.* 66 *pag* 283. *edit. Amstelod.* 1700. „ Inde enim, *inquit* schismata, et haereses obortae sunt, » et oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, et Ecclesiae praeest, su- » perba quorumdam praesumtione contemnitur », Similia habet Hieronymus *adver. Luciferian. num.* 9. *opp. tom.* 2. *col* 182.

(2) Melancthon *epist.* 17. *lib.* 1. *et art.* 3. apud Carolum du Plessis d'Argentré *collect. judicior. par.* 2 *tom.* 1 *pag* 387 *edit Paris.* 1724. » Primum igitur, *inquit*, hoc omnes unanimiter profitemur, politiam ec- » clesiasticam rem esse sanctam, et utilem, ut sint aliqui Episcopi, » qui praesint pluribus Ecclesiarum ministris, item ut Romanus Pontifex » praesit omnibus Episcopis: Opus est enim in Ecclesia gubernatoribus; » qui vocatos ad ministeria ecclesiastica explorent, et ordinent ..... et » inspiciant doctrinam Sacerdotum, et si nulli essent Episcopi, tamen » creari tales oporteret ».

(3) Bossuetius *Histoire des variations liv.* 5. *cap* 27. *op. tom.* 4. *pag.* 173. *edit. Leodii* 1766. haec de Melancthone scribit: il ajouta seulement, » qu' il donnoit au Pape une superiorité de droit humaine; malheureux » de ne pas voir qu' un Primauté, que l'experience lui montrait si neces- » saire a l'Eglise, méritoit bien d'être institué par Jesus Christ, et que » d'allieurs une chose, qu' on trouve établie dans tous les siécles, ne pou- » voit venir que de lui » !

DE ECCLESIA, EJUSQUE NATURA, ET NOTIS SEU CHARACTERIBUS.

CAPUT VII.

§. I.

Eorum, quae hactenus disputavimus, summa est, Christum Ecclesiam instituisse, ut esset societas hominum Christianam Religionem profitentium, ut haberet moderatores, qui eam regerent, Apostolos scilicet, eorumque successores Episcopos, atque ut inter eos unus esset, Petrus videlicet, ejusque successor Summus Pontifex, qui omnibus auctoritate, et dignitate praesideret; essetque centrum unitatis, in quo tot particulares Ecclesiae conjungerentur, eaque conjunctione unam universalem Ecclesiam efficerent. His vero cognitis reliqua facile noscuntur. Nam ex iis patet, quae vera, et accurata Ecclesiae definitio sit; deinde intelligimus, Ecclesiam veram esse, perfectamque rempublicam, non collegium merum, quod falso putant Protestantes; denique ejus regimen monarchica ratione contineri. Cuncta haec partite, atque ordine explicanda sunt; et initium sit ab Ecclesiae definitione.

§. II. Ea profecto, ut accurata sit, ita exprimere debet vim, et naturam rei, quae definitur, ut neque ab-

sit quidquam, neque supersit; quo fit ut catholica Ecclesia definienda sit societas hominum sub legitimis Pastoribus, praesertim vero sub visibili omnium capite, centroque unitatis Romano Pontifice Christianam Religionem profitentium, eorumdemque sacramentorum colligatione in unum corpus coalescentium a Christo instituta. Haec definitio naturam explicat Ecclesiae, qualis est ordinata a Christo, qui eam regi voluit a legitimis Pastoribus, ac praesertim ab uno omnium capite, in quo sedet centrum unitatis omnium particularium Ecclesiarum. Itaque manca prorsus, atque imperfecta est descriptio eorum, qui Ecclesiam definiunt coetum, seu congregationem fidelium, neque haec compendiaria definitio rem totam explicat (1). In illis Ecclesiae primordiis cum eadem discernenda esset ab iis, qui idola venerabantur, satis erat eam definire coetum fidelium; quibus quidem verbis ea recte distingui ab idolorum cultoribus, antiqui Patres animadvertunt. Verum cum rem totam diligentius, atque accuratius explicare oportuit adversus haereticos, ipsi Patres diserte meminerunt eorum, quos Christus huic societati praefecit (2). Quod si explicatiori illa definitione opus fuit initio Ecclesiae, cum illae nondum apparuissent haereses, quae consequenti aetate prodierunt, iisdem profecto exortis multo diligentius evolvenda, exequenda, explananda erat catholicae Ecclesiae indoles, atque natura; ne qua in re tanti momenti dubitatio reliqua esse posset, atque ut omnis tergiversandi locus tolleretur. Nimirum perspicuis, remque omnem comprehendentibus verbis designanda erat catholica Ecclesia, ut omnes plane intelligerent, ad eam non pertinere, qui legitimis Pastoribus parere recusant, neque Ecclesiae caput agnoscunt Romanum Pontificem, in quo positum est centrum unitatis. Eadem de causa, ut omnes praeciderentur tricae, ac tergiversationes Arianorum, Nestorianorum, Lutheranorum, Nicaeni Patres vocem ὁμοούσιος *consubstantialis*. Ephesini vocem Θεοτόκος, Tridentini *transubstantiationis* vocabulum adhibuerunt.

(1) Joannes Launojus *lib. 8. ep. 13. ad Nicolaum Gatinaeum* multis utitur Scripturarum, ac Patrum locis, ut ostendat, ab Apostolicis temporibus usque ad Concilium Tridentinum Ecclesiam semper fuisse definitam *coetum*, aut *congregationem Fidelium*, ideoque Petrum Canisium, et Robertum Bellarminum *idem peccati genus diversa ratione* admisisse arbi-

tratur, quod uterque antiquam illam definitionem latius explicaverit. Nam alter Ecclesiam definivit „ cunctorum Christi fidelium visibilem congrega-» tionem, quae sub uno capite suo Christo, unoque vices ejus in terris » gerente Pontifice Maximo regitur, ac in unitate conservatur » . Alter vero Ecclesiam describit » coetum hominum ejusdem christianae fidei pro-» fessione, et eorumdem sacramentorum communione colligatam, sub re-» gimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vi-» carii Romani Pontificis » . Illae autem, quae Ecclesiae definitioni re-centiori aetate factae sunt, accessiones » ad statum, *ait*, Ecclesiae perti-» nent, ad Ecclesiae naturam, vel essentiam non pertinent, ut Duvalius » scite notavit; siquidem Ecclesiae natura, vel essentia in Fidelium, seu » Catholicorum coetu tota continetur » . Verum si Christus Ecclesiam in-stituit coetum fidelium sub legitimis Pastoribus, ac sub uno omnium capi-te, centroque unitatis congregatum, perspicuum est, mentionem illam Pa-storum, capitisque, ac centri ad ipsam naturam, atque essentiam Eccle-siae pertinere. Qui legitimos Pastores, ac centrum unitatis tantum ad re-giminis formam referunt, ita ut ea res minime necessaria, sed *accidenta-lis*, ut ajunt, videatur, ii juri humano tribuere videntur Ecclesiae admi-nistrandae rationem, ita ut ab ea abesse possit subjectio pastoribus, ac ca-piti divinitus instituta. Neque nos definitionem quaerimus Ecclesiae, per quam eam ab Idolatria distinguamus; quia tunc satis esset brevis illa, simplexque definitio, quae discriminat Fidelium, seu Christianorum, atque Infidelium coetum. Quaerenda nobis est definitio, quae catholicam Eccle-siam aperte, ac perspicue demonstret, quae intimam ejus naturam patefa-ciat, quae non omnes comprehendat, qui Christiani vocantur, quod Ba-ptismo donati sunt, sed eos solum, qui legitimis Pastoribus, Romanoque Pontifici subjecti unitatem retinent, et catholici appellantur. Nam ex his tantum catholica Ecclesia conficitur, eaque ejus *essentia*, sive propria, at-que intima natura est. Nisi diserte ponatur subjectio legitimis Pastoribus, atque in primis uni omnium capiti divinitus constituto Romano Pontifici, sine quo haberi non potest *unitas*, quae *essentiam* respicit Ecclesiae catho-licae, etiam haeretici, et schismatici, qui procul ab Ecclesiae unitate sunt, eadem comprehensi videri poterunt. Late ea de re disputat Valsec-chius *La verità della Chiesa Cattolica cap.* 1. *num.* 3. *seqq. pag.* 35. *seqq. edit. Patavii* 1787. Duo non omittam. Primum est, quod in Ecclesiae definitione, quam multi tradiderunt, tacite, et implicite continebatur id, quod a Canisio expresse, et explicite declaratum fuit. Alterum est, quod ante Canisium in Ecclesiae definitione legitimi Pastores, summusque Pon-tifex memorantur in opere Petri Soti, cui titulus *Institutionis Christianae libri tres Augustae Vindelicorum* 1548.

(2) S. Ignatius Martyr *ep. ad Trallian. num.* 13. *pag.* 25. *et ad Ephes. num.* 2. *pag.* 129. *PP. Apostol. Cotelerii tom.* 2. *edit. Antuerp.* 1698., S. Cyprianus *ep.* 66. *ad Florent. Pupian. pag.* 285. *et* 286. *edit. Amstelod.* 1700., S. Irenaeus *contr. haeres. lib.* 3. *cap.* 3. *opp. tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Venet.* 1734., S. Optatus *contr. Parmenian. lib.* 2. *pag.* 34. *et seqq. edit. Paris* 1676., S. Augustinus *enarrat. in Psalm.* 126. *num.* 3. *opp. tom.* 6. *col.* 827. *edit. Maurin. Venet.* 1756.

§. III. Re quidem vera si ab Ecclesiae definitione re-moveas mentionem legitimorum Pastorum, aut Romani Pontificis, numquam ostendes, quae vera indoles, et na-

tura catholicae Ecclesiae sit. Nam eam ita Christus instituit, ut esset societas Fidelium sub legitimis Pastoribus, et sub uno omnium capite; si haec tollas, quae ad ipsam pertinent Ecclesiae naturam, eamque explicant definite, nemo intelliget, qualis sit Ecclesia catholica, cum ignoret, qualem eam Christus instituerit. Atque, haec subjectio Fidelium legitimis Pastoribus, unique capiti naturam ipsam, sive, ut loquuntur, *essentiam* attingit Ecclesiae, cum Christus Ecclesiam suam esse voluerit non societatem Fidelium, qualis qualis ea esset, sed societatem, quae sub legitimis Pastoribus, unoque Capite eadem fide, et communione conjungeretur. Itaque explicandum est, quae natura, quaeque institutio sit hujus societatis; quemadmodum si quis monarchiam describeret *statum civilem*, is nihil ageret, nisi faceret mentionem Regis, penes quem summa rerum potestas est. Neque accuratior est definitio eorum, qui legitimos quidem Pastores memorant, sed nullam Romani Pontificis mentionem faciunt (1). Cum enim catholica Ecclesia ex conjunctione oriatur omnium particularium Ecclesiarum, eaque conjunctio perficiatur per unum caput, centrumque unitatis, nisi fiat hujus capitis, centrique mentio; una catholica universalis Ecclesia apte, dilucide, accurate definiri non potest. Particulares quoque Ecclesiae suos habent Pastores, et in eas quadrat eadem definitio *caetus Fidelium sub legitimis Pastoribus*; sed hae longe differunt ab Ecclesia universali, quae conflatur ex earum omnium sub uno capite, centroque conjunctione. Quin etiam Pseudo-Ecclesiae haereticorum suos habent Pastores; et hae certe neque cum catholica universali Ecclesia, neque cum Ecclesiis particularibus, quae sunt ejusdem partes, confundi debent. Itaque ut catholica universalis Ecclesia distinguatur ab Ecclesiis particularibus, atque etiam a falsis Ecclesiis haereticorum, necesse est in ejus definitione illud exprimere, in quo et intima ejusdem natura, et discriminis ratio posita est.

(1) Similem Ecclesiae definitionem, praeter ceteros, proponit Febronius, quem refellit Mamachius *ep.* 2. *ad Febron.* §. 2. *et.* 3. *tom.* 1. *pag.* 165. *seq.*

§. IV. Catholica haec Ecclesia, quam modo descripsimus, constat ex omnibus hominibus, qui semel Baptismo donati catholicam veritatem, et communionem retinent, sive praedestinati sint, sive non sint, sive honesta, et laudabilis, sive turpis, et foeda ab ipsis agatur vita (1). Mali homines aegra quidem sunt, et vitiata membra; sed tamen membra sunt Ecclesiae, quamdiu unitatem servant, fidemque retinent expertem erroris. Contra qui Baptismo donati non sunt, aut schisma fecerunt, aut in haeresim lapsi sunt, aut ab Ecclesiae communione remoti, ab eadem excluduntur (2). Itaque nec Paulus cum Ecclesiam, persequeretur (3), nec Augustinus, cum Manichaeorum errores sectaretur, membra erant Ecclesiae, et eodem Ethnici, Judaei, Haeretici, Schismatici, Excommunicati habendi sunt loco. Illi enim Baptismo carent, per quem efficimur Ecclesiae filii, Baptismum quidem obtinuerunt, sed per haeresim, aut schisma ab Ecclesiae unitate in fide, et caritate discesserunt (4), postremi ejusdem Ecclesiae judicio ab ea exclusi ad ejus communionem non pertinent, donec resipiscant.

(1) Consule Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 4. *cap.* 3., et Tournelium *Praelect. Theolog. de Eccles. quaest.* 1. *art.* 2. *tom.* 6. *pag.* 8. *seqq. edit. Neapol.* 1765., Bellarminum *de Eccles. militan. lib.* 3. *cap.* 2. *opp. tom.* 2. *pag.* 53. *seq. edit. Venet.* 1721.

(2) Catechismus Romanus *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 9.

(3) Concilium Constantiense *in artic. damnat. Joannis Huss. sess.* 15. *tom.* 16. *Concil Labbaei col.* 218. *edit. Venet. Coleti.*

(4) » Caritas enim Christiana » inquit Augustinus *contr. liter. Petilian. lib.* 2. *cap.* 77. *opp. tom.* 12. *col.* 339. » nisi in unitate Ecclesiae non potest custodiri ».

§. V. Verum Cathari, et, qui ad horum vesaniam accedebant, Donatistae nonnisi sceleris puros, vitaeque integros ad Ecclesiam partinere censebant; quo in luto haesitant ex Lutheranis Anabaptistae, qui cum Pelagianis omnes in hac etiam mortali vita perfectos volunt, cum Catharis, et Donatistis nullam in Ecclesia infirmitatem ferunt. Fuere alii, qui tantum praedestinatis ad gloriam concedendum putarunt in Ecclesia locum, qui fuit error Joannis Wicleffi, et Joannis Hussi, quos Constan-

tiensis Synodus condemnavit. Horum errores renovarunt Lutherani, et Calviniani, qui improbos, et non praedestinatos ab Ecclesia arcendos putant (1); neque ab his iisdem erroribus procul abest Paschasius Quesnellus, qui merito a Sede Apostolica damnatus est (1). Somnia haec omnia delirantium sunt. Nam nulla in terris esset Ecclesia, si ea in singulis etiam membris omni prorsus labe, et culpa vacare deberet; quoniam nemo usquam mortalium est, qui omni ex parte perfectus, atque expers cujuscumque maculae sit. Non uno quidem loco Sacrae Literae ostendunt, quam imperfectus homo sit; et vero hae designant Ecclesiam tamquam agrum, in quo frumentum cum avena (3), tamquam aream, in qua triticum cum palea (4), tamquam ovile, in quo oves cum haedis commixtae sunt (5), tamquam segenam missam in mare, qua boni simul, malique pisces continentur (6), tamquam decem virgines, quarum quinque prudentes, quinque autem fatuae sunt (7). Ac mali etiam habendi intra Ecclesiam sunt, quoniam nisi ei paruerint, Christi mandato ab eadem expelluntur (8); quo pacto Apostolus ejecit Corinthium incestus in novercam reum (9). Quomodo hi homines removeri ab Ecclesia possent, nisi in ea versarentur? Quibus argumentis refellitur etiam huic affinis error eorum, qui ex solis praedestinatis Ecclesiam constare asseverant. Quid vero, quod hominibus, qui in hoc vitae curriculo sunt, compertum esse non potest, qui praedestinati sint, qui contra non sint? Ergo occulta, et incerta essent omnia, neque Pastores suas oves, aut ipsi oves suos pastores agnoscerent, legesque omnes inutiles essent, et imbecilles, quoniam in iis tenebris, quibus cuncta occulta, et circumfusa laterent, deprehendi non posset, num qui eas tulerunt, praedestinati sint, an secus, et num easdem jure ferre potuerint. Itaque videretur stulte Christiana Respublica instituta, cum tot populi in tam gravi rerum ignoratione versarentur; et excusationem haberent haeretici, et infideles, quod veram Ecclesiam non noscerent; nobisque incerta, atque invisibilis fieret eadem Ecclesia, qui alter haereticorum error est.

(1) Lutherani Ecclesiam describunt Sanctorum congregationem, ipsaque Lutherus *de Concil. et Eccles. par.* 3. » Papam, et Cardinales idcir-

» eo non esse de Ecclesia, *inquit*, quia sancti non sunt » . Quae Calvini sententia sit, non ita facile intelligitur; adeo vera cum falsis miscet, et saepe etiam inter se pugnantia loquitur. Nam aliquando sese catholicum fingens agnoscit Ecclesiam visibilem, et externam, quae ab omnibus noscenda necessarie est; tum eam esse divini verbi praedicatione, et sacramentorum administratione cospicuam, eamque esse affirmat, quae ab Apostolo dicitur *columna, et firmamentum veritatis*; tum omnes in Ecclesia stare oportere defendit, quamquam vitii aliquid ea contraxerit sive in doctrina, sive in praxi sacramentorum, modo nec communia Religionis capita laedantur, nec in conferendis sacramentis violetur auctoris institutio. Sic ille *Inst. lib.* 4. *circ. init.* Contra *lib.* 4. *Instit cap.* 1. Ecclesiam ex solis praedestinatis constare asseverat, ejusque characterem unicum esse divinam electionem, quae cum soli Deo nota sit, non item hominibus, exinde efficitur, ut ipsa quoque Ecclesia aliquando latitare debeat.

(2) Huc spectant Quesnelli propositiones 72. et 78., quae cum ceteris a Clemente XI. P. *in Bulla Unigenitus* 187. *pag.* 340. *tom.* 10. *Bullar. Mainardi* condemnatae sunt.

(3) Matthaeus *XIII.* 3 *seqq.*

(4) Matthaeus *III.* 12.

(5) Matthaeus *XXV.* 32. *et* 33.

(6) Idem *XIII.* 47.

(7) Idem *XXV* 1. Confer Augustinum *de Baptism. lib.* 7. *cap* 51. *opp. tom.* 12. *col.* 236. *de unit. Eccles. cap.* 13. *et* 14. *col.* 458. *seq. et in Brevic. collat. cap.* 9. *col.* 706.

(8) Matthaeus *XVIII.* 17.

(9) Apostolus *ad Corinth. I. cap. V. ver.* 3.

§. VI Nam in hoc demum absurdum delabi debuerunt haeretici, cum Catholici ab iis quaererent, ubi esset eorum Ecclesia, antequam rebus novis studerent, atque illam formarent sectam, quae a Catholica Ecclesia defecit. Ajebant enim, Ecclesiam haud esse visibilem; sed hoc et catholicae fidei vehementer repugnans, et perspicue falsum est. Nam Ecclesia societas est hominum, qui visibiles sunt, quoniam animo. et corpore constant; quomodo igitur invisibilis esse potest? Rursus cum ad eam conficiendam Christus ipse, qui invisibilis erat, assumpta humana natura, visibilis factus sit; cum ejus fundamentum super petram, hoc est super rem visibilem posuerit (1) cum eam per Evangelii annunciationem, rem scilicet sub sensus cadentem (2), propagari voluerit; cum eadem adstringatur vinculis sacramentorum, quae visibilibus constant rebus; ac praesertim Baptismo, quo homines in eam cooptantur, plane desipere oportet eos, qui illam invisibilem esse contendunt. Certe quotquot sunt in sacris Scripturis nomina, quibus Ecclesia designatur, ea sunt omnia de rebus visibilibus, atque ante omnium oculos po-

sitis (3); ac si ea esset invisibilis, quomodo ab Episcopis regeretur (4); quomodo in ea versarent homines (5), atque ad eamdem deferri crimina Christianorum possent, ut qui ei non obtemperant ex christiana societate exterminantur (6)? Atque haec *visibilitas*, quae numquam extingui potest, elucet in professione veritatis Evangelii; quam et Pastores docent, et tota retinet societas Christianorum; ex quo patet error illorum, qui abesse illam ab universitate, atque in paucis residere posse arbitrantur. Non enim haec paucorum professio universitatis professio est; ac si ab ea procul esse dicimus veritatem, haud certe ejus professione tota societas, hoc est Ecclesia catholica, visibilis haberi potest (7).

(1) Sive Christus Ipse, sive Petrus eo nomine comprehendatur verbis illis apud Matthaeum *cap. XVI.*, uterque certe visibilis erat.

(2) Apostolus *ad Roman. X.* 14. *et seq.* » quomodo invocabunt, *in-* » *quit*, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non au- » dierunt? Quomodo autem audient sine praedicante...... Ergo fides ex » auditu, auditus autem per verbum Christi ».

(3) Isaias *II.* 2. Ecclesiam designat montis nomine, qui ab omnibus conspicitur. » Erit, *inquit*, in novissimis diebus praeparatus mons do- » mus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent » ad eum omnes gentes ». Quem montem de Ecclesia interpretatur Hieronymus *in hunc loc. opp. tom.* 4. *col.* 31. *edit. Venet.* 1767. Apud Danielem *II.* 34. *et* 35. lapis, qui percussit statuam, dicitur » factus mons ma- » gnus, et implevisse universam terram ». Quem locum de Christo, et Ecclesia similiter intelligit ipse Hieronymus *ibid. tom.* 5. *col.* 634. In *Psalmo XVIII. vers.* 6. Ecclesia Soli comparatur, quemadmodum locum ipsum explicat Augustinus *tract.* 2. *in epist. Joan. num.* 3. *opp. tom* 4. *col.* 1108.

(4) Lucas *Act. XX.* 28.

(5) Paulus I. ad Timot *III.* 15. » ut scias, *inquit*, quomodo opor- » teat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi » Huc etiam referenda sunt cetera Sacrae Scripturae loca, quae describit Bellarminus *de Eccles. milit. lib.* 3. *cap.* 12. *opp. tom.* 2. *pag.* 70. *et* 71.

(6) Matthaeus XVIII. 17. Consule Augustinum *enarrat.* 2. *in psalm.* 18. *num.* 6. *opp. tom.* 5. *col.* 110. *contr. Faustum lib.*13.*cap.* 13.*tom*.10.*col.*311. *contr. epist. Parmenian. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 28. *col.* 95. *contr. liter. Petilian. lib.* 2. *cap.* 104. *num* 239. *col.* 374. *et de unit. Eccles. cap.* 16. *num.* 40. *col.* 464. *tom.* 12.

(7) Hinc merito Pius VI. in Bulla *auctorem fidei* edita V. Kal. Sept. an. 1794. haereticam declaravit propositionem Synodi Pistoriensis Scipionis de Ricciis, qua asseritur » postremis hisce saeculis sparsim esse generalem » obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religio- » nem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi ». Sane hoc veritatis in Ecclesiae universitate obscuratae commentum in medium attulerunt Protestantes, ut suos propagarent errores, atque Ecclesiam ab se emendandam, seu *reformandam* ostenderent. Eodem commento, in-

demque de causis utuntur Janseniani; homines videlicet in eadem schola eruditi, et insistentes iisdem viis. At si legitima, ac vera praedicatio veritatis praecipuum est signum Ecclesiae, quomodo hoc visibile esse potest in ea, quae fingitur, generali obscuratione ejusdem veritatis, et praevaricatione eorum, qui praedicationis officio praepositi sunt? Et si visibile non est signum, quo Ecclesia distinguitur, qui fieri potest, ut eadem visibilis sit? Ergo ea fingenda est invisibilis, quod paradoxum est Protestantium, quos solide, graviterque refutavit Bossuetus *Histoire des variations liv.* 15. *opp. tom.* 4. *pag.* 651. *seqq.*, et Jansenianorum, quos pari cum laude exagitat Cardinalis Gerdilius *Esame de' motivi dell' opposizione fatta da Mons. Vescovo di Noli alla pubblicazione della Bolla Auctorem fidei par* 1 §. 5. *seqq. pag.* 30. *seqq.* Porro Bossuetus *loc. cit.* multiplices affert, easque implicatissimas formulas, quas Reformatores in suis synodis condiderunt, et ex quibus digna praesertim observatu est solemnis Confessio Helvetica anni 1566., in qua perspicue docetur, legitimam, ac veram *praedicationem* praecipuum esse signum Ecclesiae, quae semper fuit, eritque perpetuo fidelium, ac sanctorum *congregatio*. Verba *legitimae praedicationis*, *et congregationis* evidenter ostendunt, Ecclesiam semper esse, ac fuisse, et futuram visibilem, eamque ex Pastoribus, et populo necessario constare, quoniam ea declaratur societas hominum externa, et visibilis; quae signo item externo, et visibili distinguitur, nimirum praedicatione, qua populus a Pastoribus eruditur. Sed ut illam probarent veritatis obscuritatem, in qua Ecclesiam universam per plura saecula jacuisse putabant, id, quod antea de visibili Ecclesia posuerant, Protestantes reprobare debuerunt. Nam statuerunt, ita aliquando obscuratam fuisse veritatem, ut Ecclesia invisibilis fieret, cum soli Deo nota esset, atque hominum aspectum fugeret; atque ita coacti sunt mutare sententiam, ne suum errorem fateri cogerentur. Confer etiam *nostras Institutiones lib.* 4. *tit.* 4. §. 2. *not.* 2. *pag.* 42. *seq.*

§. VII. Sed praeter hanc perspicuitatem, per quam omnibus manifesta est Ecclesia catholica, certas etiam habet notas, et signa, quibus distinguitur a sectis haereticorum, qui se ad veram Christi Ecclesiam pertinere falso arbitrantur. Ad ea vero signa cum primis pertinet Ecclesiae *unitas* (1), quae una fide, eorumdem sacramentorum communione, subjectione legitimis Pastoribus (2), et uno visibili capite continetur, et cernitur (3). Itaque cunctorum fidelium, ex quibus catholica Ecclesia constat, unum est corpus; unum caput invisibile Christus, visibile Romanus Pontifex, qui ejus in terris vices gerit, unus spiritus vivificans, una fides, una spes, una caritas, eadem sunt bona, nimirum gratiae divinae, sacramenta, preces, bona opera, quae toti Ecclesiae communia sunt, omnesque attingunt, qui in ea comprehenduntur. Plures, ut diximus, sunt particulares Ecclesiae, quae singulae a suis Episcopis reguntur, et hae partes sunt Ecclesiae

universalis ; sed omnes inter se conglutinatae , et connexae sunt , atque in unum confluunt commune unitatis centrum , atque unum efficiunt corpus cum Ecclesia universali, cujus Summus Pontifex visibile caput est.

(1) Christus sane non plures , sed unam Ecclesiam constituere voluit, ac mortuus idcirco est (quod legitur apud Joannem *cap. X. vers.* 52.) „ ut „ filios Dei , qui erant dispersi , congregaret in unum „ ; nimirum ut in unam Ecclesiam conjungeret illos, qui partim ex Judaeis, partim ex Gentibus Christianam religionem amplecterentur. Atque hoc quidem est quod de Christo Paulus scribit ad Ephesios *cap. II, vers.* 13. „ ipse enim est „ pax nostra , qui fecit utraque unum „ idest Judaeos , et Gentes. Confer quae dicta sunt *cap.* 4. §. 3. *not.* 2. *pag.* 49.

(2) Matthaeus *XXVI* 18. „ Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti , docentes eos „ servare omnia , quaecumque mandavi vobis „ quibus verbis comprehenditur unitas fidei , sacramentorum , subjectionis. Atque hanc a Christo datam unitatis doctrinam Apostoli, ubi opus fuit , et magis explicarunt , et sedulo tradiderunt.

(3) Consule S. Hieronymum *ep.* 15. *num.* 2. *ad. Damasum P, opp. tom.* 1. *col.* 39. *et ep.* 16. *num.* 2. *col.* 43. , et S. Leonem M. *ep.* 10. *cap.* 1, *opp. tom.* 1, *col.* 633.

§. VIII. Sancta item est Ecclesia ex ejus capite , et auctore Christo Jesu , qui fons est totius sanctitatis (1) , ex fine institutionis , ex mediis ad hunc finem comparatis; eaque sanctitas elucet in doctrina fidei , et morum , atque in ipsa disciplina , cujus semper unus est, idemque spiritus , licet ea interdum pro temporum ratione mutetur ; in sacramentis, quae instrumenta sunt divinarum in nos gratiarum , in gloria miraculorum , in praeclaris Ecclesiae membrorum virtutibus. Neque vero refert quod multi etiam mali in ejus sinu versentur ; nam sancti vocantur fideles , qui populus Dei effecti sunt , quive se , fide , et baptismate suscepto , Christo consecrarunt , quamquam in multis offendunt , et quae polliciti sunt, non praestant (2); praeterea eorum vitia haud ipsam inficiunt Ecclesiam , quae tota ad excitandam , fovendamque sanctitatem nata , atque instituta est (3). Ac sanctam quidem esse , semperque futuram Ecclesiam ex Christi pollicitatione manifestum est (4). Nam si Spiritus veritatis perpetuo cum ea permansurus est , si docturus est omnem veritatem , si portae inferi adversus illam praevalere non poterunt , si Christus usque ad finem saeculorum aderit Ecclesiae docenti , et sacramenta ministran-

ti, fieri certe non potest, ut ipsa in errorem aliquem delabatur, aut quidquam agat, seu doceat, quod non plenum sanctitatis, et veritatis sit (5).

(1) Apostolus *ad Ephes. V.* 26. » Pro ea enim seipsum tradidit Christus ut illam santificaret » et *ad Hebraeos XIII.* 12. „ Jesus, ut sanctificaret, per suum sanguinem populum . . . . . . passus est » . Praeclare, ac solide Sanctus Augustinus *enarrat. in Psalm.* 85. *num.* 4. *opp. tom.* 6. *col.* 132. „ Audeat, *inquit*, et Corpus Christi, audeat, et un us » ille homo clamans a finibus terrse cum Capite suo, et sub Capite suo » dicere: sanctus sum; Accepit enim gratiam Baptismi, et remissionis » peccatorum » et paulo post » Si Christiani omnes, et Fideles, in Christo baptizati ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; si membra sunt facta corporis » ejus, et dicunt, se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cu» jus membra sancta sunt ».

(2) Quare Apostolus *I. ad Corinth. cap.* 1. *vers.* 2. *et II. ad Corinth. cap. I. vers.* 1. Corinthios *santificatos*, et *sanctos* appellat, in quibus nonnulli erant, quos graviter objurgat *I. ad Corinth. cap. IV.*

(3) Apposite S. Augustinus *Retractation. lib.* 2. *cap.* 18. *opp. tom.* 1. *col.* 55. » Ubicumque, *inquit*, commemoravi Ecclesiam non habentem » maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed » quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim » propter quasdam ignorantias, et infirmitates membrorum suorum, habet » unde quotidie dicat: dimitte nobis debita nostra » .

(4) » Ego rogabo Patrem » *inquit* Christus apud Joannem XIV. 16. 17. „ et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, » Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt » eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos ma» nebit, et in vobis erit » et apud eumdem XVI. 13. » Cum autem ve» nerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » .. Et apud Matthaeum XVI. 18. » Tu es Petrus, *inquit*, et super hanc petram aedi» ficabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus » eam » . Et apud eumdem XXVIII. 18. *seq.* „ Data est mihi, *inquit*, omnis » potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes » eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare » omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus » diebus usque ad consummationem sseculi » .

(5) Confer Bossuetum II. *Instruction. Pastoral sur les promess. de J. Christ à son Eglise num.* 30. *seqq. opp. tom.* 6. *pag.* 179. *seqq.*

§. IX. Similiter *Catholica* (1) est Ecclesia; sive *universalis*, quae scilicet per omnia loca, atque tempora per cuncta hominum genera, sive gentes, populos, nationesque diffusa est. Quod eo spectat, ut Ecclesia complectatur tum omnia loca, cum nullus in toto terrarum orbe sit locus, in quo Catholici non sint, vel fuerint, vel futuri sint (2); tum omnia tempora, cum Ecclesia et

semper fuerit, et semper futura sit, eaque perpetuo docuerit, docturaque sit, quod Apostolorum aetate docebatur (3); tum omnes homines, quoniam Catholicorum Ecclesia propagata ubique terrarum est, distinguiturque a factionibus haereticorum, quae tam late minime patent (4). Denique *Apostolica* est Ecclesia quae ab Apostolis originem ducit, eamdemque cum ipsis doctrinam profitetur, et cujus Pastores legitimam missionem, et successionem habent ab Apostolis perpetuo continenti serie propagatam. Quare antiquitus originis, et doctrinae, missio, et successio proprii, ac veri characteres Apostolicae Ecclesiae sunt.

(1) Gerardus Joannes Vossius *de trib. symbol. dissert.* 1. *de symbol. Apostol.* §. 24. *et seq. pag.* 509. *edit. Amstelod.* 1701. putat, verbum illud *Catholicam* circa III. saeculum ab Ecclesia Romana Symbolo adjectum fuisse adversus Novatianos, qui ea tempestate turbas in Ecclesia excitaverant. Verum iis quoque temporibus, quae proxime accedunt ad aetatem Apostolorum, Christi Ecclesiam catholicam appellatam fuisse certum est. Nam in epistola Fratrum Smyrnaeorum de Martyrio S. Polycarpi apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 138. *edit. Taurin.* 1746. diserta fit *Ecclesiae Catholicae* mentio; et in eadem epistola *ibid. pag.* 141. narrant Smyrnaei Polycarpum jam jam moriturum in precibus suis meminisse totius per universum terrarum orbem diffusae *Ecclesiae Catholicae*. Imo ante S. Polycarpum Ignatius Martyr. *ep. ad Smyrn. num.* 8. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 37. *edit. Antuerp.* 1698. eodem nomine Ecclesiam appellavit. » Ubi fuerit, *inquit*, Jesus Christus, ibi est » Catholica Ecclesia ». Recte igitur Valesius *in not. in Eusebium Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 10. *pag.* 291. *edit. indic.* nomen hoc Ecclesiae attributum censet circa primam Apostolorum successionem, cum haereses multis in locis exortae veram Christi fidem, et Apostolorum traditionem evertere conarentur. Tunc enim, ut vera Christi Ecclesia distingueretur a factionibus haereticorum, sola Orthodoxorum Ecclesia *catholica* appellata est. Quod autem addit Vossius post Calvinum, Chamierum, Erasmum, alios ejusdem generis, symbolum ab Apostolis editum non fuisse sed Apostolicum vocari, quia Apostolicae doctrinae compendium est, ac prae aliis symbolis conceptum est etiam verbis Apostolorum, et Evangelistarum; id similiter alienum a veritate est. Nam symbolum, quod Apostolicum vocatur, ab Apostolis traditum fuisse, antequam ipsi in varias orbis partes ad nunciandum Christi Evangelium proficiscerentur, ut eo veluti signo, seu tessera veri fideles a falsis discernerentur, communis Patrum sententia, et vetus Ecclesiae traditio est. Quod late prae ceteris ostendit Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1 *dissert.* 12. *tom.* 3. *pag.* 128. *et seq. edit. Venet.* 1776., ibique Jo. Dominicus Mansius *in not.*, qui Basnagii contra Alexandrum argumenta copiose diluit. Confer etiam Card. Bonam *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. ibique Robertum Salam *in not. tom.* 3. *pag.* 166. *seq. edit. Taurin.* 1753., Selvagium *Antiquit. Christianar. lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 18. §. 2. *et seq.*, et Mamachium *origin. et antiquit.*

Christian. lib. 2. *cap* 6. §. 1. *pag.* 314. *not.* 1. *tom.* 1. Symbolum autem dictum videtur, vel quod signum, ac nota sit certae fidei, vel quod ex variis singulorum sententiis in commune collatis compositum sit (qua de re videndi Svicerus *Thesaur. Eccles. verb.* Σύμβολον, et Du-Cangius *Glossar. med. et infim. Latinit. eod. verb. symbolum*) et Apostolos quidem hoc symbolum composuisse putat Baronius *ad an.* 44. *num.* 15. *et seq. tom.* 1. *pag.* 293. *et seq. edit. Lucae* anno Christi 44 antequam scilicet singuli irent in provincias, in quibus Christi fidem populos docere debebant.

(2) Quo spectat illud Pauli *ad Roman. X.* 18. » In omnem terram » exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum ». Recte Augustinus *epist.* 199. *cap.* 12 *num.* 47. *opp. tom.* 2. *col.* 987. *edit. Venet.* 1756. » Ecclesia, *inquit*, fructificat, et crescit in universo mundo. » Adhuc enim habet, quo crescat, donec fiat, quod de Christo in Salomonis figura prophetatum est: dominabitur a mari usque ad mare, » et a flumine usque ad terminos orbis terrae . . . Omnes gentes, quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine . . . Nulla » relinquetur terrarum, ubi non sit Ecclesia » *et num.* 48. *col.* 988. » Si » ergo, *inquit*, quia prophetia veritatis mentiri non potest, necesse est » ut omnes gentes, quotquot fecit Deus, adorent eum, quomodo adorabunt eum, nisi invocent eum? . . . In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promissae sunt, non omnes homines omnium » gentium, non enim omnium est fides ».

(3) Apostolus *II. ad Corint. I.* 18. *et seq.* » Fideles autem Deus, *inquit*, » quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est, et non Dei enim » filius Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me, et » Silvanum, et Timotheum, non fuit est, et non, sed est in illo fuit».

(4) Quo pertinet illud Christi apud Marcum XVI. 15. » Euntes in » mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » S. Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 18. *num.* 23. *pag.* 296. *edit. Venet.* 1763. » Catholica, *inquit*, vocatur Ecclesia, quia per universum sit orbem terrarum diffusa a finibus terrae usque ad extrema; et quia docet catho» lice, hoc est universaliter, et sine ullo defectu, vel differentia omnia » dogmata » Confer etiam Augustinum *contr. liter. Petilian. lib.* 2. *cap.* 38. *opp. tom.* 12. *col.* 317. *et seq. et ep.* 52 *num.* 1. *tom.* 2 *col.* 158. *edit. mox indic.* Optatum *de schism. Donatist. lib.* 2. *pag.* 32. *et* 33. *edit. Paris.* 1676., et Vincentium Lirinensem *in Commonit. cap.* 3. apud Card. Thomasium *Instit. Theolog. tom.* 1. *pag.* 120.

§. X. Quo probe stabilito, et fixo, evidens profecto est, veram Christi Ecclesiam non aliam esse, quam Ecclesiam Romanam, quoniam in eam tantum quadrant omnia illa signa, atque notae, quibus eadem Ecclesia distinguitur. Ipsa enim *una* est sive fide, cum quidquid ipsa homines docet, ab Apostolis per verbum traditum, aut scriptum acceperit, sive sacramentis, cum eadem illa, quae Christus instituit numero septem, quaeque ad sese perpetua traditione pervenerunt, administret, atque custodiat; sive demum Pastoribus, qui accepta manuum impositione rite,

et recte praepositi Ecclesiae regimini communione junguntur cum Romana Cathedra, ad quam omnis Ecclesia conveniat necesse est (1). Itaque ab se removet omnes haereticos, quibus non eadem in cunctis articulis fides est, quique non omnes, quos ipsa damnat, errores improbant, atque rejiciunt (2), quibus non eadem, eodemque numero sacramenta sunt, qui carent legitimis, atque apostolicis Pastoribus communione conjunctis cum Romano Pontifice, qui omnium caput, et princeps est.

(1) Celebre est illud S. Irenaei, cujus locum supra descripsimus. Vide etiam S. Cyprianum *de unit. Eccles. pag.* 77. *et ep.* 59. *pag.* 266., S. Augustinum *ep.* 53. *num.* 2. *opp. tom.* 2. *col.* 160., S. Fulgentium *de incarnat. et grat. D. N. num.* 21. *pag.* 135. *edit. Venet.* 1743., S. Petrum Damianum *serm.* 23. *pag.* 60. *opp. tom.* 2. *edit. Venet.* 1743., Ratherium Episcopum Veronensem *praeloq. lib.* 4. *num.* 5. *pag.* 106. *edit. Veron.* 1765.

(2) Confer Clementem Alexandrinum *Stromat. lib.* 7. *num.* 17. *pag.* 899. *edit. Venet.* 1757., Hieronymum *in Oseam lib.* 2. *cap.* 9. *opp. tom.* 6. *col.* 102. *et* 103. *edit. Venet.* 1766., Augustinum *de fid. et simbol. cap.* 10. *num.* 21. *opp. tom.* 11. *col.* 519. *et de unit. Eccles. cap.* 24. *num.* 68. *tom.* 12. *col.* 484. *laudat. edition.* Basilium *epist.* 262 *num.* 2. *opp. tom.* 3. 404. *edit. Paris.* 1721., Chrysostomum *hom.* 59. *in Joannum.* 2. *opp. tom.* 8. *pag.* 346. *edit. Montfauconii Venet.* 1734., Constitutiones Apostolicas *lib.* 6. *cap.* 18. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 348. *edit. Antuerp.* 1798. Sed Haeretici ut factiones, sectasque omnes, quas ab se segregatas, atque sejunctas habet Ecclesia Romana, in unum conjungant, atque ad unitatem revocent, inter articulos, quos *fundamentales* vocant, interque articulos, qui non sunt *fundamentales*, discrimen constituunt. Ajunt videlicet, omnes Christianas Communiones, quamquam eae doctrina inter se differant, in articulis *fundamentalibus* convenire; id vero satis esse, ut cunctae ad Catholicae Ecclesiae unitatem referantur. Ita Erasmus, Cassander, Georgius Calistus, Lochius, aliique ea distinctione articulorum utuntur, ut sectas omnes componant, et quasi coagmentent, cunctasque inducant ad alienos invicem tolerandos errores; et ita Jurius, ut suam illam suadeat de Ecclesiae unitate sententiam, diversas Protestantium societates, quae sunt in Galliis, in Anglia, in Germania, in regno Sveciae etc. unam, eamdemque Ecclesiam conficere arbitratur; quoniam omnibus eadem est fides in articulis *fundamentalibus*, licet inter eas in pluribus doctrinae articulis magna dissensio sit. Contra hos Catholici ostendunt, Ecclesiae unitatem consistere in unitate fidei, quae eadem esse debet cunctis particularibus societatibus, ex quibus illa conficitur. Cum quis negare, aut in discrimen revocare ausus est dogma aliquod, quod Ecclesia tamquam fidei articulum habet, ea semper nullo facto discrimine inter articulos, qui *fundamentales*, et qui non *fundamentales* dicuntur, statim illum ab se segregandum, atque anathemate dignum judicavit. Qua in re Apostolorum exemplum sequuta est. Nam Paulus *ad Galat. I.* 8. *et* 9. si quis Evangelium nunciaret contra id, quod ipse docuerat, *anathema*, inquit, *sit*; et *cap.* V. 2 nihil Christum profuturum affirmat Galatis, si circumcidantur. Ergo Judaizantium errorem *fundamentalem* habet; et *vers.* 12.

tos, qui Galatas *conturbant*, *abscindi* cupit. Idem Apostolus I. *ad Timoth. I.* 20. Hymenaeum, et Alexandrum *in fide naufragos* Satanae se tradidisse scribit; et, quod eodem recidit, *II. ad Timoth. IV.* 14. et 15. Alexandrum *verbis suis resistentem vitari* jussit. Similiter I. *ad Timoth. VI.* 20. qui rebus novis studerent, et II. *ad eumdem II.* 17. et 18. Hymenaeum, et Philetum *dicentem resurrectionem esse jam factam*, a fide excidisse, inquit. Rursus *ad Titum III.* 10. haereticum hominem devitari jubet, cui ne *ave* quidem vult dici Joannes *epist. II.* 10: , et Petrus *ep. II. cap. II. vers.* 1. haereses vocat *sectas perditionis.* Nulla in his locis distinctio est inter veritates, quae *fundamentales*, aut minime *fundamentales*, dicuntur, imo omnes haeretici a catholicorum societate excluduntur; adeo falsum est, quod aliqua inter ipsos fidei unitas, et consociatio esse possit. Ac plane ridiculum est hanc unitatem, et consociationem fingere inter aliquas haereticorum factiones, quarum aliae tamquam fidei articulum habent id, quod aliae tamquam errorem rejiciunt, quae sese invicem condemnant, sibique adversarias veluti haereticas detestantur. Illud Catholicis firmum ratumque est, omnibus hominibus veritatis loco habendum esse quidquid ab Ecclesia definitum est, ac nemini licere sine aeternae salutis discrimine Ecclesiae doctrinam negare, aut in discrimen adducere; atque hoc quidem sensu omnes articuli necessarii, ac fundamentales sunt. Proprie tamen aliqui articuli prae aliis *fundamentales* dici possunt, quos scilicet nemo sine aeternae salutis discrimine ignorare potest, quosque omnes *fide explicita* profiteri debent; contra non fundamentales ignorari possunt, eosque *fide implicita* retinere satis est. Ecclesia suis definitionibus cuncta proponit, quae a fidelibus credenda sunt; sed non cuncta omnibus sunt comperta, neque cuncta omnes comperta habere compelluntur; modo Christiano homini firmum certumque sit universe quidquid credendum ab Ecclesia proponitur. In his igitur satis est fides implicita; in articulis fundamentalibus etiam explicita requiritur. Sed Protestantes *fundamentales* articulos vocant, quos omnes necessario credere, ac profiteri oportet, *non fundamentales*, quos licet impune negare, aut in discrimen adducere, quamquam ab Ecclesia ad fidem referantur. Ita Ecclesiae judicium despiciunt homines, qui ab ea defecerunt. Confer Tournelyum *Praelect. Theolog. de Eccles. Christ. tom.* 6. *quaest.* 2. *art.* 2. *pag.* 43. *et seq. edit. Neapol.* 1765. Nicolium de *l' unité de l' Eglise chap.* 2. *et* 3. *liv.* 3. *pag.* 275. *edit. de Lille* 1709., Bossuetum 6. *Avertissem. sur les lettr. de M. Jurieu dernier part.* §. 33. *et seq. tom.* 5. *de l' Histoir. des variations pag.* 486. *et seq*, Valsecchium *Verità della Chiesa Cattolica cap.* 8. *num.* 5. *seqq. pag.* 240. *seqq. edit. Patavii* 1787. Atque hanc doctrinam haereticorum *de articulis fundamentalibus* ridet ipse Joannes Jacobus Rousseau *Lettr. ecrit. de la Montagne par.* 1. *lect.* 2. *pag.* 52. *edit. Amstelod.* 1765.

§. XI. *Sancta* quoque est Romana Ecclesia tum deposito doctrinae (1), quod sibi divinitus creditum semper integrum conservavit, atque tuetur; tum facta Fidelibus copia sacramentorum; praesertim Eucharistiae, qua ipsum Christi corpus, et sanguis traditur; tum ecclesiasticis regulis, et puro religionis cultu, quo homines ad veram pietatem instituuntur, atque excitantur; tum praeclaris virtutibus, pietate, miraculis eorum, qui Ecclesiam, cujus in-

sinu educati sunt, illustrant, semperque illustrarunt. *Catholica*, cum diffusa per orbem universum pateat, dum contra singulae infidelium, atque haereticorum sectae, aliae alibi, suis quaeque finibus arctentur (2). *Apostolica* tum quod in Petri cathedra numquam intermissa Pastorum successio viget (3), eaque nonnisi per ordinationem Episcopali manuum impositione factam ad haec usque tempora deducitur, tum quod una semper, eademque obtinuit doctrina, quae Apostolorum aetate obtinebat (4). Atque extra hanc Ecclesiam nulla hominibus salus esse (5), eaque nec fallere, aut falli (6), neque perimi, ac deleri potest (7). Hebraeorum Ecclesia, hoc est Synagoga, ex ipsa sua natura, et institutione deficere debebat; verum Christianorum Ecclesia ab ejus auctore Christo ita instituta est, ut maneat saeculorum aetatibus sempiternis, neque ullo hostium impetu evertatur (8).

(1) Merito igitur *ep.* 46. *num.* 11. *inter. Hieronymi epistolas opp. tom.* 1. *col.* 208. de Romana Ecclesia habentur haec. » Est quidem ibi Sancta » Ecclesia, sunt trophaea Apostolorum, et Martyrum, est Christi vera » confessio; est ab Apostolis praedicata fides, et gentilitate calcata in su» blime se quotidie erigens vocabulum Christianum ». Eadem de Ecclesia Romana extant apud Optatum Milevitanum *de schism. Donatist. lib.* 2. *p.* 44.

(2) Romanam Ecclesiam ab ipsis quoque ejus inimicis semper catholicam appellatam fuisse testatur Augustinus *de ver. Relig. cap.* 7. *num.* 12, *opp. tom.* 1. *col.* 956 Quo etiam referendus est Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 18. *num.* 26. *pag.* 298. *edit. Venet.* 1763.

(3) Recte S. Augustinus *contr. epistolam Manichaei quam vocant fundamenti cap.* 4. *num.* 5. *opp. tom.* 10. *col.* 184. causas numerans, propter quas Romanae Ecclesiae adhaereret, hoc demum ait: » tenet me ab ipsa » Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dom» nus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacer» dotum ». Confer etiam Tertullianum *de praescript. cap.* 36. *pag.* 215, *edit. Venet.* 1744. et S. Iraeneum *contr. haeres. lib.* 3 *cap.* 3. *num.* 2, *opp. tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Venet.* 1734.

(4) Vincentius Lirinensis *Communit. cap.* 3. *seq. edit. Romae* 1769, *pag.* 119. *seq. tom.* 1. *Instit. Theolog. Card. Thomasii* id verum esse inquit, *quod ubique quod semper* observatum est, eoque argumento adversus Protestantes utitur Bossuetus *Avvertissem.* 1. *sur les lettres de Jurieu opp. tom.* 5. *pag.* 103. *seqq. edit. Leodii* 1866. J' avois donné, *inquit*, » pour fondament à l' Histoire des variations, que varier dans l' exposi» tion de la Foi etoit une marque de faussauté, et d' inconsequence dans » la docrtrine exposée; que l' Eglise n' avoit aussi jamais varie dans ses » decisions; et qu' au contraire les Protestans n' avoient cessé de le faire » dans leurs actes, qu' ils appellent simboliques, c' est-á dire dans leurs » propres confessions de Foi, et dans les decrets les plus authentiques » de leurs Religions ».

(5) Consule S. Ignatium Martyrem *ep. ad Philadelph. num.* 3. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 79. *edit. Antuerp.* 1698., S. Justinum *dialog. cum Tryphon. Jud. num.* 35. *pag.* 132. *edit. Paris.* 1742., Clementem Alexandrinum *Stromat. lib.* 7. *num.* 17. *opp. tom.* 2 *pag.* 897. *edit. Venet.* 1757., Origenem *in Epist. ad Tit. opp. tom.* 4. *pag.* 695. *edit. Paris.* 1733., Auctorem Constitutionum Apostolicarum *lib.* 6. *cap.* 18. apud Cotelerium *tom.* 1. *loc. indic. pag.* 348.; S. Athanasium *Epist.* 4. *ad Serapion. num.* 23. *opp. tom.* 1. *part.* 2. *edit. Patav.* 1777., S. Ambrosium *de poeniten. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 33. *opp. tom.* 3. *col.* 505. *et lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 24. *edit. Venet.* 1748., S. Hieronymum *ep.* 15. *ad Damasum num.* 2. *opp. tom.* 1. *col.* 39. S. Augustinum *ep.* 141. *num.* 5. *opp. tom.* 2. *col.* 597.

(6) Joannes *XIV.* 16. *et* 26, *et XVI.* 13. Paulus I. *ad Timoth. III.* 15. Hinc S. Fulgentius *epist.* 3. *ad Probam cap.* 5. *num.* 9. *pag.* 77. *edit. Venet. an.* 1742. » Ecclesia, *inquit*, virgo in fide, et caritate persistens, et sa- » pientiam possidet, et virtutem, ideo nec seductione decipitur, nec vio- » lentia vincitur ». Et S. Irenaeus *contr. haeres. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 1. *pag.* 178. *edit. Venet. indic.* » non oportet, *inquit*, adhuc quaerere apud alios » veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli quasi in de- » positorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint verita- » tis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae ».

(7) Mattheus *XVI.* 18. *XXVIII.* 20. Lucas *XXI.* 32. Et Chrysostomus *hom.* 4. *in illud Isaiae. Vidi Dominum cap.* 2. *opp. tom.* 6. *pag.* 122. *edit. Montfauconii Venet.* 1734. „ facilius, *inquit*, est Solem extingui, » quam Ecclesiam deleri »; Vide etiam Augustinum *in psalm.* 103. *serm.* 2. *opp. tom.* 6. *col.* 450. *et seq. edit. Venet.* 1756., Hieronymum *in Isaiam cap.* 4. *lib.* 2. *opp. tom.* 4. *pag.* 67. *edit. Vallarsi Venet.* 1766., Ambrosium *epist.* 2. *num.* 1. *opp. tom.* 3. *col.* 781. *et de incarn. Domin. cap.* 5. *num.* 34. *tom.* 4. *col.* 141. *edit. Venet.* 1748., Hilarium *de Trinit. lib.* 7. *num.* 4. *opp. tom.* 2. *col.* 177. *edit. Veronae* 1730.

(8) Deus; inquit S. Paulus *ad Hebr. VIII.* 8. *et seq.* novum testamentum promittit » dicendo autem novum veteravit prius. Quod autem » antiquatur, et senescit, prope interitum est » *et cap. VII. vers.* 11. *et seq.* novum in Christo Jesu Sacerdotium promitti ait secundum ordinem Melchisedech: ergo et Sinagogam se abrogaturum promittit: translato enim Sacerdotio, *inquit*, necesse est, ut et legis translatio fiat. Eodem loco *num.* 17. idem Apostolus factam ait „ reprobationem praeceden- „ tis mandati propter infirmitatem ejus, et inutilitatem „. Huc etiam spectant quae Christus loquitur apud Matthaeum *XXI.* 41. *et* 42. *et XXIV.* 15. Confer et alia Sacrarum Scripturarum loca apud Justinum Martyrem *dialog. cum Thyphon. Jud. num.* 11. *pag.* 111. *edit. Paris.* 1742. Multis hoc argumentum persequitur Bossuetus *Instruction. Pastoral.* 2. *num.* 20. *opp. tom.* 6. *pag.* 173. *seqq.*

§. XII. Non ita tamen de sectis Haereticorum dici potest, quod in iis signa illa, notaeque insint, quae veram Christi Ecclesiam ostendunt. Non enim eorum Ecclesia *una* est aut fide; in qua variae sunt, interque se dissentientes illorum confessiones (1); aut sacramentis, quorum in numero stabiliendo dispar est omnium fere sententia (2);

aut demum Pastoribus, cum quidam nullam agnoscant ecclesiasticam hierarchiam, quidam varium habeant Ecclesiarum regimen, cuncti vero careant uno omnium capite, cum quo conveniaut; aut sub quo concilium aliquod instituant (3). Non item *Sancta*, tum quod sectarum auctores perditos, ac nefarios fuisse homines constat (4); tum quod eorum doctrina plena licentiae, ac vitiorum est, eaque renovantur antiqui haereticorum errores, qui jampridem ab Ecclesia proscripti sunt (5). Non *Catholica*, tum quod non semper fuit, cum haeretici, antequam in errores inciderent, cum Romana Ecclesia communione jungerentur (6), tum quod ubique non est, cum Protestantium sectae, si conjunctim omnes accipiantur, non unum sint, sed inter se valde differant (7), si disjunctim singulae, modicae quaedam partes sint, quae universitatem habere non possunt (8). Non demum *Apostolica*, cum neque Apostolorum sit eorum doctrina, neque Episcoporum successio ab Apostolis repetatur (9), neque Apostolica sit missio, cum neque Calvinus Episcopus fuerit, neque Luterhus, licet ipse Episcopos ordinare ausus fuerit (10). Idem de ceteris haereticorum sectis dictum volo.

(1) Extant hae confessiones unum in corpus collectae en. 1612. Videndus est Bossu tus *Histoire des variations des Eglises Protestantes*, ubi illae sententiarum mutationes crebrae, et multae describuntur.

(2) Lutherus tria tantum probat sacramenta; „ quamquam si usu, „ inquit, *lib. de Captiv. Babylon. tom.* 2. *opp. pag.* 260. *edit. Jenae* 1600, „ Scripturae loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam, et tria si„ gna sacramentalia „. Melancton tria videtur agnoscere; Zuinglius matrimonium etiam inter sacramenta numerandum putat. Calvinus baptismum tantum, et coenam retinet, licet etiam ordinationem adjicere videatur; denique Dallaeus Minister Calvinianus quaestionem de sacramentis rem levem, ac nullins momenti esse arbitratur.

(3) Varium est apud Lutheranos Ecclesiarum regimen, Calvinianis nulla est hierarchia, neutris unum omnium caput, quod est ad unitatem conservandam necessarium.

(4) Lutheri flagitia carpit ipse Calvinus *ep. ad Bulingerum tom.* 9, *opp. pag.* 239. *edit. Amstelod.* 1667., omnibus vero comperti sunt perditi utriusque mores. Nam hic ab Urbe Novioduno ob infames turpitudines, ab Urbe Geneva tamquam seditiosus publice ejectus est; ille vero deseruit Regulare Institutum, quod solemnibus emissis votis susceperat, et palam uxorem duxit virginem monialem Catharinam de Boren, e qua tres filios procreavit. Multa de eo scripsit Jacobus Bossuetus *Histoire des variations*, et multa etiam sunt apud Bernininm *Istoria di tutte l'eresie tom.* 4. *cap.* 5. Lepide Erasmus Ecolampadium, qui cum antea catholicus

Presbyter esset, deinceps unus ex praecipuis reformationis auctoribus evasit, omnesque Lutheranos carpit his verbis *ep.* 41. ad Adrianum a Rivulo *opp. tom.* 1. *pag.* 863. *edit. Lond.* 1642. » Nuper Ecolampadius duxit » uxorem, puellam non inelegantem. Vult, opinor, affligere carnem. Quidam appellant Lutheri tragoediam; mihi videtur esse comoedia, semper » enim in nuptias exeunt tumultus » .

(5) Consule Tournelyum *Praelect. Theolog. de Eccles. tom.* 6. *quaest.* 2. *art.* 3. *concl.* 2. *pag.* 77. *edit. Neapol.* 1765.

(6) Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 2. *pag.* 37. *edit. Paris. citat.* ita homines a Catholica Ecclesia dissentientes alloquitur » vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam » vindicare » . Confer etiam Cyrillum Hierosolymitanum *cathec.* 18, *n.* 26. » *pag.* 297. *edit. Venet.* 1763., Augustinum *contr. epist. fundament. cap.* 4. *opp. tom.* 10. *col.* 184.

(7) Angli a Calvinianis, Calviniani a Lutheranis, Lutherani ab Anabaptistis, Anabaptistae a Zuinglianis communione dissiti, discretique sunt.

(8) Idem dictum volo de schismaticis in Oriente; nam Aethiopes ab Aegyptiis, et Alexandrinis, hi ab Armenis, Armeni a Constantinopolitanis, et hi a Russis invicem separantur.

(9) Hoc argumento Tertullianus *de praescript. cap.* 32. *pag.* 213 *edit. Venet.* 1744. haereticos urgebat inquiens. » Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex » Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae » Apostolicae census suos deferunt » .

(10) Ut Ecclesias suas Apostolicas vocari posse ostenderent, primum Lutherani, postea Calviniani cum Graecis schismaticis societatem coire voluerunt, sed ab his etiam rejecti sunt, uti narrat ipse Jo. Laurentius Moshemius Lutheranus homo *Inst. Histor. Eccles. antiq. et recen. saec.* 16. *sess.* 3. *par.* 1. *cap.* 2. §. 7. Rem totam multo accuratius ac diligentius describit Schelestratius *Acta orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim*, et *Concilium Antiochenum dissert.* 4. *art.* 3. *n.* 18. *pag.* 273. *edit. Antuerpiae* 1681. Late vero de hac Ecclesiae nota disputant Theologi Bellarminus *de not. Eccles. lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 88. *tom.* 2. *op. edit. Venet.* 1721. Habertus *Theolog. dogmat. tom.* 1. *prol. cap.* 3., Contensonius *Theolog. ment. et cord. tom.* 2. *lib.* 8. *dissert.* 5. *cap.* 1. *pag.* 533. *edit. Taurin.* 1769. Juenimus *Instit. Theolog. quaest.* 4. *cap.* 4., Boncatus *Theolog. Patrum de Eccles. dissert.* 2. *art.* 4. *tom.* 4. *pag.* 437. *et seqq. edit. Venet.* 1765., Tournelyus *Praelect. Theolog. tom.* 6. *de Ecclesia quaest.* 2. *art.* 5. *pag.* 93. *edit. indic.*, Pougetus *Instit. Cathol. tom.* 1. *sect.* 1. *cap.* 3. §. 6. *pag.* 280. *edit. Venet.* 1742., aliique complures.

DE NECESSARIO IN ECCLESIA, EOQUE PROPRIO REGIMINE.

CAPUT VIII.

§. I.

Ecclesia, quae visibilis hominum societas est, visibilem postulat administrationem. Qua in re dignus est potius, qui risu excipiatur, quam qui solide refutetur error illorum, qui putant, imperium in hominem ita a Deo esse divisum Civilem inter, atque Ecclesiasticam potestatem, ut haec tantum animis, illa vero tantum corporibus imperet (1). Quo quid dici potest absurdius, aut exitiosius non Ecclesiae solum, sed etiam civili Reipublicae? Ita scilicet homo, qui unus est ex animo, et corpore constans? discerpitur, atque distrahitur, ut neutra Potestas in veram hominum societatem imperium exerceat,

Nam hoc modo Ecclesia societas esset animorum, essetque invisibilis, quales animi sunt, qui Prostestantium error est; civilis autem Respublica societas esset corporum, quae sine animo non legibus parere, non coerceri poenis, non moveri loco, non agere quidquam possunt. Ergo inutiles essent omnes civiles leges, quoniam imperant corporibus, quae cum sunt animorum expertia, neque voluntatem habent parendi, neque facultatem. Ecclesia vero nullas de iis rebus, quae solo corpore perficiuntur, uti ex. gr. sunt jejunia, et cetera similia, leges ferre posset, quoniam ea nullam in corpora habet potestatem. Quid de cultu externo dicam, quo nos Deum prosequi oportere, inter catholicos omnes constat? Ejus rei cura, et administratio omnis Ecclesiae est, atqui ea nullos imperare posset externos actus Religionis, quippe qui corpore exercentur.

(1) Commentum hoc est Rolandi Vayer de Butigny in libro Gallice scripto, atque Italice reddito, editoque Neapoli an. 1768. *Dell' auctorità del Re sopra l' età necessaria alla professione religiosa.*

§. II. Rejecta igitur distinctione tam ridicula, et absurda potestatis in corpus, et in animam, quaerendum est, quo regimine teneatur homo, qui unus ex animi, et corporis conjunctione conficitur, quique homo non est, sed aut simplex animus, aut corpus iners, si alterutrum eorum desit. Jamvero homo hic, de quo quaerimus, civis est utriusque Reipublicae, civilis, et ecclesiasticae, quo fit ut legibus utrisque obnoxius esse debeat, et utroque regimine, atque administratione opus habeat. Videamus igitur, quae ecclesiastici regiminis ratio sit; quoniam eorum, quae ad civilem gubernationem pertinent, tractatio aliena a nostro instituto est. Esse in Ecclesia regimen, administrationemque necessariam, facile intelligimus, cum ea societas hominum sit; et ideo quemadmodum in omni hominum societate, ut pax, tranquilitasque servetur, necesse fuit rectores, et magistratus constituere, qui eam regant, ac moderentur, ita etiam Ecclesia omnino opus habuit suis rectoribus, et magistratibus, qui rem Christianorum publicam administrarent, docerentque, et confirmarent bonos, atque in improbos animadverterent (1). Ac si vivis Apostolis haereses natae, plu-

resque ob doctrinam, ac disciplinam concitatae sunt turbae scelere hominum perditorum, magno cum periculo, et damno rei Christianae publicae (2), haud certe consistere sine miraculo potuisset Ecclesia, nisi rectores, moderatoresque habuisset, qui viderent, ne quid ea caperet detrimenti. Itaque recte, et sapienter Majores nostri, quod ab Apostolis acceperunt, Christiano populo datos dixerunt Praepositos, qui non solum monitis, hortatu, doctrina, sed etiam cum opus esset, imperio, et coercitione homines suae fidei creditos in officio continerent.

(1) Confer S. Ignatium Martyrem Joannis Apostoli auditorem *ep. ad Ephes. num.* 6. *et* 20. *pag.* 47. *et* 54 *ad Magnes. num.* 3. 4. 6. 7. 13. *pag.* 56. *seqq.* 617. *ad Trallian. num.* 1. 3. 13. *pag.* 63. 64. 71. *ad Philadelph. num.* 7. *pag.* 83. *et ad Smyrn. num.* 8. *pag.* 90. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *edit. Antuerp.* 1698., S. Clementem Petri Apostoli Auditorem, posteaque Summum Pontificem *epist. ad Corint.* 1. *cap.* 42. apud Constantium *epist. Roman. Pontif. pag.* 29. *edit. Paris.* Idem et reliqui Patres docent, quos alio loco describam.

(2) Act. Apostolor. *cap. XI. vers.* 27., S. Paulus *ad Corint.* 1. *cap. XI. vers.* 18. *seq. ad Thessalonicen. II. cap. III. vers.* 11. *et seq. ad Timoth. I. cap II. vers.* 17. *seq. ad Timoth. II. cap. III. vers.* 1. *seq. et cap. IV. vers.* 14. *ad Tit. cap. III. vers.* 9. *seq.*, S. Joannes *ep. I. cap. II. vers.* 18. *seq. et ep. II. vers.* 7. *et seq. et ep. III. vers.* 9. *et in Apocalypsi cap. II. vers.* 2. *seq. vers.* 20. *seq.*

§. III. Quod si suum in Ecclesia proprium est regimen, sequitur, ut in ea sit etiam sacra jurisdictio, et imperium, et potestas aliorum in alios; et haec quidem jurisdictio non tantum in singulos esse debet, sed etiam in totam communitatem fidelium, in eaque omnia, quibus haec communitas continetur, ac regitur; non secus ac Princeps, qui civili Reipublicae praefectus cum imperio est, non tantum in singulos cives, sed etiam in Rempublicam universam jurisdictionem, et potestatem exercet. Cumque communitas Christianorum, quam Ecclesiam dicimus, duabus quasi partibus contineatur, Fide scilicet, ac Disciplina tum liturgica, tum politica, eorum omnium, quae ad utramque pertinent, cura, et administratio propria est illorum, qui in Ecclesia spirituale habent imperium, et sacram jurisdictionem, quos nimirum *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (1). Eorum ergo est omnia imperare, moderari, decernere, quae statum, atque administrationem Ecclesiae re-

spiciunt; atque ut ad civilem Potestatem pertinet quidquid profanum, ac civile est, ita quidquid est spirituale, et ecclesiasticum proprium est ecclesiasticae Potestatis. Utraque haec potestas in suo genere summa est, ac neutri licet in alterius fines invadere; non Pontifex sibi adscribere civile Principis imperium potest, neque Princeps, qui se non Ecclesiae dominum, sed filium profitetur, in ea, quae ad Ecclesiam pertinent, jurisdictionem habet; imo in his rebus omnes Christiani Ecclesiae subiecti sunt.

(1) Act. Apostolor. *cap. XX. vers.* 28.

§. IV. Haec sane Catholicorum est, semperque fuit constans, ac certa sententia; sed aliud post multa secula videri coepit iis, qui simulantes emendationem, seu *reformationem* Christianae Religionis a vera Christi Ecclesia defecerunt. Postquam enim Lutherus quamplurima Catholicae Religionis dogmata, eaque praesertim, quae ex traditione procedunt, ac per Pontifices in Conciliis definita fuerant, audacissime oppugnaverat; atque in pluribus tum fidei, tum disciplinae negociis Ecclesiam erroris arguerat, virusque evomuerat acerbitatis suae in Pontificatum, quem ex toto orbe exterminari cupiebat, non poterat non omni ope, et opera eniti, ut universam ecclesiasticae gubernationis rationem everteret, omnemque Ecclesiae potestatem definiendi dogmata, ferendi leges, gubernandi coetum Fidelium, stabiliendi disciplinam, ordinandi sacra denegaret. Secus enim neque aliquis novam illam, quam praeseferebat, doctrinam aequis auribus excepisset, neque umquam catholica dogmata in iis regionibus, in quibus ille suos proseminavit errores, tam antiqua, tamque firma possessione dimoveri potuissent. Accessit et illud, quod qui novis rebus studebant cum magnorum Principum auxilio, et auctoritate indigerent, in eo suas omnes curas defigere debuerunt, ut illos ad suas partes traherent, fautoresque, ac patronos adjungerent. Id autem ut consequerentur, omnem potestatem, jus, imperium, praerogativam Ecclesiae ademerunt, cunctaque jura Episcopalia, et Pontificia in suos Principes transtulerunt, quos et civilium rerum Rectores, et Summos Pontifices, et divinarum, atque ecclesiasticarum rerum moderatores esse voluerunt.

§. V. Quibus autem fundamentis nitatur hoc *jus in sacra*, quo laici Principes potiri dicuntur, ne ipsis quidem Protestantibus satis exploratum est. Nam multae, interque se discrepantes ipsorum ea de re opiniones circumferuntur; quae varietas, et pugna sententiarum manifesto argumento est, quod omnes procul absint a veritate, quae una omnibus, atque eadem semper est. Materiam praepararunt primum Donatistae, et Novatiani, deinceps Albigenses, Waldenses, atque in primis Wiclefitae, et Hussitae, ceterique omnes, qui contra auctoritatem Romanae praesertim Ecclesiae caput extulerunt; ac denique Lutherus, ut Principum animos, quorum ope indigebat, ad benevolentiam alliceret, bellum nefarium indixit Ecclesiae, ac praesertim Romano Pontifici, totique ecclesiasticae jurisdictioni. Hinc illud ipsius Lutheri, et eorum, qui ejus studebant partibus: *cujus est Regio illius est Religio*, itemque illud *non datur status in statu*; nimirum Ecclesia, quae in Republica est, *status* rationem, et formam habere non potest. Deinceps in *Pace Westphalica* eo ventum est, ut e medio sublato Pontificatu, suspensaque Episcoporum jurisdictione jus in sacra, jus reformandi, et cetera, quae his juribus connexa sunt, laicis Principibus concederentur (1). Prima haec initia, et quasi incunabula sunt deturbatae possessionis Ecclesiae, collataeque in laicos Principes ecclesiasticae jurisdictionis.

(1) Art. 5. §. 30. et 68.

§. VI. Verum si ab antiquis illis novae opinionis auctoribus quaesivisses, aliquid *de Societate aequali*, seu *Collegio*, in quo nunc Protestantes exultant, ne unum quidem ea de re verbum impetrare potuisses. Venit denique in lucem magnum illud numen Protestantium Samuel Pufendorffius, atque hic novam illam, atque antea inauditam sententiam *de Societate aequali*, seu *collegio* in medium protulit (1). Ex eo tempore Protestantes omnes illam Pufendorffii sententiam tamquam e coelo delapsam sequuti sunt; sed aliis adhuc inventis explicandam curarunt vim, et rationem ejus doctrinae, quam undique nutare intelligebant. Ipsa rei novitas, quae doctrinam

intulit pugnantem cum ea doctrina, quam ab Ecclesiae initio usque ad saeculum XVI. Majores nostri uno omnium consensu, ac firmissime tradiderunt, indicat non obscure, quanti ea fieri debeat; et tamen pulsa repente loco vetustate tot saeculorum, hodie omnium Protestantium sententia est, Ecclesiam esse Collegium merum, non veram, perfectamque Rempublicam.

(1) Hugo Grotius *de Imperio Summarum Potestatum circa sacra* Hierarchiam in Ecclesia esse negat, neque eam divinitus jurisdictionem aliquam accepisse statuit; sed laico Principi universam rerum omnium, quae in Republica sunt, sive civilium, sive ecclesiasticarum potestatem attribuit. Inquit tamen, legislativam auctoritatem, qua per se caret, consequi Ecclesiam posse ex lege humana, atque ex Principis consensu, verum humanam hanc legem, cum ita res postulat, abrogari posse ab eo, qui civili Reipublicae praefectus est. Itaque si quid imperii, ac jurisdictionis exercent Episcopi, id totum agunt non jure proprio sed concessa sibi a Principe facultate, quo tantum modo exercere jurisdictionem possunt. In iisdem erratis haesit Samuel Pufendorffius *de habitu Religionis Christianae ad vitam civilem*; sed illud de *Collegio*, seu *Societate aequali* commentum, quod nunc omnes Protestantes obtrudunt, primum ex Pufendorffii ingenio prodiit. Qui ante eum vixerant homines Ecclesiae inimici, ejus potestatem labefactare, atque delere conati fuerant, juraque omnia in laicos Principes transtulerant; sed nemo Ecclesiae ademerat Reipublicae formam, ut eam faceret Collegium merum. Primus Pufendorffius hoc commentum excogitavit, ut ipsi Protestantium Scriptores fatentur. » Non sine » singulari providentia » *inquit* Auctor notarum ad Huberum *jus Civil. lib. 3. tit. 4. tom. 2. pag.* 663. *edit. Francofurt.* 1749. „ factum quod pri» mus, quod sciam, hoc fulcrum (loquitur de imperio, et statu Eccle» siae) aggredi, atque ejus fundamenta destruere aggressus fuerit Pufen» dorffius in tractatu de habitu Religionis ». Idem etiam scriptum reli» quit Matthaeus Pfaffius *pag* 199. *edit. Tubing.* 1756. » nemo, *inquit*, » ante Pufendorffium fuit, qui Jus Ecclesiasticum Protestantium certis re» gulis fundamentalibus superstrueret; hic primus fuit, qui Ecclesiam » nonnisi societatem, et collegium aequale in Civitate esse docuit, tradi» dit, et commonstravit ». Grotii commenta, praeter ceteros, refutavit Jo. Franciscus Confortius opere Neapoli edito an 1780. cui titulus *Hugo Grotius de imper. Summar. Potest. etc. et Anti-Grotius*, quo in opere refellitur etiam David Blondellus *de jure plebis in regim. ecclesiast.*

§. VII. At si Ecclesia *societas aequalis*, simplexque *Collegium* est, quo tandem modo Princeps in sacra, quae hujus collegii propria sunt, jurisdictionem exercebit? Magna ea de re disceptatio est inter ipsos Protestantes, quorum dissimilia judicia sunt; adeo verum est sine ullo firmo, certoque fun-

damento datam Principibus potestatem, quam omnis superior aetas Ecclesiae propriam agnovit. Quidam enim jus illud *in sacra* Principibus attributum repetunt ex Sacris Scripturis, ex quibus constat, quod Reges, ac nominatim David, Salomon, Josaphat jus in sacra exercuerunt; verum hanc argumentationem ipsi etiam Protestantes rejiciunt, quoniam Hebraeorum Respublica Theocratia erat, atque a Deo ipso datae leges pro rebus sacris, atque civilibus; propterea quae apud illos obtinebant, ad Ecclesiam Christianorum generatim traduci non possunt (1). Alii sunt, qui jus in sacra Principi tamquam praecipuo sacrae societatis membro tribuendum putant. Verum hanc etiam opinionem plerique Protestantes aspernantur, ac respuunt; quia si Ecclesia societas aequalis est, etiam Princeps tamquam unus e collegio haberi debet, nec quod in illud cooptatus est, aliquam supra ceteros ex eodem collegio potestatis accessionem facit (2). Denique aliorum sententia est, jus Principis in sacra *ex pace Religiosa, et Westphalica* plane esse repetendum, eumque illud non tam jure proprio, quam *fiduciario*, tamquam ex contractu *Depositi*, sibi creditum, atque commissum exercere. Verum haec sententia, in qua plures ex ea secta viri docti acquieverunt (3), perabsurda, ac plena periculi, et Principum auctoritati adversaria visa est (4). Nam ea probata, Catholicis necessario concedendum esset, quod ipsi defendunt, jus in sacra ex jure antiquo, traditione, consuetudine, usuque perpetuo, et olim pertinuisse, et nunc etiam ad Episcopos pertinere, ac primum *in Pace Westphalica*, propter illam temporum, rerumque rationem, ad laicos Principes fuisse delatum, hos vero illud interim exercere non proprio, sed alieno jure, donec illud legitimis Dominis restituatur.

(1) Ita argumentatur Pfaffius *loc. cit. cap.* 5., ubi plures laudat Protestantes, qui hanc sententiam sequuti sunt. Illud autem animadvertendum est, quod licet Judaicae gentis gubernatio, ejusque mores, ac ritus generatim in re Christiana idoneum argumentum praebere non possunt; non id tamen ita universe intelligendum est, quasi nusquam liceat a statu publico Synagogae, moribusque Hebraeorum argumentum ducere ad statum Ecclesiae, atque ad Christianorum ritus. Nam Concilia, et Patres saepe hoc argumento utuntur; Bohemerus autem *Dissert. Eccles.* 9. *de veter. Eccles. stat* et *Dissert.* 12. *de extraord. primit. Eccles. stat*; et ceteri Protestantes idem perpetuo rejiciunt, ut catholicum clerum ca-

sumantur, quasi ambitiose arripuerit titulos honoris, jura, et privilegia Sacerdotum antiquae legis, Romanamque Ecclesiam insectantur, quod aliquos Synagogae ritus adoptavit. Certae igitur fingendae sunt regulae, ne quis Patribus, Conciliisque adversetur, et Protestantium erroribus assentiri videatur. Hujusmodi regulas tradit Auctor libelli: *Rendete a Cesare ciò, che è di Cesare; ma si a Dio rendete ciò, che è di Dio pag.* 94. *seqq.*; atque earum prima est, Catholicam Ecclesiam nullam unquam adoptasse, aut adoptare potuisse Judaicae disciplinae legem, quae novae legi, aut disciplinae a Christo institutae adversetur. Nam ab eo tantum, non a Synagoga Ecclesia accepit Sacerdotium, formamque regiminis, et distinctionem clericorum, ac laicorum. Altera regula est, Ecclesiam recte accepisse aliquos Haebreorum ritus, et aliqua eorum disciplinae capita, quae novae legi minime repugnant, quaeque imo plus decoris afferunt sacris caeremoniis, Ecclesiae, omnique cultui exteriori in Deum. Ea de causa merito ab Ecclesia introducta est templorum dedicatio, consecratio Pontificum, sacrae vestes, cetera generis ejusdem. Tertia regula est, quod cum aliquis ab Ecclesia recepta veteris testamenti consuetudo probanda est, ut ea recta, et laudabilis habeatur, Haebreorum exemplum merito proponitur, cum ipsis nihil Deus praescribere potuerit, quod malum esset, atque aliquid superstitionis, et impietatis contineret. Hinc omnis auspicio vel levissima superstitionis procul esse debet a diebus festis, a sacris ritibus, ab Ecclesiarum ornamentis. Quarta est regula, quod cum aliquid apud Hebraeos obtinuit, quod tantum a Deo permissum, aut toleratum in Synagoga fuit, aut solum peculiari ejus gentis regimini consentaneum erat, nos hic Hebraeorum argumento esse non potest, quod idem in catholica Ecclesia obtinere debeat. Ita in lege veteri repudii libellus permittebatur; sed eo uti christiano homini non licet. Similiter in lege veteri mulieres, quae patris haereditati succedebant, cum nulli essent mares, extra suam Tribum virum accipere non poterant: et hujus quidem rei fundamentum erat in antiquae legis natura, et instituto. Quod ad rem christianam traduci nequit. Hinc Bellarminus refutaturus eos, qui Papam ab Imperatore judicandum putabant, quoniam apud Hebraeos a Rege judicatum ajebant Summum Pontificem, inquit *de Rom. Pontif. lib.* 2. *cap.* 29. *opp. tom.* 1. *pag.* 341. *edit. Venet.* 1721., quod etiamsi verum id esset (quod falsum est) tamen » negari potest similitudo; nam cum in veteri Testamento promis» siones tantum temporales fuerint, et in novo spirituales, et aeternae, ut » docent Hieronymus etc., non mirum esset, si in Testamento veteri » summa potestas fuisset temporalis, in novo spiritualis ». Huc etiam referenda est Theocratica tum in sacris, tum in civilibus gubernatio, de qua postea fusius dicam. Quinta regula est, etiam in novam legem apte cadere ea judicialia, aut caeremonialia praecepta Hebraeorum, quae morali aliqua ex causa sunt constituta, sub quibus jus naturae comprehenditur, vel declaratur. Inde Bellarminus *de cleric. lib.* 1. *cap.* 30. *opp. tom.* 2. *pag.* 165. quem sequitur Suaresius *Defens. fidei advers. Anglic. sectae error. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 21. *seqq.*, ex Levitarum exemptione educit clericorum immunitatem a foro saeculari; quia tametsi ea res ad caeremonialia praecepta pertineret, tamen eo jure tenebantur Hebraei, tamquam re morali, annexaque Sacerdotio, quaeque jus naturae declarabat. Postremo quidquid perfectio, ac dignitas erat in Synagoga, ejusque Sacerdotio, id etiam pro Ecclesia Catholica, nostroque Sacerdotio certum argumentum praebet. Sic pro dignitate Levitarum, et Sacerdotum novae legis argumentatur S. Leo M. *serm.* 8. *passion. Dom. cap.* 8. *tom.* 1. *opp. col.* 228. sic etiam pro continentia clericorum, sacroque caelibatu S. Hieronymus *contr. Jovinian. lib.*

1. *num.* 34. *tom.* 2. *col.* 291. , et S. Innocentius *epist. ad Himer. Tarraconen.* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col* 630.

(2) Confer eumdem Pfaffium *loc. cit.* §. 8. Eademque sententia est recentiorum Protestantium post Pufendorffium qui *de Habit. Relig.* §. 32. habet haec : » personarum , quae respectu Ecclesiae oriuntur , simplicissima » est divisio in Auditores , et Doctores etc. , et qui supremi Ducis munere » in Civitate fungitur , in Ecclesia haud plùs juris obtinet , quam grega- » rius miles » .

(3) Idem Pfaffius laudat Stryckium , Lynckerum , quibus Boehemerus *Jus ecclesiast. Protestant. lib.* 1. *tit.* 21. *de Offic. Judic. ordin.* § 21. *et* 22. *tom.* 2. *pag.* 722. *seqq. edit. Halae Magdebur.* 1730. addit. Mylerum ad Ehrenbach , Besoldum , Mevium , Textorem , aliosque.

(4) Boehemerus *loc. cit.* §. 23. » Hanc , *inquit* , doctrinam animo » pervolventi insignes scopuli se obtulerunt etc. Animadvertebam revera, » eo ipso minui potestatem Principum nostrorum in sacris ; et quamdiu » haec sub nomine juris Episcopalis defenditur , revera concedi tacite po- » testatem hanc illis , qua talibus haud competere , sed clericis propriam » esse , ut proinde fingere necessum sit Principes nostros Episcopos esse, » vel Papas » . Atque huic quidem , quam postremo descripsi , sententiae congruit vulgata , et olim fere communis , atque in Consistoriis Protestantium uso recepta doctrina Jurisconsultorum ; qui duplicem in suis Principibus personam distinxerunt , nimirum *Principis* , et *Episcopi* , ita ut tamquam *Princeps jura saecularia* , tamquam *Episcopus jura episcopalia* , illa quidem proprio nomine , et jure hereditario , haec autem alieno nomine , et jure quaesito ex transactione Passaviensi , et Pace Religiosa , ac Westphalica exerceat. Hanc quoque sententiam tamquam Principum juribus , doctrinaeque Protestantium inimicam , ac faventem Episcopis Catholicis , fontemque absurdorum complurium refellit , dirisque omnibus devovet ipse Boehemerus *loc. cit.* §. 23. , ubi etiam memorat , quibus eadem placuit , Carpzovium , Zieglerum , Gerhardum , Voetum , Besoldum , Brunnemanum , aliosque complures.

§. VIII. Cognita harum sententiarum inanitate , et errore , aliud excogitandum erat juris hujusce fundamentum , atque illud demum in imperio , et potestate , sive , ut vocant , *Superioritate Territoriali* collocatum est (1) , Scilicet quemadmodum Princeps dominus territorii est , rerumque omnium , quae in eo concluduntur , ita etiam in sacra territorialem illam potestatem exercet. Sed ne in hac quidem sententia conquiescere se posse sentiunt plerique Protestantes ; primum quod si Principes imperant , ceteri obediunt , Ecclesia non amplius erit collegium , sed Respublica efficietur , quod Protestantium opinionibus maxime adversarium est ; deinde , quod ea , quam ipsi praedicant , collegiorum libertas , eorumque jura cum illa Principis territoriali potestate , atque imperio componi

non possunt; denique quod Princeps jus in sacra omnium subditorum, quanquam ii diversae Religioni addicti sunt, obtinere debere; quod absurdum esset. Alio igitur ab se convertendam censuerunt Protestantes omnem aciem ingenii, ut, si fieri posset, fundamentum invenirent, quod hactenus frustra quaesierant, ac denique aptum, et idoneum, atque ad id, quod animo agitabant, accomodatum visum est jus, quod Princeps habet in omnia collegia, quae suae dominationis circumscriptione comprehenduntur. Cum enim Ecclesia, inquiunt, collegium sit, consequens est, ut Principi subjecta esse debeat, uti ea cetera collegia subjecta sunt.

(1) Ita Boehemerus *jus eccles. Protestant. tit. de offic. Judic. ordin.* §. 45. *et seq. pag.* 746. *seqq.* quem tamen refutat Pfaffius *loc. cit.*, homo ex eodem grege Protestantium. Sed horum deliramenta copiose, praeter ceteros, refellunt Gregorius Zalwein *Princip. Jur. Eccles. quaest.* 1. *cap.* 3. *et* 4. *tom.* 4. *pag.* 47. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1763., et Jacobus Ant. Zallinger *Instit. Jur. Eccles. publ. et privat. cap.* 11. *pag.* 170. *seqq. edit. August. Vindelic.* 1791.

§. IX. In hac demum sententia Protestantes suas defixere curas; postquam multa experti fuerant, atque tentaverant, ut invenirent fundamentum potestatis, quam antea dederant, quam scirent, num recte danda, aut quo jure danda videretur. Itaque cum demonstratum fuerit, nullam esse pugnam, confusionemque, ac perturbationem rerum, quod duae summae sint, aeeque diversae, atque distinctae inter homines potestates; cumque etiam perspicuum erit, Ecclesiam ad instar verae, perfectaeque Reipublicae a Christo Domino fuisse institutam, de illa etiam, quam postremo loco excogitarunt, sententia Protestantes dejiciantur necesse est. Jamvero, quod hi ajunt, absurdum esse, quod in una Republica duo sint summa imperia, unde incredibilis rerum omnium confusio oriretur, id dici quidem posset, si utraque Potestas tum Civilis, tum Ecclesiastica in eodem genere versaretur, ejusdemque rei procurationem haberet. Unus porro Deus summus per se ipsum est, cum omnium opifex, et auctor sit, eoque major, aut aequalis nemo esse possit (1).

At in rebus humanis, cum quis in aliquo genere summus est, haud quidem est summus per se ipsum, et in rebus omnibus: propterea nihil impedit, quominus et alter in alio genere summus, vel potestate par, vel major etiam auctoritate, ac dignitate esse possit. Atqui civilis potestas summa quidem in suo genere est, nimirum in rebus civilibus; sed non inde efficitur, ut summa etiam esse debeat in rebus sacris, quarum dissimile genus est. In eo summa est Potestas Ecclesiastica; et vero utraque suas habet partes, et suum certum, ac definitum genus, in quo summa est (2). Haec nimirum curat res sacras, atque divinas, illa studet civium commodis, civilemque societatem administrat. Nulla hic pugna, aut absurdum, rerumque confusio, neque *status in statu* est, quod inquiunt Protestantes; sed *statu* uterque diversi generis est, et habet uterque provinciam suam, cujus intra fines continere sese debet (3). Atque in eo quidem omnis est posita vera, atque accurata distinctio Ecclesiasticae, atque Civilis Potestatis, quod haec est ordinis naturalis, illa supernaturalis (4), altera in res civiles, atque in temporalem hominum felicitatem incumbit, altera praeest rebus sacris, atque divinis, et curam gerit eorum, quae ad aeternam beatitudinem pertinent.

(1) Atque huc quidem spectat Tertullian *contr. Hermogen cap.* 4. *pag.* 235. *edit. Venet.* 1744. cum ait » Deum unum esse oportet, quia » quod summum est, Deus est. Summum autem non erit, nisi quod uni» cum fuerit. Unicum autem esse non poterit, cui aliquid adaequabitur; » adaequabitur autem Deo materia (secundum Hermogenem) cum aeterna » censetur ». Quod falsum est.

(2) Simile est quod habetur in Paralipomen. *lib. II. cap XIX. vers.* 11. » Amarias Sacerdos, et Pontifex vester in his, quae ad Deum pertinent, » praesidebit. Porro Zabadias filius Ismahel, qui est Dux in domo Juda » super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent ». Ejusdem generis sunt, quae extant apud Zachariam *cap. VI. vers.* 11. *seq.* de Zorobabelo, et de Sacerdote. Apud Romanos etiam Pontifices in rebus Sacris summam potestatem habuisse scribit Dionysius Halicarnassaeus *lib.* 2. *tom.* 1. *num.* 73. *pag.* 127. *edit. Lond.* 1704. Hinc Ecclesiasticam potestatam non esse Civili obnoxiam ostendunt Bossuetus *defens. declarat. Cler. Gallican. p.* 1. *lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 33. *tom.* 17. *pag.* 236. *seqq.*, Fevretus *de abus. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10., de Marca *concord. Sacerd. et Imper. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. *seqq. pag.* 30. *edit. Roboret.* 1763., Charlasius *de libert. Eccles. Gallic. lib.* 10. *cap.* 1. Confer Laurentium Veith *Richer system. confut. sect.* 2. *cap.* 3. §. 56. *et seq. pag.* 325. *et seq. edit. August. Vindelic.* 1783.

Franc. Antonium Zaccariam *in Antifrebon. tom. 1. dissert. 1. cap. 1. et in Antifebron. vindic. par. 1. dissert 2. cap. 1.*, Zalweinum *Princip. jur. eccles. univers. tom. 3. quaest. 2. cap. 5. §. 10. pag. 429. et seq edit. indic.*

(3) Apposite Hieronymus *ep. 77. ad Ocean. num. 3. opp. tom. 1. col. 459. edit. Venet.* 1766. » Aliae, *inquit*, sunt leges Caesarum, aliae Christi, » aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit, et Gelasius P. *in Can.* » *duo sunt dist.* 96. » Duo sunt, *inquit*, quibus principaliter hic Mundus re» gitur, Auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas ».

(4) Adeundus Auctor operis *de l'autorité des deux puissances tom. 2. pag. 1. seq a Strasburgi an.* 1780., et adeunda etiam Acta Cleri Gallicani *tom. 11. pag. 5. seqq. edit. Paris.* 1768.

§. X. Quare omnis disputatio in eo posita est, num ita Christus Ecclesiam instituerit, ut in rebus ejus curae, atque administrationi concreditis civilis potestatis imperio obnoxia non esset. Jamvero in mundum ipse venit, ut societatem institueret, quae comprehenderet omnes gentes, diffusaque esset per orbem universum; quod in lege veteri Prophetae de Christiana Ecclesia praenunciarant futurum (1). Itaque Apostolos misit in universum mundum, *ut docerent omnes gentes, baptizantes eos etc.* (2), idemque praedixerat, fore, „ ut praedicaretur Evangelium regni in universo orbe „ in testimonium omnibus gentibus (3) „. Quorum similia sunt, quae Marcus (4), Lucas (5), Joannes (6) mandarunt literis, quaeque item scripsit Paulus (7) instinctu Dei; atque huc etiam spectant, quae uno omnium consensu tradiderunt Patres (8), quorum studio, ac diligentia ea, quae Apostoli a Christo acceperant, ad nos pervenerunt. Tantam hanc multitudinem hominum, et eam quidem complectentem omnes gentes, quas Christus aggregari voluit in Christianam societatem, quis neget plusquam satis esse ad statum, seu civitatem, aut Rempublicam constituendam? Itaque Ecclesia *status* est, aut Respublica, et Civitas, qualem eam Sacrae Literae (9), Patresque omnes (10) appellant; cumque ubique gentium diffusa, ac propagata sit, haud certe coangustanda est unius territorii finibus, ita ut eodem opus habere videatur (11). Non enim nos Ecclesiam a Christo Domino conditam ad instar saecularium Rerumpublicarum dicimus. Nam ille Christianam Rempublicam instituit, quae non uno territorio contineretur, sed quae comprehenderet orbem universum; ac salva saecularium Principum

auctoritate, quae in dissimili genere versatur, iis subderetur legibus, iisque praesidibus, qui alterius generis potestatem obtinerent, quique in sacris, divinisque rebus omnium duces, et moderatores essent.

(1) Psalmus *LXXI. vers.* 8 *seqq. Psalm. LXXXI. vers.* 8. *LXXXV. vers.* 9. *LXXXVI. vers.* 2. *seqq. XCVII. vers.* 3. *seq.* Isaias *cap. II. v.* 2. *seq. Cap.* XI. *vers.* 9. *seq. et XXV. vers.* 6. *seqq. XLIX. vers.* 1. *seq. LI. vers.* 5 *seqq. LII. vers.* 10. *LV. vers.* 4. 5. *LX. vers.* 3. *seqq. LXII. vers.* 2. 11. 12. *et LXVI. vers.* 18. Hieremias *Cap. II.* 17. *et XVI.* 19., Oseas *Cap. I.* 10. *Cap. II.* 24. *et* 28., Amos *Cap. IX.* 11. et 12., Micheas *Cap. IV.* 1. *et seq.*, Sophonias *Cap. III.* 9. *seq.*, Aggaeus *cap II.* 7. *seq.*, Zacharias *Cap. VIII.* 20. *seqq.*

(2) Matthaeus *Cap. XXVIII. vers.* 19.

(3) Idem *Cap. XXIV. vers.* 14., et Marcus *Cap. XIII. vers.* 10.

(4) Marcus *Cap. XVI. vers.* 15 *seqq.*

(5) Lucas *in Evangel. Cap. XXIV. vers.* 47. *seq.*

(6) Joannes *in Evangel. Cap. X. vers.* 16. *et Cap. XI. vers.* 51. *seq.*

(7) Paulus *ad Roman. Cap. IV. vers.* 16. *seq. Cap. XV. vers.* 8. *seq.*, *et Cap. XVI. vers.* 25. *seq. et ad Galatas Cap. III. vers.* 8. *et* 14. *et Cap. IV. vers.* 22. *seq.*

(8) S. Clemens P. *ep. ad Corint. num.* 16. *pag.* 17. apud Constantium *epist. Rom. Pontif*, S. Justinus Martyr *in apolog.* 1. *num.* 39. *pag.* 67. *edit. Paris.* 1742, Hermas Clementis Romani aequalis *lib.* 3. *Pastor. cap.* 9. *num.* 17. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom* 1. *pag.* 118. *edit. Antuerp.* 1698., S. Irenaeus *contr. haeres. lib.* 3. *cap.* 4 *num.* 2. *pag.* 178. *edit. Venet.* 1734., Tertullianus *contr. Judaeos cap.* 7. *pag.* 188. *seq. et in Apologet. cap.* 37. *pag.* 30., Origenes *contr. Cels. lib.* 3. *num.* 8. *pag.* 452. *et lib.* 8. *num.* 47. *pag.* 776. *tom.* 1., S. Cyprianus *advers. Judaeos cap.* 20. *pag.* 20; Arnobius *advers. gent. lib.* 2. *pag.* 50. *edit. Lugdun. Batav. an.* 1651, Auctor libri *de mortibus Persecut. in Neron. cap.* 2. *tom.* 2. *opp. Lactantii edit. Paris. an.* 1748. *pag.* 183. *seqq.*, Eusebius *Demonstrat. Evangel. lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 18. *seqq.*, *et Praeparat. Evangel. lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 3. *et cap.* 3. *pag.* 7. *edit. opp. Colon. an.* 1688., S. Athanasius *in Psalm.* 86. *opp. tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 917., S. Hilarius *in Psalm.* 138 *num.* 40. *pag.* 581. *tom.* 1., S. Basilius *in Psalm.* 48. *num.* 1. *opp. tom.* 1. *pag.* 177., S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 43. *pag.* 969. *opp. tom.* 1. S. Ambrosius *Apolog. David cap.* 17, *num.* 83. *opp. tom.* 1. *pag.* 856; *et in Psalm.* 1 *num.* 50. *et in Psalm.* 118, *num* 42. *tom.* 2. *pag.* 33. *et* 359: S. Optatus Milevitanus *de schism. Donatist. lib.* 3. *pag.* 70; S. Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 16. *de Spiritu S. Paracl. num.* 22. *pag* 255; S. Epiphanius *haeres.* 31. *quae est Valentinian. num.* 31. *opp. tom.* 1. *pag.* 202. S. Hieronymus *dialog. contr. Luciferian. opp. tom.* 2. *col.* 196. S. Joannes Chrysostomus *Homil. contr. Judaeos et Gentiles quod Christus sit Deus num.* 12. *opp. tom.* 1. *pag.* 575. locisque aliis sexcentis, S. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 29. *seq. col.* 671. *tom.* 9; S. Paolinus Nolanus *epist.* 23. *ad Sever. num* 33. *pag* 140. *ed. Veron.* 1736; S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 5. *in Isaiam pag.* 755. *tom.* 2. *edit. Paris.* 1638., S. Leo M. *serm* 82. *cap.* 5. *opp. tom.* 1. *col.* 324. S. Gregorius M. *Moral. in Job. lib.* 4. *pag.* 103. *opp. tom.* 1. Mitto ceteros, ne longior sim.

(9) Non potest *Civitas abscondi supra montem posita*, ut est in Evan-

gelio Matthaei *cap. V. vers.* 14., quem locum de Ecclesia intelligunt Patres, atque in his quidem Augustinus in *Psalm.* 47. *num.* 2. *opp. tom.* 5. *col.* 552. *edit. Venet.* 1763. *et contr. Crescon. lib.* 2 *cap.* 36. *num.* 45. *tom.* 12. *col.* 547. Vide etiam Joannis Apocalypsim *cap. XXI. vers.* 2. Hinc Paulus *ad Ephes. cap. II. vers.* 19 Christianos *Sanctorum cives* appellat Cives autem dicuntur, qui sunt juncti vinculo societatis, quae suis regatur legibus, suosque habeat Magistratus; qui ceteris cum auctoritate praefecti sint.

(10) Tertullianus *contr. Marc. lib.* 5. *cap.* 17. *pag.* 482. *seq.* Hilarius Diaconus *in epist. ed Ephes. cap.* 2. *inter opp. S. Ambros tom* 4. *p.* 280., Auctor operis imperfecti *in Matthaeum in append. opp. S. Joa. Chysostomi tom.* 6. *pag. LVI.*, S. Augustinus *in Psalm.* 131. *num.* 3. *opp. tom.* 6. *col.* 884., Clemens Alexandrinus *stromat. lib.* 4. *pag.* 642. *edit. Venet* 1757; Eusebius Caesariensis *in Psalm.* 86. *pag.* 538., *et in Demonstr Evang. lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 21. *et* 24. *et cap.* 9. *pag.* 32. *et lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 225., S. Hilarius in Matth. *comment cap.* 4. *num.* 24. *pag.* 687. *tom.* 1. *opp.*, S. Basilius *in Psalm.* 45. *num.* 4. *tom.* 1. *pag.* 173 *et epist.* 61. *num.* 1. *tom.* 3. *pag.* 252., S. Ambrosius *in Psalm.* 118. *num.* 35. *pag.* 595. *tom.* 2., S. Gregorius Magnus *Moral. lib.* 16. *in cap.* 21. *B. Job num.* 68. *opp. tom.* 1. *col.* 526.

(11) Prorsus inepte, ac ridicule Pufendorffius *cit. libello de habit. Relig. Christian. ad vit. civil.* §. 15. Ecclesiam statum, aut civitatem haberi posse negat, quasi eo opus habeat Ecclesia, quae complectitur orbem universum, aut quasi nostrum quisquam sit, qui Christum suam rempublicam ad instar saecularium rerumpublicarum condidisse arbitretur. Eosdem Pufendorffii errores literis consignavit Justinus Febronius in libro *de statu Eccles.*, qui tamen postea novit, ac diserte confessus est, sese in eo opere deliramenta sequutum haeretici hominis a catholica veritate gravissime aberrasse.

§. XI. Quomodo autem Christus ex tanta hac multitudine ubique gentium collecta societatem instituit? Eo certe modo, qui quantum collegio repugnat, tantum convenit verae, ac perfectae reipublicae, quae nulli prorsus saeculari potestati subjecta sit. Nam in mundum venit, ut novam conderet Religionem, eamque tolleret, quae ubique late dominabatur, atque id quidem praestit tamquam omnium Dominus, cui soli ejus rei agendae jus totum, ac tota potestas est. In iis, quae ad civilis Reipublicae administrationem pertinent, sese tamquam hominem Civili potestati subjectum ostendere non recusavit, et ideo, quae Caesaris essent, Caesari dari voluit (1). Sed cum de Ecclesia, rebusque ad eam pertinentibus ageretur, unum se omnium dominum, et moderatorem declaravit, ac non modo a saeculi Principibus pendere in re ulla noluit, sed, iis etiam invitis, ac repugnantibus, societatem instituit, cujus gratia humanam carnem as-

sumpserat, eamque per orbem universum, frustra obsistentibus iis, qui civili Reipublicae praeerant, propagari jussit (2), Quin etiam Apostolis praenunciavit fore, ut multa infensa, et adversa paterentur odio civilium Potestatem in Ecclesiam, quae omnia eos alacri animo tolerare praescripsit, ut aeternam vitam consequerentur. Rursus, per totum orbem diffusam, eamque unam constituit Ecclesiam, unam omnium fidem, unam hominum, ubicumque sunt, consociationem iisdem vinculis nexam, atque jugatam, itemque perpetuam, ac talem futuram promisit. Ecquid horum cadere in merum collegium potest? Hoc sane institui, et coire non potest sine venia Principis, cujus in ditione est (3); continetur finibus certae civitatis, aut provinciae, aut etiam regni (4); non unum efficit corpus cum aliis collegiis, quae in aliena ditione sunt; non iis imperat, aut subjicitur, aut iisdem legibus gubernatur; neque ex intima natura sua est perpetuum, sed dissolvitur auctoritate ejus, penes quem in ea regione summa potestas est. Ac si collegium esset Ecclesia, tot essent catholicae Ecclesiae, quot in singulis provinciis, aut regnis collegia sunt; et singulae diversam haberent gubernationem, diversasque leges; quo nihil magis catholicae Ecclesiae naturae repugnans dici potest.

(1) Tributum etiam Christum solvisse scribit S. Matthaeus *cap. XVII, vers.* 23. *seqq.*, quo ex loco Marsilius Petavinus, et Jandunus colligebant Servatorem nostrum non sua sponte, ac voluntate, sed necessitate coactum illud solvere debuisse, quem errorem proscripsit Joannes XXII, apud Raynaldum *ad an.* 1327. *num.* 29. *tom.* 5. *pag* 347. Nam Christus, uti scriptum in Evangelio diserte est, sese tributi onere solutum declaravit, illud tamen sponte solvit, ut vitaret scandalum; et vero solvi voluit ex statere per miraculum in ore piscis invento, ne ex loculis, hoc est ex pauperum bonis idem tributum detraheretur. Quod postremum ab Agobardo Lugdunensi Episcopo animadversum monet Van-Espenius *Jus Ecclesiast. univers. part* 2 *tit.* 35. *num.* 51., quasi Agobardus, qui floruit IX. Ecclesiae saeculo, primus fuerit, qui illud a Christo miraculum patratum observaverit, ne pauperum patrimonium tributi solutione imminueretur. Sed ante saecula plusquam quatuor idem scripserat S. Hieronymus *in Matth. lib.* 3. *cap.* 17. *tom.* 7. *col.* 136., cujus verba sunt haec » Quod si quis objicere voluerit, » et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus: rem » pauperum (Christus) in usus suos convertere nefas putavit, nobisque » idem tribuit exemplum ». Confer Hilarium *in Matth. cap.* 17. *num.* 11. *tom.* 1. *col.* 755. *edit. Veron.* 1730. *et contr Constant. num.* 10. *tom.* 2. *col.* 569., Jo. Chrysostomum *homil.* 58. *in Matth. num.* 1 *tom.* 7. *pag.* 585. *seq.*,

Ambrosium *ep.* 7. *num.* 12. 13. 18. *tom.* 3. *col.* 812. *seqq.*, Augustinum *in psalm.* 137. *num.* 16. *tom.* 6. *col.* 963.

(2) Hinc in Actibus Apostolorum *cap. IV. vers.* 19. scriptum est „ Petrus vero, et Joannes respondentes dixerunt ad eos, si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate „.

(3) *Leg.* 1. *in princip. ff. de colleg. et corpor.*

(4) *Leg.* 3. *ff. eod. tit. Leg.* 1. *in princip ff. quod cujusq. universit.*

§. XII. Quos praeterea Christus Ecclesiae praefecit, et omni potestate donavit? An ejus aliquid dedit Tiberio Imperatori, aut Romanis Praesidibus, aut Herodi, aut Magistratibus Hebraeorum? Ne unum quidem verbum de his omnibus fecit, sed universam auctoritatem tribuit hominibus, quos ipse e medio populo sumpserat, ut Apostolos faceret, et Ecclesiae Rectores, atque in primis Petro, quem omnium caput, ac Principem esse voluit. Hos replevit Spiritu Sancto, ut recte, ac sapienter Ecclesiam regerent; hos misit in universum mundum, sicut ipse missus a Patre fuerat, ut praedicaret Evangelium omni creaturae; his ligandi, et solvendi potestatem attribuit (1). Denique reversurus ad Patrem his tantum dixit „ data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos „ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes „ eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis „ (2). Quibus sane verbis Apostolis, eorumque successoribus potestas tribuitur ubique gentium, vel invitis Civitatum Principibus, nunciandi Evangelium, civesque, quicumque voluissent, Baptismo initiandi, atque etiam in tradita doctrina continendi, et confirmandi omnes, qui in christianam societatem essent cooptati. Quod idem est ac praecepisse, ut christiana conderetur respublica, quae suas haberet leges (3); et vero conderetur non humana, sed divina auctoritate, *data est mihi omnis potestas etc.*; unde efficitur, ut Apostoli vi hujus potestatis sibi a Christo datae Ecclesiam instituant; *euntes ergo etc.*

(1) Matthaeus *cap. XVI. vers.* 19. *et cap. XVIII. vers.* 18.

(2) Matthaeus *cap. XXVIII. vers.* 18. Sed hunc Matthaei locum ita interpretantur Protestantes Buddeus, Spanhemius, Bohemerus, Pfassius, aliique similes, ut iis Christi verbis tantum docendi, ac persuadendi facultas Apostolis tribuatur, nulla autem potestas imperandi ferendique leges,

quibus homines parere coguntur. Eumdem hunc errorem literis consignavit Auctor libelli non multis ab hinc annis editi. *La Chiesa, e la Repubblica dentro i loro limiti.* Inepte prorsus. Cum enim Christus Apostolos ad docendum mittat in orbem universum, posteaquam ipsos certiores fecerat de omni sibi data in coelo, et in terra potestate, quam ipsam in eosdem Apostolos contulit; manifestum est, eos ab se missos fuisse cum eadem auctoritate, qua ipse praeditus erat, quaque illi donati ab se fuerant. Quid quod ipse Christus sese Apostolis perpetuo adfuturum promisit; quid item quod Petro *pascendi*, hoc est *regendi* homines potestatem expressis verbis attribuit? Cuncta haec graviter, copioseque expenduntur literis duorum Archiepiscoporum Cameracensis, et Ebrodunensis, quas laudat Franciscus Antonius Zaccaria in libello, cui titulus. *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare, ma sì a Dio quel che è di Dio etc. discors. prelimin.* §. 2. *pag.* 40. *seqq. edit. Favent.* 1788

(3 Pufendorffius *de habit. Religion. Christian.* §. 11. *pag.* 46. *edit. Bremens. an.* 1692 et § 28. *pag.* 107. „ Statum, *inquit*, intelligimus ejus- „ modi conjunctionem plurium hominum: quae imperio per homines ad- „ ministrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur „. Atqui Ecclesia sine dubio *conjunctio est plurium hominum*, imo totum mundum sua universitate complectitur, eaque, ut inter Catholicos constat, regitur ab hominibus divinitus constitutis, qui *proprio, et aliunde non dependente imperio* potiuntur. Itaque Catholicis incertum esse non potest, Ecclesiam verum esse statum, seu rempublicam, et recte Jacobus Antonius Zallinger *Instit. Jur. Eccles. cap.* 11. *pag.* 173. *edit. August. Vindelic.* 1791. observat „ summam inconsiderantiam, aut imperitiam esse Scriptorum quo- „ rumdam recentium, qui cum catholicos se, et catholicam de natura Ec- „ clesiae, et hierarchicae potestatis doctrinam profiteantur, eadem conse- „ claris, et iisdem prope verbis ex auctoribus Protestantibus exscribunt „. Quod etiam animadvertit Putterus, ceteroquin homo ex grege Protestantium, *Instit. Jur. publ. Germanic.* §. 431. inquiens, quod Catholicis non potest non esse exploratissimum, Ecclesiam esse statum, seu veram, perfectamque rempublicam, quae suos habet Rectores, et Magistratus, et in qua Summus Pontifex supremam obtinet potestatem, atque in ea quidem inquit „ ecclesiastica potestate ipse Imperator non minus, quam singuli ca- „ tholici status, horumque subditi catholici continentur: tantum abest, ut „ seu Imperator, seu saecularium quispiam statuum catholicorum sibi quid- „ quam istius potestatis ecclesiasticae sumere possit „.

§. XIII. Suo sane munere Apostoli egregia functi innumeras gentes in Christianorum numerum aggregarunt; ut jam multitudo tam magna, et copiosa hominum conflata ex Gentibus, atque Judaeis, quibus omnibus eadem erat fides, certis regenda esset legibus, atque administratione, ut firme consisteret. Qua in re duo sunt distinguenda diligenter, quae Protestantes miscent, atque confundunt, ut ecclesiasticam jurisdictionem evertant; munus Apostolicum nunciandi Evangelium, et potestas, quae in Ecclesiae administratione, a Christo Ser-

vatore Apostolis concessa est. Primum illud pertinet ad praedicandam Christi fidem, atque ad cooptandos in Christianam Rempublicam, ejusque leges edocendos homines; alterum ad hanc Rempublicam, sive Ecclesiam regendam, et gubernandam. Non enim à doctrinis, quas Christus Apostolis pro suo Apostolico munere recte gerendo tradidit, atque ab iis, quae in eodem munere exercendo ab illis gesta sunt, ad ipsum Ecclesia regimen, atque ad imperium iis attributum duci argumentum potest; quasi eadem omnino esse debeat praedicandi Evangelium, et Ecclesiam regendi ratio, atque ea, quae a Christo ad persuadendam Religionem tradita sunt, ad ipsam quoque Eccelesiam gubernandam pertineant. Aliud longe est obire munus Apostolicum; praedicare Evangelium, instituere, docere; et aliud regere Ecclesiam Dei. Procul a munere docendi, et convincendi intellectum vis omnis, et violentia; quoniam non cogendus, sed convincendus intellectus est. Procul ab Apostolicis viris ambitio, dominandi libido, opum copia, cetera similia, neque armis, et suppliciis, sed caritate, lenitate, ac suavitate trahendi sunt animi infidelium, et cum mansuetudine nuncianda veritas est. Atque huc spectant doctrinae, quas Christus Apostolis tradidit, cum eos ad praedicandum Evangelium misit, atque ire jussit *sine sacco, et pera* omnem ab se dominatum, et imperium removere, nihil proprii possidere, nonnisi volentes baptizare.

§. XIV. At non eadem gubernandae Ecclesiae ratio est. Nam ut ea recte administretur, atque regatur, omnes, qui ei praesunt, jurisdictionem habeant necesse est, et potestatem ferendi leges, judicandi causas, puniendi sontes, dandi veniam, ligandi, et solvendi. Itaque Christus, posteaquam Apostolis praedicandi munus commiserat, in eos etiam omnem contulit potestatem, qua eosdem in Ecclesiae administratione opus habere intelligebat. Cum societatem coirent, erat sane aliqua constituenda hujus societatis ubique diffusae gubernandae ratio. Quare Apostolis jus regendae Ecclesiae concessit, atque omnes eorum jussis obtemperare voluit, ita ut qui dicto audiens

non esset, in ipsum Christum peccaret (1), atque ethnici, et publicani loco haberetur (2). Qua potestate praediti iidem Apostoli tum singuli, tum omnes communi consensu plures condiderunt leges, quae ad religionem, atque ad Ecclesiae administrationem pertinebant; et hae leges partim scriptae, partim vero non scriptae fuerunt. Ac primo quidem de sufficiendo in locum Judae proditoris Apostolo, tum de cura viduarum, et ministrorum Apostolos, vocatis Discipulis, convenisse, eaque de re Diaconos elegisse constat (3). Deinde orta illa de ritibus Judaicis controversia, Apostoli Hierosolymam convenerunt, ibique Concilio habito rem omnem concluserunt gravissimis illis verbis: *visum est Spiritui Sancto, et nobis* (4).

(1) Joannes *cap. XIII. vers.* 20., Lucas *cap. X. vers.* 16., Qui vos » audit, *inquit*, me audit, et qui vos spernit me spernit „ ubi Jo. Baptista du Hamel habet haec. » Hinc colligitur, Praepositis Ecclesiae datam esse » a Deo potestatem non docendi modo, sed et praecipiendi, ac leges condendi pro locorum, et temporum opportunitate. Pastoralis auctoritatis, » uti et veritatis in Deo ipso fons est, et origo; Christo a Patre est communicata per incarnationem non inerruptam. Vox *audire* in Scripturis » non solum significat acquiescere docenti, sed et parere. Sic Pater de » filio loquens: *ipsum audite*; item Deuteronom. *audi Israel* ». Confer etiam Joannem Doujatum *praenot. canon. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. *pag.* 108. *edit. Venet.* 1735.

(2) Matthaeus *cap.* XXVIII. *vers.* 17. Quem in locum videndi sunt S. Cyprianus *ep.* 66. *pag.* 285., S. Basilius *Constit. Monast. cap.* 22. *num.* 2. *opp. tom.* 2. *pag.* 571., S. Jo. Chrysostomus *Homil* 61. *in Matthaeum n.* 1. *et seq. opp. tom.* 7. *pag.* 605. *et seq.* Joannem Seldenum, qui his verbis contineri negat potestatem excommunicandi Ecclesiae datam, praeter ceteros, refellit Jo. Franciscus Confortius *Exercit. critic. in Grotium de Imper. Summar. Potest. circ. sacr. cap.* 9. §. 16. *tom.* 2. *pag.* 232. *seqq. edit. Neapol.* 1780.

(3) Act. Apostol. *cap.* 1. *vers.* 16. *et seq. et cap.* VI. *vers.* 2. *seq.*

(4) Act. *cap.* XV.

§. XV. Accedit quod in Actibus Apostolorum dicitur Paulus peragrasse Syriam, et Ciliciam „*confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum*„ (1); ac de eodem Apostolo, et Timotheo scriptum est„ *cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, et Senioribus, qui erant Hierosolymis* „ (2). Ex quo patet, Apostolos, et Ecclesiae administrationi praefuisse; et plures tulisse leges, quas eadem administratio postulabat. Atque hujus quidem a

Christo acceptae potestatis regendi Ecclesiam diserte meminit Paulus (3), eodemque jure se leges ferre ostendit, quibus Christiani omnes parere deberent (4), atque ipse praeterea, ceterique Apostoli multas erexerunt Ecclesias (5), et his cum imperii potestate praefuerunt, et leges dederunt, et ea omnia constituerunt, quae ad salutem animarum, atque ad rectam Ecclesiae administrationem pertinere judicarunt: Hinc Pauli, ac reliquorum Apostolorum literae refertae sunt praeceptis, quae publicos, privatosque mores, quae ecclesiasticam disciplinam, quae Christianorum officia respiciunt (6). Quae *praecepta tenentes* Corinthios Paulus laudat (7), idemque ad Thessalonicenses scribens (8), eadem se praecepta dedisse affirmat divinitus accepta potestate; atque ait, quod *qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum*; adeo certum habuit, non alia dedisse auctoritate, quam Dei, *praecepta*, quae dederat. Neque vero imperando solum, sed etiam sontes puniendo, sacram jurisdictionem Apostoli exercuerunt. Praesertim Paulus, cujus plura extant scripta, quam aliorum Apostolorum, in Hymenaeum, atque Alexandrum (9), itemque in Corinthium incestus in novercam reum animadvertit (10), quem postea, cum resipuisset, poena solvit, atque ecclesiasticae communioni restituit; *Virgam* minatur (11); negat se parciturum, si venire cogatur (12); acceptam a Christo potestatem ostendit, per quam *ulcisci* possit *omnem inobedientiam*; *si quis non obediat*, hunc *notari* jubet, vetatque aliquem cum eo *commisceri* (13); denique adversus obsistentes imperio suo duris se acturum profitetur (1).

(1) Act. Apostol. *cap. XV. vers.* 41.

(2) Ibid. *cap. XVI, vers.* 4. *Epitagmata*, quod eodem recidit, atque *mandata*, *praecepta*, *imperia* Chrysostomus vocat *Homil.* 33. *in Act. num.* 3. *tom.* 9. *pag.* 257. *edit. Venet.* 1734.

(3) Ibid. *cap.* 20. *vers.* 28.

(4) Huc enim spectat illud Pauli I. *ad Corint. cap. XI. vers.* 17. *Hoc autem praecipio*, et paulo post *eod. loc. vers.* 34. *cetera autem, cum venero, disponam.*

(5) Paulus ad Titum scribens *cap. I. vers.* 5. » Hujus rei gratia, *inquit*, reliqui te Cretae ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per » civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi » cumque jussit *increpare dure ib. vers.* 13., et non solum *loqui*, atque *exhortari*, sed etiam *arguere cum omni imperio, cap. II. vers.* 15.

(6) Paulus I. *ad Corint. cap. VI. VII. X. vers. 7. seq. XI. vers. 4. seq. XIV. vers. 1. seq. XVI. vers. 1. seq. II. ad Corint. VI. vers. 4. seq. ad Roman. cap XII. vers. 10. seq. cap. XIII. vers. 1. seq. et cap. XV. vers. 2. I. ad Timoth. cap. II. III. vers. 2. seq. cap. VI. vers. 1. seq. ad Ephes. cap. V. vers. 1. seq. I. ad Thessalonic. cap. IV. vers. 2. seqq. et cap. V. vers. 50. seq.*, locisque aliis compluribus, Jacobus *ep. cathol. cap. I. vers. 3. seq. et cap. II. vers 1. seq.* Petrus *ep. I. cap. II. vers. 1. et seq.* Joannes *ep. I. cap. II. et III.* Mitto cetera loca, ne nimius sim.

(7) Paulus I. *ad Corint. cap. XI. vers. 2.*

(8) Idem I. *ad Thessalonicen. loc. cit.*

(9) Idem I. *ad Timoth. cap. I. vers. 20. et II. ad eund. cap. IV. vers. 16.*

(10) Idem I. *ad Corint. cap. V. vers. 5. et seq. et II. ad eosd. cap. II. vers. 6. seq.* Est autem sententia SS. Patrum, quos laudant Tirinus, et Cornelius a Lapide *in I. ad Corint. cap. V. vers. 5.*, Corinthium hunc hominem incestus reum ab Apostolo Satanae traditum fuisse, ut corpore vexaretur, atque ita resipisceret per has poenas, quas corpore perferebat.

(11) Idem I. *ad Corint. cap. IV. vers. 21.*

(12) Idem II. *ad Corint. cap. XIII. vers. 2.*

(13) Idem II. *ad Thessalonicen. cap. III. vers. 14.*

(14) Idem II. *ad Corint. cap. X. vers. 6. seq. et cap. XIII. vers. 10.* Recte Tertullianus *contr. Marcion. lib. 5. cap. 12. pag.* 477. „ Formam legis, *inquit*, adhuc tenet Galatharum castigator Apostolus, in tribus testibus praefiniens statutum omne verbum, qui non parcurum se peccatoribus comminatur lenissimi Dei praedicator. Imo et ipsam durius agendi in praesentia potestatem a Domino datam sibi affirmat. Nega nunc, haeretice, timeri Deum tuum, cujus Apostolus timebatur „.

§. XVI. Consequenti aetate Apostolorum successores Episcopi eadem semper in regendis, curandisque rebus Ecclesiae auctoritate usi sunt. Atque id non solum Constantino Imperatore, et quarto post Christum natum saeculo, postquam Christiani Principes Imperium obtinuerunt, sed etiam ethnicis imperantibus factum est. Nam eo temporis intervallo, praeter caeremonias, ritusque ecclesiasticos a Romanis maxime Pontificibus plerosque institutos, victor Summus Pontifex in Theodorum Byzantinum Coriarium animadvertit, et coercuit Arianos, qui ipsa Luna XIV., Hebraeorum more, Pascha celebrabant. Similiter a Presbyteratus gradu dejectus, ac censurarum poenis affectus est Marcio; Privatus Lambesitanus, et Paulus Samosatenus de Episcopatu dimoti, atque ab Ecclesia ejecti; sumpta poena de Novato, et Felicissimo; de Basilide Asturicensi, et Martiale Emeritiensi, de Origene, de ceteris, qui in Religionem pec-

caverant. Quin et eum, qui civiles leges ecclesiasticis potiores habuerat, sceleris reum judicavit Cyprianus (1); adeo sibi certum, fixumque erat, non solum suas condere leges Ecclesiam posse, sed etiam civilibus derogare. Atque haec quidem omnia semper gesta ab Ecclesia sunt jure suo, et potestate divinitus accepta, neque Civitatis Principes in ea umquam auctoritatem suam interposuerunt.

(1) Africana Synodo, cujus meminit S. Cyprianus *ep.* 1. *pag.* 169. *ed. cit.* sancitum erat „ ne quis de clericis, et Dei ministris tutorem, vel cu- » ratorem testamento suo constitueret; itemque „ ne quis frater excedens » ad tutelam, vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non » offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur » . Cum autem Geminius Victor Presbyter tutorem testamento nominasset Geminium Faustinum Presbyterum, S. Cyprianus eum in illam poenam, propterea quod in Ecclesiae legem peccaverat, incidisse declaravit. Atqui ea Synodi lex adversabatur juri civili, quod neminem tutelae munere, quod publicum habebatur, abdicare se permittebat, nisi ob certas, gravissimasque causas, et eas lege definitas *Instit. lib.* 1. *tit.* 25. Verum, ut monet Fellus *ibid. in not. num.* 5: inter has causas haud certe Sacerdotium recensebatur » cum minime expectandum fuerit, ut privilegio aliquo tam peculia- » ri ex indulgentia Ethnicorum Imperatorum fruerentur Sacerdotes Chri- » stiani » . Itaque ecclesiasticae leges tutela prohibebant Sacerdotem, quem leges civiles tutorem esse jubebant. Sunt et alia exempla legum civilium, quibus ab ecclesiasticis legibus derogatum est, et hae quidem habitae sunt potiores, eaque recenset Benedictus XIV. *de Synod. dioecesan. lib.* 9. *cap.* 11. et 12.

§. XVII. Quod idem post datam Ecclesiae pacem factum est. Non enim quod Ecclesia suos inter filios Civitatis Principes cooptavit, aliquid amisit jurisdictionis, quam a Christo acceperat, neque ipsi in eam sunt recepti, ut imperent, sed ut obediant legibus, cum quibus illam Christus instituit (1). Sunt autem hae leges, quod Apostoli, eorumque successores Ecclesiae praesideant, ejusque res omnes moderentur, ac regant; neque haec a Christo imperata Ecclesiae administrandae, et regendae ratio immutari, atque perverti potuit, cum Civitatum Principes ad Christianam Religionem adducti illius filii evaserunt. Sane cum quaeritur, quis divinorum, sacrorumque curandorum habeat potestatem; videndum est, eccui eam Christus dederit; quoniam de Republica agitur non humana opera, sed divinitus instituta. Atqui eam Apostolis tributam constat, ethnicis certe Principibus tributa non

est. Quibus autem sacrorum Bibliorum monumentis effici potest, Christianis Imperatoribus concessam a Christo potestatem, quam ipse ethnicis nullo modo concesserat? Profecto, quae tantopere jactantur praecepta Pauli de precibus pro Imperatore fundendis, de parendo Principibus, de anima sublimiori Potestati subjecta non minus in ethnicos, quam in Christianum Imperatorem cadunt. Quod si ea in res Ecclesiae nullum ethnicis jus attribuunt, cur tribuent Christianis; et si eadem numquam induxerunt Apostolos, eorumque Discipulos, ut ecclesiasticam potestatem civili subjicerent, jusque ullum ethnicis in sacra concederent, quid est quod aliud de Christianis Principibus judicium ferendum suadeat? His consonat omnium aetatum disciplina, cunctorumque Patrum concors, ac firma sententia. Nam hi semper uno omnium consensu statuerunt, Ecclesiam divinarum, sacrarumque rerum administrationem, et regimen a Christo accepisse, eam in his a nemine in terris pendere, atque in iisdem laici Principis nullas omnino esse partes (2). Imo vero in iis non solum numquam paruit, sed etiam imperavit Principibus; quibus firmissime restitit, cum ab ipsis aliquid in res sacras, atque divinas fieri animadvertit (3). Quid quod ipsi etiam pietate praestantes Civitatum Principes totam hanc provinciam, quae sacra, et Divina complectitur, ad unam Ecclesiam pertinere pluries agnoverunt, verbisque disertissimis confessi sunt (4).?

(1) S. Ambrosius *serm. contr. Auxent. num.* 36. *opp. tom.* 3. *col.* 626. » Quid honorificentius, *inquit*, quam ut Imperator Ecclesiae filius esse dicatur? Quod cum dicitur sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est » Fenelonius *discours au sacr. de l' Electeur de Cologne.* » Le monde, *inquit*, en se soumettant à l' Eglise, n' a point acquis le droit de l' assujettir : les Princis » devenant les enfans de l' Eglise, ne sont point devenus ses maîtres »,

(2) Recte S. Joannes Damascenus *de imagin. orat.* 2. *num.* 12. *opp. tom.* 1. *pag.* 335. *edit. Le-Quienii Venet.* 1748. » apud Imperatorem, » *inquit*, potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciat. Attende quid » dicat Apostolus: et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, pri» mum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores, et Doctores ad » perfectionem Ecclesiae. Non adjecit Imperatores ... Verbum loquu» ti non sunt vobis Reges, sed Apostoli, et Prophetae, Pastoresque, » et Doctores ... Tibi parebimus, o Imperator, in his, quae ad hu» jus saeculi negotia pertinent ... Verum ad res Ecclesiae statuendas » Pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ecclesiastica in-

» stituta tradiderunt ». Eadem est in eumdem Pauli locum Theodori Studitae sententia apud Baronium *ad an.* 714 *num.* 13. *tom.* 13. *edit. Lucae*; atque ante utrumque idem quoque docuerant Hosius Cordubensis Episcopus apud Athanasium *Histor. ad Monach. num* 44. *opp. tom.* 1. *pag.* 293. *edit. Patav.* 1777. » Ne te, *inquit*, (Imperatorem alloquitur) rebus mi- » sceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a no- » bis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiasti- » ca concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo or- » dinanti repugnat, ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni » criminis reus fias » Gregorius Nazianzenus *orat.* 17. *opp. tom.* 1. *pag.* 271. *edit. Colon.* 1690., Martinus Turonensis apud Sulpitium Severum *Histor. sacr. lib.* 2. *num.* 50. *tom.* 2. *pag.* 263. *edit. Veron.* 1741., Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 17. *de Spiritu S. num.* 10. *pag.* 269. *edit. Venet.* 1763., Ambrosius *ep.* 21. *num* 2. *et* 4. *opp. tom.* 3. *col.* 909. *et* 910. *edit. Venet.* 1748., Felix III. P. *ep.* 9. *ad Zenon. Imper.* apud Labbaeum *tom.* 5. *concil. col.* 178 *edit. Venet. Coleti*, Gelasius I. P. *ep.* 8. *ad Anast. Imper. col.* 308. *ibid.*, quae quidem Gelasii epistola quanti a Gallis facta sit, ostendit Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. *pag.* 31. Mitto ceteros, quorum magnus est numerus. Confer Bellarminum *de Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 7. *opp. tom.* 1. *pag.* 258. *edit. Venet.* 1721., Bossuetum *Defens. declarat. Cler. Gallican. par* 2. *lib* 5. *cap.* 33. *opp. tom.* 17. *pag.* 626., Schvarzium *Instit. Jur. univers. par* 1. *tit.* 3. *Instruct.* 3. §. 3., Bianchium *della potestà e della polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 3. §. 1. *tom.* 4. *pag.* 387. *et seqq.*, logisque aliis compluribus, Auctorem operis *de l' autorité des deux Puissances tom.* 2. *chap.* 1. §. 1. *pag.* 14. *seqq edit. an.* 1780., Mamachium *Origin. et antiquit. Christian. lib.* 4. *par.* 1. *cap.* 2. *tom.* 4. *pag.* 68. *seqq.*

(3) Nota sunt, quae contra Constantium, Valentem, Zenonem, Leonem Isauricum, ceteros Imperatores, qui Ecclesiam perturbarunt, ab ea gesta sunt.

(4) Constantinus M. apud Ruffinum *Histor. lib.* 10. *cap.* 2. *pag.* 218. *edit. Basil.* 1528., et apud S. Gregorium M. *ep.* 40. *lib.* 5. *opp. tom* 2. *col.* 767. *edit. Maurin. Paris.* 1705., Marcianus in Concilio Chalcedonensi *act.* 6. apud Labbaeum *tom.* 4. *Concil. col.* 1473. *edit. Venet. Coleti*, Valentinianus I. apud Sozomenum *Histor. lib.* 6. *cap.* 7. *pag.* 209. *edit. Taurin.* 1747., Valentinianus III. *in Leg.* 47. *Cod. Theodos. de Episc. Eccles. et Cleric.*, et apud Sozomenum *Histor. lib.* 6. *cap.* 21. *pag.* 225. *edit. indic.*, Honorius *epist. ad Arcadium* apud Labbaeum *tom.* 3. *Concil. col.* 71. *edit. indic.*, Theodosius Junior Ep. ad Cyrillum *ibid. col.* 982., Justinianus *Leg.* 9. *Cod. de Summ. Trinit. et Auth. quomod. oport. Episc. in princ. collat. I.*, Basilius *in Concil. oecumen. VIII. act.* 10. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 659. *et* 660., Philippus Pulcher *epist. ad Bonifacium VIII.* apud Rebuffum *in concord. Prooem.* §. *quaedam nobis.* Vide Acta Cleri Gallicani *tract. de jurisd. eccles. tom.* 6. *pag.* 3. *seqq. edit. Paris. ann.* 1716. et Auctorem operis *de l'autorité des deux puissances tom.* 2. *par.* 4 *chap.* 1. §. 1. *pag.* 26. *seqq.*, et vide etiam quae scripsi *lib.* 3. *Instit. Canonic. tom.* 3. *tit.* 1. *pag.* 1. *et seq. et lib.* 4. *tit.* 1. *tom* 4. *pag.* 1. *et seq. edit. Rom.* 1792.

§. XVIII. At enim Ecclesia est in Republica; et id quidem frequens adagium est eorum, qui Ecclesiasticae potestati

adversantur. Sed quod inde contra hanc potestatem educi argumentum potest? Est quidem Ecclesia in Republica, uti Respublica in Ecclesia est, quoniam iidem homines, qui tamquam cives Rempublicam efficiunt, etiam ad Ecclesiam tamquam Christiani pertinent, ac legibus utriusque subjiciuntur. Verum ea de causa, neque Respublica Ecclesiae, neque Ecclesia Reipublicae subjecta est in iis, quae tantum ad alterutram spectant. Christus sane Ecclesiam instituit, ut Reipublicae cives haberent bona spiritualia, quae illa dare non poterat, atque aeternam beatitatem consequerentur. Ergo in media societate, quae tanto hoc bono frui debebat, non extra eam, Ecclesiam condere oportebat; et hinc, ut recte Ecclesiae auctoritatem aestimemus, haud sane quaerendum est, num ea sit in Republica, sed tantum qualis ea sit, et qualis ei potestas a divino conditore attributa fuerit. Atqui certum est, eam ita fuisse institutam, ut a nemine in terris pendeat, ut sola curet res sacras, atque divinas, ut in iis summam habeat, eamque nemini obnoxiam potestatem (1). An non licuit Christo Servatori ita in civili Republica Ecclesiam suam instituere, in eamque conferre universam potestatem, qua opus erat, ut Reipublicae cives in iis, quae pertinent ad res sacras, atque divinas, optime regerentur? Est igitur Ecclesia in Republica singulari Dei beneficio, non ut ei serviat, sed ut nemini subjecta, qualem eam Christus instituit, moderatrix sit rerum spiritualium, legesque condat; quibus aeterna hominum felicitas procuratur (2).

(1) Recte Episcopus Bononiae in Galliis *Instruct. Pastoral.* 24. *Octobris* 1790. *Testimonianze delle Chiese di Francia tom* 5. *pag* 24. « Si » chaque Église nationale, *inquit*, est dans l' État, chaque État catholique » est dans l' Église, et comme chaque État catholique conserve dans l'Égli» se une independance absolue, en ce qui concerne l' ordre politique, cha» que Église nationale conserve dans l' État la meme indépendance, en ce » qui concerne l' ordre spirituel ». Quo referenda sunt etiam Acta Cleri Gallicani 1765., ubi post constitutam utriusque Potestatis conjunctionem habentur haec » Mais cette union réciproque ne peut être un principe de » sujétion pour l' une, ou pour l' autre puissance; chacune est souveraine, » indépendante, absolue, en ce qui la concerne; chacune trouve en elle mê» me le pouvoir, qui convient à son institution: elles se doivent une assi» stence mutuelle, mais par voie de concert, et de correspondance, et non » par voie de subordination, et de dépendance ».

(1) Celebrem Optati locum *de schism. Donatist. lib.* 3. *num.* 3. *pag.*66. *edit. Paris* 1676. „ cujus sententiam, ut *inquit* Albaspinaeus *in not. litt. h.* „ mirifice extollunt homines illi qui rebus student novis „ egregie prae ceteris explicant tum ipse Albaspinaeus *ibidem*, tum Mamachius *del diritto libero della Chiesa etc. lib.* 2 *tom* 2. *par.* 2. §. 3. *pag* 106.*seqq. et Origin., et antiquit. Christian. lib.* 4. *cap* 2. §. 3. *num.* 4. *pag.* 101. *tom* 4. et Zaccaria *in Anti-Febron. dissert.* 2. *cap.* 1. §. 12. *tom.* 1. *pag.* 227. *seqq. edit. Cesenae* 1771.

§. XIX. Quod si ad ea locorum spatia, quae Respublica, quaeque Ecclesia complectitur, atque ad utriusque origines, et antiquitates animum attendamus, Rempublicam esse in Ecclesia, non hanc in illa fateamur necesse est. Cum enim Catholica Ecclesia diffusa sit per Orbem universum, eaque tam longe pateat, ut nulla civilis Respublica tot gentes, quot illa, contineat, ecquae demum erit Respublica, quae totam suae ditionis finibus catholicam Ecclesiam complectatur? Si qua imperare velit Ecclesiae, tantum imperabit particulari Ecclesiae ditionis suae, non ceteris, quae in alienis ditionibus sunt; et tunc erit quidem haec Ecclesia subjecta Reipublicae, cujus in imperio est, sed aliis obnoxia legibus, et alii moderatori schismatica evadet, et avulsa a reliquis Ecclesiis, quae omnes sub uno cunctarum capite, et principe copulatae catholicam Ecclesiam efficiunt (1).

(1) Egregie Podiensis Episcopus *Defenses des actes etc par.* 2. *cap.*13. *pag.* 430. » Un Gouvernement de cette nature, *inquit*, exige une autorité » aussi étendue que l'Eglise. Il ne peut convenir à un Etat, dont la Puissance ne pouvant donner des loix aux Eglises situées dans territoire étranger, n'en peut donner consequêmment à celle, qui est dans le sien. En » se l'assujetissant, il la demembreroit de l'Eglise universelle. Elle seroit » alors dans l'Etat, mais pour être une Eglise schismatique, une Synagogue » de l'Antechrist ».

§. XX. Accedit Ecclesiae vetustas, quae quidem, ut Patrum sententia est (1), in Abele initium habuit; eaque vetus Ecclesia cum nostra unam, et eamdem Ecclesiam conficit. Ipsa igitur in lege naturae vetustior est omnibus civilibus societatibus, quae tum ante, tum post diluvium copulatae sunt. Similiter in lege scripta multo ante quam gens Hebraeorum rempublicam quamdam constitueret, Deus illam ex cunctis nationibus separaverat, prae-

scripta circumcisionis nota, qua veluti populus ejus proprius distingueretur. Cum vero Babylonica captivitate, ac primo Seleucidarum, postea Romanorum, atque Herodis dominatione afflicta, ac pene collapsa est Respublica Hebraeorum, tamen stetit Ecclesia, ac tantum desiit, cum in Christianorum Ecclesiam translata est. Itaque Republica est antiquior Ecclesia; imo quae post Christi adventum constituta est, cum eadem, quae illa vetustior sit, ubi regiones ingreditur falsis religionibus corruptas, et depravatas, jus illud recuperat, quo initio fruebatur, quodque idolorum cultus, ac superstitio eripuerat. Nam Idololatria inventum est hominum multo post diluvium excogitatum, illasque regiones, in quas ea calamitas recentiori aetate pervasit, initio incoluere gentes, quae in eas pium Dei cultum, veramque Religionem importarunt. Cum homines Patriarcharum traditiones deseruerunt, atque illam invexerunt multitudinem absurdam Deorum, tunc vera Religio sua possessione dimota est. Itaque cum deinceps, superstitione sublata, Ecclesia rediit in easdem regiones, haud sane tunc primum in iis constituta est, sed recuperavit jus illud, ex quo hominum scelere pulsa fuerat, et quod initio habuit, antequam civiles societates conficerentur (2).

(1) Confer S. Augustinum *in psalm.* 142. *num.* 3. *tom.* 6. *col.* 1037., et S. Gregorium M. *in Evangel. hom.* 19. *num.* 1. *tom.* 1. *col.* 1510.

(2) Videndus Auctor libelli *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare, ma si a Dio rendete ciò che è di Dio* §. 13. *pag.* 175. *seqq.*

DE FORMA ECCLESIASTICI REGIMINIS A CHRISTO CONSTITUTA.

CAPUT IX.

I. In Ecclesia alii sunt, qui praesunt, alii, qui his Praesidibus subduntur.
II. et III. Ecclesiae regimen non est democráticum. Numquam a populo aut poenae irrogatae, aut constituti Ecclesiae Magistratus, aut latae leges.
IV. Contraria argumenta diluuntur.
V. Error Edmundi Richerii.
VI. et VII. Omnis a Christo potestas immediate Petro, ceterisque Apostolis data.
VIII. Patrum loca explicantur.
IX. Non item est aristocraticum, aut aristocratia temperatum Ecclesiae regimen.
X. Contra est monarchicum, quoniam summa potestas est penes Romanum Pontificem.
XI. et XII. Neque de hac potestate quidquam detrahit potestas omnium Episcoporum.

§. I.

Nunc videamus, quae ecclesiasticae gubernationis ratio sit; in quo mente retineamus necesse est illam, quam supra descripsimus Apostolorum, ac maxime Petri potestatem. His omnes fideles subjecti esse debent; et hinc Paulus ita Ecclesiam institutam docet, ut non omnes, Apostoli, aut Rectores sint, sed alii, qui coetibus praesint, auctoritatemque obtineant (1); alii, qui his Praepositis subdantur, eorumque mandatis obediant (2); eamdemque Ecclesiam ad instar corporis esse affirmant, in quo et praesit caput, et aliae extent partes, quaedam nobiliores, quaedam minus nobiles, ceterae ignobiliores, quae tamen inter se nexae, conjunctaeque sint, ut nullum membrum consistere per se ipsum possit, sed omnia reliquorum membrorum subsidiis egeant (3).

(1) S. Paulus *epist. I. ad Thessalonicen. cap. V. vers.* 12. rogat Fratres, ut noscant *Praesidentes ipsis in Domino.*

(2) Idem Apostolus ad Hebraeos *cap. VIII. vers.* 17: *obedite*, inquit, *Praepositis vestris, et subjacete eis.*

(3) Idem I. *ad Corint. cap. XII. vers.* 18. Ridiculum est, quod ajunt Protestantes, omnem illam Apostolorum potestatem *directivam*, ut vocant, non *legislatoriam* fuisse; cum nullum sit *collegium*, aut *societas aequalis*

in qua tanta sit Rectorum potestas, ut ipsi soli, non consultis sociis aequale jus habentibus, cuncta agant arbitrio suo, Magistratus constituent, leges condant, sontes puniant, eosque ex societate expellant, publica negocia administrent. An ea, quam Apostoli exercuerunt, amplior esse potestas ulla potest?

§. Ejusdem Pauli, ac Petri discipulus, idemque Pontifex Clemens Romanus Ecclesiam comparat militiae, in qua Imperator sit, et Praefecti, et Tribuni, et Centuriones, et Quinquagenarii, et Milites, qui imperata faciunt; deincepsque in memoriam revocat Corinthiorum humani corporis similitudinem, cujus Apostolus meminit (1). Haec una omnium Ecclesiae Patrum vox est (2); ut proinde contra apertam Dei voluntatem, ac perpetuam traditionem pugnent, qui Ecclesiam societatem aequalem esse contendunt. Nam si in ea rectores, moderatoresque sunt, qui in alios habent potestatem divinitus attributam, consequens est, ut societas inaequalis sit, in qua alii sunt, qui regunt, atque imperant, alii, qui reguntur, et parent. Quare gravissimus est error Democraticorum, eorum scilicet, qui in totius populi potestate, et imperio omnem Ecclesiae administrandae rationem positam esse arbitrantur. Quo in errore refutando vix tempus terere oporteret, cum Protestantes plerosque ipsos illius sic pudeat, ut negent, eorum fuisse quemquam, qui pro ecclesiastica democratia pugnarit (3). Sane in populari Republicam, quam Greci δημοκρατίαν appellant, magistratus a plebe constituuntur, ab eaque ab officio removentur, poenaque, cum est opus, ac morte mulctantur, conduntur leges, praemia, ac supplicia decernuntur, atque a magistratuum, rectorumque sententia ad populum appellatur. Ecquid autem ex his in rempublicam Christianorum cadit? Apostoli, qui primi omnium illi praefuerunt, a Christo constituti sunt; et ipsi deinceps, nullo populi expetito, requisitoque suffragio, eos sibi successores delegerunt, quos aptos rei bene gerendae fore judicarunt (4). Poenarum, vero, quae a populo in Episcopos sint constitutae, quis umquam meminit? Numquam enim legimus ministrorum aliquem apud populum accusatum, aut de gradu, et dignitate dejectum; quod sane Apostoli, ac Patres memoriae prodidissent, si populo judicandorum, punien-

dorumque ministrorum potestatem datam intellexissent. Imo vero si quid impetu concitatae multitudinis a populo contra ministros actum est, id semper tamquam facinus indignum, ac temerarium ab Ecclesia improbatum fuit (5).

(1) Clemens P. *ep. I. ad Corint. num.* 37. *pag.* 27. apud Coustantium *epist. Roman. Pontific.*

(2) Confer Ignatium Martyrem *ep. ad. Polycarpum num.* 6. *pag.* 42. *ad Magnes. num.* 2. *pag.* 55. *et num.* 6. *pag.* 57. *ad Trallian. num.* 2. *pag.* 63. apud Cotelerium PP. *Apostolic. tom.* 2. *edit. Antuerp.* 1698., Justinum Martyrem *apol.* 1 *num.* 67. *pag.* 83 *edit. Paris.* 1742., Irenaeum *contr. haeres. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 2. *pag.* 262. *tom.* 1. *edit. Venet.* 1734, Origenem *contr. Celsum lib.* 3. *num.* 30. *pag.* 466. *et lib.* 8. *num* 75. *pag.* 799., Tertullianum *de coron. milit. cap.* 3. *pag.* 102., *ad Uxorem cap.* 7. *pag.* 165, *de jejuniis cap.* 17. *pag.* 554., quibus in locis memorat *Praesidentes*, et eos, qui in Ecclesia *praesident*, Cyprianum *ep.* 3. *ad Rogatian pag.* 172. *ep.* 4. *pag.* 175 *ep.* 59. *pag.* 261. *ep.* 66. *pag.* 285., Eusebium *Histor. Eccles graec. text lib.* 8. *cap.* 2 *et* 3. *pag.* 332. *edit. Taurin.* 1746., *et lib.* 7. *Evang. demonstrat. cap.* 1. *pag.* 323. *edit. Colon.* 1688., Athanasium *Histor Arian. ad monach. num* 33. *et* 34. *opp. tom* 1 *pag.* 287., Hilarium *de Trinit. lib.* 8. *num* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 213. Luciferum Calaritanum *lib.* 1. *pro Athanas. pag.* 184. *Biblioth PP. tom.* 4. *edit. Lugdun. an.* 1677., Basilium *ep.* 225. *opp. tom.* 3. *pag* 344 *edit. Paris.* 1730., Gregorium Nazianzenum *orat.* 1. *opp. tom.* 1. *pag.* 2. Gregorium Nyssenum *opp. tom.* 3. *pag.* 306. *edit. an.* 1638., Ambrosium *ep.* 17 *num.* 12. *ep.* 20. *num.* 19. *et ep.* 21. *num.* 5. *col.* 859. 906. 910. *opp. tom.* 3. *et serm. contr. Auxent. num.* 5. *col.* 915 *et num.* 30. *col* 924. *et num.* 36. *col.* 926., Augustinum *ep.* 43. *cap.* 7. *num.* 20. *opp. tom.* 2. *col.* 129., Hieronymum *ep.* 125. *ad Rustic. num.* 15. *opp. tom.* 1. *col.* 942. *et dialog. contr. Luciferian. num.* 5. *tom.* 2., Jo. Chrysostomus *de Sacerdot. lib.* 3. *cap.* 14. *opp. tom.* 1. *col.* 392. *edit. Venet.* 1734., Epiphanium *haeres.* 75. *num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 910. *edit. Coloniae* 1782, Optatum Milevitanum *de schism. Donatist. lib.* 1. *pag.* 15. *edit Paris.* 1676, Isidorum Pelusiotem *lib.* 1. *ep.* 149 *pag.* 31. *edit. Venet.* 1745, Leonem M. *serm.* 4. *cap.* 3. *tom.* 1 *col.* 18.

(3) Sic Chamierus *Panstratiae lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 4. *tom.* 2. *pag* 289, Spanhemius *in Chamiero contracto lib.* 9. *cap.* 2. *pag.* 426. *opp. edit. Genev* 1645., Danaeus *ad* 3. *controv. cap.* 6. *pag.* 220. *tom.* 1. *respons. ad Bellarmin. edit Genev.* 1696.

(4) Ita Paulus Timotheum, et Titum, ac Joannes Evangelista plures in Asia Episcopos creavit. Consule Irenaeum *contr. haeres. lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 1 *pag.* 176. *edit. Venet.* 1734., Tertullianum *de praescript. cap.* 32. *pag.* 213., Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *pag* 81. *seq.* Idem ab aliis quoque Apostolis factum fuisse certum est; neque vero est opus, ut in re notissima utar testibus, non necessariis.

(5) Clemens I. Romanus Pontifex *epist.* 1. *ad Corinth.* apud eumdem Coustantium *loco mox indic.* graviter reprehendit Corinthios, quod facta seditione Presbyteros suo fungi munere prohibuerant, sibique arrogare ausi fuerant, quod ad Ecclesiae Praesides pertinebat. Multa sunt hujus similia exempla in historiis, quae cum pervulgata sint, nihil attinet describere.

III. §. De legibus vero quid dicam, quas numquam in rebus ecclesiasticis a populo latas, aut abrogatas constat, cum minus placere viderentur? Idem dictum volo de judiciis Praesulum ecclesiasticorum. Non enim unquam ab iis ad populum appellatum est, aut etiam inventus est aliquis, qui jure appellari posse contenderet. Ac ne fando quidem auditum est, quod populus ligarit, aut solverit, quem contra sacrorum Praesides aut solvendum, aut ligandum judicassent, vel quod Religionis negocia definiverit, vel quod illorum decreta improbanda judicaverit (1). Contra acta sunt omnia Episcoporum judicio, cui populus stetit; et ab illis multa sunt de religione, de ritibus, de disciplina in Conciliis vel explicata, vel constituta, quibus si quis parere recusavit, is meritis poenis affectus est. Quid quod Christianae plebi convenire nulla ratione potest, quod ea de rebus ecclesiae judicet, illaque doceat, atque constituat, quae ab universo Christianorum coetu observanda sunt? Verum si democraticum esset Ecclesiae regimen, ea certe potestate populus carere non posset. Quid rursus, quod Majoribus nostris populare imperium minime probatum est (2); et ideo persuadere sibi prorsus nemo poterit, eos hanc regiminis formam a Christo in Ecclesia constitutam existimasse?

(1) Imo vero populum semper ab Evangelistis vocari constat *gregem*, qui regi, pascique debeat. Vide Joannem *in Evangel. cap. XXI. vers.* 15. Matthaeum *cap. XVI. vers.* 19. *et cap. XVIII. vers.* 18. Act. *cap. XX. vers* 28.

(2) Consule S. Basilium *hom.* 8. *in Hexaem. num.* 4 *opp. tom.* 1. *pag.* 74., S Jo. Chrysostomum *Homil.* 3. *in Joan. num.* 5 *opp. tom.* 8. *pag.* 23. *seq.*, S. Ambrosium *in Hexaemer. lib.* 5 *cap.* 21. *opp. tom.* 1. *col.* 122. *num.* 68., S. Hieronymum *in Matth. cap.* 21. *col.* 172. *opp. tom.* 7.

§. IV. Quae ex sacris literis petuntur argumenta, ut omne imperium penes universum Christianorum coetum residere efficiatur, nihil ad rem faciunt. Non enim cum Christus jussit, ut qui frustra fratrem monuisset, rem omnem nunciaret Ecclesiae, quae reum emendaret, ac parere recusantem ethnici, et publicani haberet loco (1), totum coetum Christianorum, sed eorum praesides, atque re-

ctores Ecclesiae nomine intellexit. Nam in eos tantum, non in Communitatem universam puniendi reos contulit potestatem. Similiter quod in Actis Apostolorum (2) scriptum est, Episcopos, Diaconosque ab Ecclesia, hoc est a populo universo Christianorum electos fuisse, ex eo non efficitur, quod idem populus propriam aliquam in eo negocio potestatem exercuerit. Nam Apostoli hanc multitudini facultatem dederunt nominandi homines, quos Diaconatu dignos judicabant; ipsi vero, quibus solis ea potestas erat, electis Diaconis manus imposuerunt. Quin etiam in ipsis actis eorumdem Apostolorum (3) scriptum est, non a tota Ecclesia, sed ab Apostolis, hoc est Barnaba, et Paulo, datos fuisse Presbyteros iis Civitatibus, in quibus Christiani florerent. Qui autem Matthiam populi suffragio in collegium Apostolorum cooptatum contendunt, ii ne digni quidem sunt, qui refutentur. Ipse enim Apostolus est electus divina voluntate, quae per sortes significata est; neque apud Lucam, qui unus Apostolorum descripsit historiam hujus populi suffragii vestigium aliquod est (4). Consequenti vero aetate saepe a populo petitos Episcopos, qui magna virtutis fama praestarent, et saepe etiam illos, quos populus recte postulasset, datos constat; sed a populo suo lubitu electos, institutosque fuisse Episcopos, nusquam proditum memoriae est (5). Verum ea de re copiose opportuno loco, ac tempore disputabimus.

(1) Matthaei locus *cap. XVIII. vers.* 15. *seqq.* his est conceptus verbis, quae evidenter ostendunt, Ecclesiae nomine praesides, rectoresque significari, non item communitatem universam „. Si autem peccaverit in „ te, *inquit*, frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; „ si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel „ trium testium sit omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis quaecunque alligaveritis super terram, erunt „ ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta „ et in coelo „. Verba haec ad solos Apostolos pertinent; hinc S. Jo. Chrysostomus in hunc locum Matthaei *Hom.* 60. praesertim *num.* 2. *opp tom.* 7. *pag.* 607. *edit. Venet.* 1734. „ Dic Ecclesiae, *inquit*, hoc est praesidibus „.

(2) Act. Apostol. *cap. VI. vers.* 3. *seq.* Petrus Aurelius, quo nomine latet notissimus Abbas S. Cyrani *vindic. pag.* 28., et Quesnellus *discipl. Eccles. tom.* 1. *pag.* 28. ex eo, quod loco de Diaconis narra-

tur argumentum sumunt, ut suadeant, populum in sacrorum ministrorum electionibus partem habere consuevisse. Falso. Ac notus cuique est Laodicenus canon 13. *tom.* 2. *concil. Labbaei col.* 1534., quo sancitum est „ quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad „ Sacerdotium promovendi „.

(3) Ibid. *cap. XIV. vers* 22.

(4) Ibid. *cap. I. vers.* 15 *et seq.* Confer Pium VI. P. in Brevi *quod aliquantum* edito die 10. Martii 1791.

(5) Sunt autem qui abutuntur quibusdam Cypriani locis, ex quibus patet, eum solitum fuisse plebem de rebus Ecclesiae consulere: ex quibus efficere se posse censent, Cyprianum democraticum Ecclesiae regimen habuisse. Verum ex iisdem locis perspicuum est, id omne Cyprianum fecisse sponte sua, non quod ulla divina, aut ecclesiastica lege ab se faciendum crederet, ideoque quod gestum arbitrio est, ad legis necessitatem traduci non potest. Sunt autem pene innumera Cypriani loca, quae omnino jus democraticum tollunt, quaeque descripsit Mamachius *Origin. et Antiq. Christian. lib* 4. *cap.* 4. §. 2. *tom.* 4. *pag.* 432. *et seqq.* Videndus Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 8. *prop.* 3. *tom.* 3. *pag.* 116. *edit. Venet.* 1776.

§. V. In hunc eumdem Democraticorum errorem incidisse videtur Edmundus Richerius (1), qui statuit, ecclesiasticam jurisdictionem *primario*, *ac proprie*, *et essentialiter* a Christo fuisse tributam Ecclesiae, hoc est universis collectim ejus membris, Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis tantum *ministerialiter*, *et quoad exercitium* competere. Ergo si penes Ecclesiam, aut Universitatem tota potestas est, eaque ab ipsa Universitate conceditur Summo Pontifici, et Episcopis tamquam *ministris suis*, *democratica* prorsus erit christianae reipublicae gubernandae ratio. Nam cum in societate ea potestas inest universis collectim illius membris, a quibus ejusdem *usus*, *et exercitium* committitur certis quibusdam Magistratibus, haec certe respublica prorsus democratica habetur, et est revera. Atqui praeclara, et illustria sunt Evangelii loca, ex quibus manifestum est, Petro, et Apostolis omnem a Christo ἀμέσως *immediate* traditam potestatem, ut ea propter Ecclesiae bonum, utilitatemque uterentur, non ut in illa tamquam in ὑποκειμένῳ *subjecto* eadem resideret.

(1) Edmundus Richerius Syndicus Sac. Facultatis Parisiensis an. 1611. in lucem edidit libellum sine auctoris nomine impressum, quem inscripsit *de Ecclesiastica*, *et Politica Potestate*. Sed opus impium, et infensum non tantum Ecclesiasticae, sed etiam civili Potestati. quo Richerius Lutheri *de potest. Papae*, et Calvini *Instit. lib.* 4. *cap.* 6. §. 6. *seqq.* de cla-

ylum potestate a Christo Servatore Fidelium societati attributa errorem instaurare conabatur, Concilia provincialia duo an. 1612. habita, alterum Senonense cui praefuit Cardinalis Perronius, alterum Aquense damnarunt *ob multas „quas continet, propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, et ut sonant, haereticas, et impietatem, gravemque errorem sapientes tom.* 21. *Concil. Labbaei col.* 1535. *seqq.* Similiter Romae Paulo V., Gregorio XV, et Clemente XI. Summis Pontificibus una cum *demonstratione* sua idem libellus proscriptus est: historiam vero generalium Conciliorum a Richerio editam, in qua ipse libellum suum saepius defendit, Innocentius XI. an. 1681. speciali Brevi condemnavit. Praeterea complures praestantes doctrina, ac pietate viri contra hunc Richerii libellum calamum acuerunt, quos inter in primis nomerandi sunt Pelletarius, Durandus, Bacherius, Sirmondus, Spondanus, et praesertim Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, et Regius Professor Theologiae in Universitate Parisiensi. Fatendum tamen est, Richerium in eumdem errorem traxisse complures, qui vel ignorantia, vel studio rerum novarum, vel gloriae ambitione, vel odio in Summum Pontificem tam absurdam sententiam amplecti voluerunt. Sed scelerum praesertim impunitas, uti animadversum est ab Archiepiscopo Cameracensi *in Instructione Pastorali an* 1728., quam habere cupiunt omnes ii, qui nullam sibi vellent praecidi licentiam, libertatemque vivendi, praecipua fuit causa, propter quam non Richeriani solum, sed omnes etiam haeretici suam operam, studiumque posuerunt in tollenda, abrogandaque Episcoporum potestate Ita Lutherus, Calvinus, ceterique haeretici solum ministerium Summo Pontifici, atque Episcopis concesserunt, veram autem, propriamque jurisdictionem tribuerunt Ecclesiae, hoc est toti universitati. Neque enim haereses invalescere possunt, nisi evertatur potestas Episcoporum, quibus Christianus Populus subditur. Cum autem Richerius intellexit, libellum suum fuisse proscriptum, graviter ea de re conquestus est: Verum despectis hisce querelis jussu Regis, et decreto sacrae Facultatis Sorbonicae dejectus an. 1712. de gradu Syndici ejusdem Facultatis, quo antea fruebatur. Conjectus in has augustias Richerius, ut suae existimationi consuleret, omnemque ab se pravae doctrinae suspicionem removeret, declarationem, quam decennio ante Parisiensi Senatui obtulerat, anno 1622. suo Chirographo confirmavit, spondens, ac jurans, sese libellum *de ecclesiastica, ac politica potestate* scripsisse tantum, ut vetustam Parisiensis scholae sententiam patefaceret; de cetero sua quaeque opera catholicae Ecclesiae, Sedisque Apostolicae judicio subjecta esse velle, sese catholice explicaturum quidquid in eo libello aut paulo obscurius, aut minus accurate scriptum videretur. Eamdem hanc declarationem renovavit anno 1629. cum gravi nephritidis morbo laborans suam orthodoxam fidem omnibus exploratam, et manifestam esse vellet. Sed cum his declarationibus res non satis adhuc in illustri loco posita videretur, aliam quoque Richerius dedit coram Cardinali Richelio, quam declarationem ab invito, et repugnante metu extortam quidam putant, sed revera a volente sponte, ac libere emissam fuisse patet ex iis, quae a Duvallio in epistola dedicatoria operis in S. Thomam, aliisque probatae fidei Scriptoribus animadversa sunt. Denique moriens, cum quod intus inclusum animo geruit, omnes ingenue profitentur, an. 1631. Richerius scripto, quod in suo Musaeo reliquisse fertur, magis magisque intimos animi sui sensus pateferit. Cuncta haec, praeter ceteros, diligenter narrant Laurentius Veith, qui an. 1783. Augustae Vindelicorum librum edidit, cui titulus *Edmundi Richerii systemae confutatum,* et Mamachius *Origin. et antiqnit. Christian, lib.*4. *par,*

2. *cap.* 1 §. 4: *tom* 5. *pag.* 250. *seqq.*, qui etiam Richerii errores copiose refutarunt, quod inprimis cum illis, quos supra memoravi, etiam praestitit Dionysius Petavius *de ecclesias. hierarch. lib.* 3. *cap.* 14. *seqq. tom* 6. *de theolog. dogmat. pag.* 165. *seqq. edit. Venet:* 1757. Illud non omittam, quod est a Jo. Baptista Faure *init. dissertat advers. Richerist. tom.* 12. *Thesaur. Theolog. F. A. Zaccariae controv.* 2. *de ordin. opusc.* 4. observatum, post editum Richerii libellum fuisse complures, qui ejus doctrinam sequuti sunt, ac vix ullum sive ex Protestantibus, sive ex Catholicis fuisse, qui cum Ecclesiasticae, aut Politicae Potestati adversaretur, non aliquid ex Richerio profecerit. Prae ceteris Richerii errores magno studio propagarunt Janseniani, genus hominum utrique Potestati infensissimum; in iisdemque erratis haesit Van-Espenius *in tract. de censur. cap.* 2. §. 1., et Justinus Febronius in damnato opere *de Statu Ecclesiae, et legitima potestate Romani Pontificis.*

§. VI. Sane aut uni Petro singillatim, aut conjunctim cum eo solis Apostolis a Christo dicuntur omnia, quibus universa potestas continetur. Unum Petrum immediate respiciunt verba: „ Tu es Petrus, et super hanc petram ae„dificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praeva„lebunt adversus eam„ et„ Tibi dabo claves Regni coelo„rum „ (1) Christus hic aperte distinguit quid Petri, et quid totius Ecclesiae proprium esse vellet. Hanc super Petrum aedificari vult, et *adversus eam* super Petrum aedificatam numquam portas Inferi praevalituras promittit; sed cum de clavibus agit, *tibi*, inquit, non ei, *claves*, hoc est totam potestatem *dabo.* Atque haec quidem Christus loquutus est, antequam cruci affixus moreretur. Posteaquam vero e mortuis surrexit, cum ter a Petro sui amoris significationem postulasset, *pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas* (2). His quidem verbis *pascendi*, hoc est *regendi* (3) et agnos, et oves, nimirum totam Ecclesiam, potestas a Christo ipso Petro *immediate* conceditur. Quod si Petrus ab ipso Christo regendi Ecclesiam accipit potestatem, quis dicat, hanc ei datam ab Ecclesia, cujus ipse Rector a Servatore ipso Christo constitutus est?

(1) Matthaeus *cap. XVI. vers.* 18. et 19.
(2) Joannes *cap. XXI. vers.* 15. *seq.*
(3) Confer quae dicta sunt *cap.* 2. §. 18. *not.* 3.

§. VII. Ad omnes universim Apostolos pertinent verba „ sicut misit me pater, et ego mitto vos: Euntes ergo do-

„ cete omnes gentes: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt„ His quidem verbis omnis potestas comprehenditur, eaque solos attingunt Apostolos, non item fidelium multitudinem, atque universitatem, quamquam illa iisdem Apostolis concessa potestas ad totius Ecclesiae commodum, atque utilitatem, tamquam ad finem, referatur. Itaque Paulus se munus suum, et Apostolatum, nimirum Fidelium regendorum potestatem, non ab Ecclesia, sed *immediate* a Jesu Christo, ac Deo Patre accepisse testatur (1); tum Episcopos alloquens eos a Spiritu Sancto positos affirmat *regere Ecclesiam Dei* (2). Atque in hoc quidem constans, et firma Patrum omnium sententia est (3), tantum Ecclesiae Praepositis, non toti universitati omnem a Christo fuisse tributam potestatem, ita ut illi jubendi auctoritatem habeant, ceteri omnes parendi onere teneantur.

(1) Paulus *ad Galatas cap.* 1. *vers.* 1.

(2) Act. Apostol. *cap. XX. vers.* 28.

(3) Consule Cyprianum *ep.* 73 *ad Jubajan. pag.* 308., Origenem *Commentar. in Matth. tract. seu tom.* 12. *num.* 14 *pag.* 530. *tom* 3. *opp.*, S. Basilium *ep.* 42. *ad Chilonem num.* 4. *pag.* 128. *opp tom.* 3. *ep.* 69. *num.* 1. *pag.* 161. *ep* 161. *ad Amphilochium num.* 2. *pag.* 252., S. Ambrosium *de Paeniten. lib.* 1. *cap.* 2. *num* 7. *pag.* 496. *et ep.* 21. *num.* 4. *pag.* 910. *opp. tom.* 3., S. Optatum Milevitanum *contra Donatist lib.* 2. *pag.* 35. *et lib.* 7. *pag.* 129., S. Pacianum *epist.* 1. *ad Sympronianum tom.* 4. *Biblioth. PP. pag.* 306. *seq. edit. Lugdun.* 1677., S. Joannem Chrysostomum *de Sacerdot. lib.* 2. *num.* 2. *pag.* 372. *et lib.* 3. *num.* 5. *pag.* 383. *opp. tom.* 1., S. Gregorium M. *ep.* 20. *lib.* 5. *opp. tom.* 2. *col.* 747. *seqq.* Mitto cetera Patrum, aliorumque testimonia, quae laudant Mamachius *ep.* 3. *ad Justin. Febron. tom.* 2. §. 4. *et* 5. *num.* 11. *seqq. pag.* 182. *seqq.*, *Zaccaria Anti Febron. vindic. par.* 1. *dissert.* 2. *cap.* 2. *et* 3. *pag.* 240. *seqq.* Veith *Richer. system confut. sect* 2. *art.* 2. §. 25 *pag.* 68. *seqq.* Atque id quidem docent, semperque docuerunt singulae Ecclesiae in toto orbe diffusae, quarum doctrinam collegit Mamachius *loc. cit.* §. 2. *et seq. pag.* 74. *seq.*

§. VIII. Quod si S. Augustinus, et quidam alii Patres alicubi affirmant, claves regni Coelorum, hoc est ecclesiasticam jurisdictionem, in Petro fuisse datas Ecclesiae, quam Petrus ipse repraesentabat, id non ab iis dictum est, quasi non Petro immediate, uti ostendunt ea verba *Tibi*

dabo claves, potestatem a Christo attributam putarint. Nam ita loquuti sunt Patres, primum quia Petro unitatem, ac typum Ecclesiae gerenti datae sunt claves non propter ipsum, atque ejus gratia, sed propter bonum Ecclesiae universae; deinde quia vera ecclesiastica Jurisdictio nonnisi in Ecclesia, atque in unitate cum Petro residere potest; postremo ut pateat, eamdem jurisdictionem ecclesiasticam non ita affixam, et addictam fuisse uni Petro, ut eo mortuo etiam illa periret, neque amplius in Ecclesia remaneret. Ergo datam Ecclesiae potestatem tradunt, ut ostendant, eam perpetuo habere ejusdem potestatis, dignitatisque successores; quemadmodum cum dicimus, alicui nationi regiam potestatem fuisse concessam; id dicimus, ut significemus, esse aliquem, qui in ea natione regnet, atque hanc potestatem non modo exerceat, sed etiam in se haerentem, ac residentem circumferat (1).

(1) Vide Petavium *tom.* 6. *Theolog. Dogmat. lib.* 3. *cap.* 16. *de eccles. hierarch. num.* 8. *pag.* 172. *seqq.*, et Petrum Ballerinium *de potest. eccles. Sum Pontif. et Concil. gener. cap.* 1. §. 1. *et seq. pag.* 1. *seq. edit.* 1770.

§. XI. Democraticos sequuntur proxime, qui errore pari aristocraticum Ecclesiae regimen, et administrationem faciunt. Sunt autem catholici, qui puram respuentes aristocratiam, quae divinae Primatus institutioni adversatur, Ecclesiae gubernationem ad monarchiam aristocratia temperatam redigendam putant. Quae sententia orta est potissimum ex potestate Episcoporum, qui in oecumenico Concilio congregati sunt, quosque aliqui uti supra animadvertimus, Summo Pontifice superiores existimant. Verum sive Pontifex oecumenico Concilio, sive Pontifice ipsum Concilium praestet, nullus ea de causa esse potest huic temperationi locus. Nam si Pontifex Concilio superior habeatur, monarchicum erit Ecclesiae guberniuum; contra vero aristocraticum erit, si summa potestas penes Concilium residere dicatur; quoniam monarchicum esse constat regimen, in quo unus ceteris imperat, aristocraticum, cum plures optimates summam obtinent potestatem. Nos, qui summum Pontificem Concilio praestare, imo nullum sine

eo oecumenicum Concilium haberi posse defendimus, haud sane offendimus eosdem scopulos ; nam hujus sententiae consequens est necessarium, ut penes Pontificem summa potestas sit, ideoque monarchica Ecclesiae gubernatio haberi debeat (1). Neque vero cum Pontifici summam potestatem attribuimus, ita imminuimus Episcoporum dignitatem, ut eos ad oecumenicum Concilium nonnisi a Pontifice vocatos, non item jure suo venire dicamus, aut in eodem Concilio non veros esse judices, sed tantum illius consiliarios, et administros. Sane cum oecumenica Synodus a Summo Pontifice indicta est, ad eam omnes, qui in catholica Ecclesia sunt, Episcopos suo jure proprio, ac nativo venire posse censemus, atque hoc quidem est jus originarium, et primigenium, quod habent Episcopi, tamquam membra collegii Episcopalis, in quod Christus regendae Ecclesiae contulit potestatem. In hoc autem conventu Episcopi veri judices sunt, modo eorum fides cum fide successorum Petri consentiat ; quoniam procul ab hoc centro vera fides haberi non potest.

(1) Videndi sunt, praeter Bellarminum, Orsium, Ballerinium, ceteros magno numero, qui de suprema Romani Pontificis in tota Ecclesia auctoritate libros evulgarunt, Gallus Cartier *Auctoritas, et infallibilitas, Sum. Pontif.*, Christianopolus *de potest. ecclesiast. diatrib.*, Arbustus *de ration. gerend. Eccles. deque Pontif. Max. in christian., republ. jur. et potest.*, Auctor libri Faventiae editi an. 1779. cum titulo *Romani Pontif. summa auctor. jus et praestantia*, Auctor operis *De suprem. Rom. Pontif. auctor. hodier. Eccles. Gallican. doctrin.*, et Cl. Soldatus Sac. Indicis Congreg. Secretarius *de Rom. Pontif. suprema potestate.*

§. X. Ita Pontifex, qui jure Primatus cogere omnes potest ad eamdem retinendam fidem, in qua ipse versatur, summam habet potestatem, ideoque nonnisi monarchica Ecclesiae gubernatio judicari debet. Quamquam qui hoc varium, et mixtum ex utroque genere, monarchicum, et aristocraticum regimen probant, ut integra sit potestas, ac dignitas capitis, et membrorum, hoc est Summi Pontificis, et Episcoporum, ii non modo infinitae sapientiae Deo illam adscribunt reipublicae gubernandae rationem, quae ceteris deterior est (1), sed eum etiam ita Ecclesiam instituisse existimant, ut in ea essent duae summae potesta-

tes, quas inter dissensio, ac pugna oriretur. Certum porro est, Christum, praeter ligandi, et solvendi potestatem, etiam claves regni Coelorum dedisse Petro, eum praeterea ceteros fratres confirmare voluisse, eique regendos commisisse omnes agnos, et oves, hoc est omnes, quos Ecclesia complectitur. Ergo dubitari non potest, quin haec Petri potestas summa sit, eique super omnes tributus sit Principatus. At etiam reliquis Apostolis data est ligandi, et solvendi facultas, omnes missi sunt in mundum universum, omnibusque data potestas amplissima, quae nullis plane finibus cohibetur. Quis hoc negat? Verum uni Petro expresse datae sunt claves (2), quae proprie designant praecipuam potestatem, et imperium, ipseque unus jussus est confirmare fratres, ac regere omnes homines, quotquot Christiana republica continentur. Haec, quae unius Petri sunt propria, sine dubio designant Principatum in Ecclesia universa. Si Christus et omnibus Apostolis amplissimam tribuit potestatem, eam tribuit, ut in suo genere ampla sit, quantum libet, sed semper subjecta sit Petro, qui rector, caputque omnium constitutus est. Hinc eamdem potestatem in Apostolos contulit conjunctim cum Petro, non ab eo separatim, ut ostenderet, amplissimam esse Apostolorum potestatem, si cum omnium capite, et rectore conjuncti essent, nullam, si ab eo disjungerentur. Quod dictum volo, uti etiam superiori loco animadversum est, non ut in dubium revocare videar fidem Apostolorum, qui cum Spiritu Sancto instincti essent, a Petro sejungi non poterant; sed ita Christus egit, ut omnes noscerent, nullam esse in Episcopis regendae Ecclesiae auctoritatem, si a Petri successoribus disjungerentur.

(1) Consule Cardinalem Orsium *de Rom. Pontif. auctor. lib. 7. cap.* 2. *pag.* 576. *seqq.*

(2) » Traditio clavium » inquit Lamyus *in Harmon. lib.* 4. *cap.* 17, » symbolum est potestatis; claves summam potestatem significant. Hinc » traduntur claves, cui committitur familia administranda, cujus potesta» tis debet esse admittere, vel excludere domo ». Itaque Christus cum Petro dixit *tibi dabo claves etc.* perinde est ac si disertius dixisset, ut ait Calmetus in hunc locum Matthaei: » tu deferes clavem Ecclesiae meae, » regnique caelestis; tu aperies, et claudes, ac nulli subditus eris mini» stro, cui rationem sis redditurus » Plura de hac clavium potestate superiori loco dicta sunt.

§. XI. Non igitur duae sunt in Ecclesia summae Potestates, ita ut altera alteri adversari possit, et in illa earum pugna, et discordia confusio aliqua exoriatur. Una est summa potestas Ecclesiae Principis, cui Christus eamdem attribuit et singillatim, et conjunctim cum aliis Apostolis; quo fit, ut Romanus Pontifex utroque hoc jure a Christo donatus et illam exercere solus, et cum aliis Episcopis conjunctim possit. Quis cum ea potestate, quae et separatim, et conjunctim summa est, conferendum putet collegium Episcoporum, quorum summa est auctoritas tantum si cum Ecclesiae Capite conjuncti sint? Qua in re mira, ac plane singularis divini consilii sapientia est. Praeviderat sane Christus fore, ut in Ecclesia haereses nascerentur, ideoque unum semper adesse voluit omnium caput, principem, et judicem, qui statim sine aliena ope, et consilio malum omne depelleret, ne diu toleratum radices ageret, eique sero remedium quaereretur. Sed et prospexit, fore aliquos animo ita obstinato, et pervicaci, qui adhuc resistentes judicio, quod Ecclesia per suum caput emiserat, sententiam etiam quaererent expressam omnium Episcoporum; hinc ipsis cum suo capite conjunctis, hoc est universo eorum collegio, eamdem dedit facultatem, quam eorum capiti attribuerat. Non haec a Christo sunt gesta, quasi ipse ad confirmandam fidem, erroresque profligandos necessarium putaret conventum omnium Episcoporum; nam huic rei satis ipse per unum Petrum consuluerat (1); sed ut perditis hominibus quaerentibus expressam voluntatem totius Ecclesiae hanc etiam praecideret tergiversandi viam. Ex quo intelligimus, generale Concilium ad nullam fidei controversiam, quantumvis obscuram, definiendam *absolute* esse necessarium; quamquam valde utile sit, et interdum etiam pro temporum ratione ad magis convincendos ipsa facti evidentia pervicaciores fieri necessarium possit (2).

(1) Hinc Augustinus *serm.* 131. *de verb. Evangel. Joan, cap.* 10. *opp, tom.* 7. *col.*645., et Prosper Aquitanus *contr. collator. cap.*21. *in append: opp. Augustin tom.* 17. *col.* 2884. cum damnata a Romanis Pontificibus Pelegiana haeresis fuisset, causam finitam esse dixerunt, neque ullum amplius ea de re disputationi locum esse posse. Et S. Thomas sequutus consentientem

sententiam omnium Patrum 2. *par.* 2. *quaest.* 1. *art.* 10. *in corp.* » Nova, » *inquit*, editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. » Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctorita» tem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus » inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi » Pontificis ». Videndi sunt, praeter ceteros, Flavianus Episcopus Constantinopolitanus *ep. ad S. Leoaem tom.* 1. *opp. S. Leonis col.* 788. *edit. Ballerin.*, Zosimus *ep* 12. apud Coustantium *col.* 975., Coelestinus *in commonit. Episc. et Presbytec. euntibus ad Orient. ibid. col.* 1152., Leo M. *ep.* 93 *ad Synod. quae Nicaeam primum etc. col.* 1071. *edit. cit.*, ac, ne omnes memorem, Clemens VI. *in epist. ad Armenor. Patriarch.* apud Raynaldum *ad an.* 1351. *num.* 2. *seqq. tom.* 6. *Annal. Eccles. pag* 528. *seqq. edit. Lucae.* Ipse quoque Justinianus Augustus *ep. ad Hormisdam P. tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 650. solam Romani Pontificis auctoritatem ad profligandas haereses, turbasque in Ecclesia comprimendas, et reprimendos haereticos satis esse declaravit; quin etiam Eutherius Thyanensis, et Helladius Tharsensis, licet schismate impliciti essent, idipsum confessi sunt *in epist. ad Xystum III. aua.* 2. apud Coustantium *col.* 1246., ac Caelestius » Beati Papae Innocentii literis non est ausus obsistere; immo » se omnia, quae Sedes illa damnaret, damnaturum promisit » uti testatur Augustinus *de peccat. original. cap.* 7. *opp. tom* 13. *col.* 319. Est et alius ea de re praeclarus Augustini locus *contr. Julian lib* 1. *cap.* 4. *num.* 13. *tom.* 13. *col.* 623., quem adversus repugnantes judicio Sedis Apostolicae edito *in Constit. Unigenitus* laudat Cardinalis de Fleuri tunc Forojuliensis Episcopus *in maadat. Pastor. aa.* 1714. *collect. mandator. pag.* 298. his verbis » Saint Augustin, s'ils vouloient (*les refcactaires*) l'écouter, » leur apprendoit aussi le respect, qu'ils doivent avoir pour le S. Siége; si » l'Eglise d'Orient, dit il à Julien, ne s'est pas encore expliquée contre » vos erreurs, je crois qu'il doit vous suffire, que cette partie du monde, » dans la quelle Dieu a voulu honorer de la couronne du martyr le pre» mier de ses Apôtres, et á la quelle le Saint Pontife Innocent preside, » se soit declarée contre vous ».

(2) Videsis Bellarminum *de Concil. lib.* 1. *cap.* 10. *opp. tom.* 2. *pag.* 7. *seqq. edit. Venet.* 1721., Orsium *de Rom. Pontif. auctor lib.* 1. *cap.* 15. *art.* 1. *tom.* 1. *par.* 1. *pag.* 167. *seq.* et *cap.* 24. *art.* 1. *pag.* 390. *seqq. et lib.* 2. *cap.* 20. *tom.* 1. *par.* 2 *pag.* 331. *seqq. edit. Romae* 1739., Zaccariam *in Anti-Febron. vindic. par* 2. *dissert.* 5. *cap.* 7. *tom.* 2. *pag.* 454. *seqq. edit. Caesenae* 1777. Charlasium *de libert. Eccles. Gallican. lib.* 7. *cap.* 14., Thomassinum *dissert.* 18. *in Sinod. Romaa. num.* 110., et Auctorem operis *de Rom. Pontif auctor Eccles. Gallic. sentent lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 23. *seqq. edit. Avenion.* 1747. ubi multa ea de re Gallicanae Ecclesiae testimonia describuntur. Ex his autem seligam Senonensem Archiepiscopum, qui *epist.* 3. *ad Episcopum Bononiensem pag.* 16. et 17. inquit „ Il y a toujours dans l' Eglise une autorité visibile, à la quelle il „ faut ceder sans examiner. il faut, que cette autorité soit sans interru„ ption, et qu' il n' y ait aucun tems où elle ne subsiste; ce n' est „ donc point le Concile général, qu' il faut attendre „.

§. XII. Quae cum ita sint, nihil certe summae Primatus potestati detrahit potestas omnium simul Episcoporum, qui in generali Concilio congregati sint; et ideo dubitari

non potest, quin monarchica Ecclesiae gubernatio haberi debeat; quam quidem regendorum humanorum coetuum rationem praestantissimam Majores nostri habuerunt (1). Quod si cui forte ambitiosum, aut invidiosum videatur Monarchiae vocabulum, cujus apud antiquos Patres nulla mentio est, nihil sane nos de vocabulo laborabimus, modo res ipsa habeatur. Nam quando constat, idque antiqui Patres uno omnium consensu tradiderunt, Romanum Pontificem esse caput, ac Principem Ecclesiae, omniumque summum moderatorem, consequens est, ut penes eum summa potestas sit, ideoque Ecclesiae regimen illud sit regimen, in quo unus ceteris imperat, et quod usitato vocabulo monarchicum appellamus.

(1) Praeclare S. Thomas *contr. gent. lib.* 4. *cap.* 76. *num.* 2. » Ad. » unitatem Ecclesiae requiritur, *inquit*, quod omnes fideles in fide con- » veniant. Circa vero ea, quae fidei sunt. contingit quaestiones moveri; » per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in uni- » tate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ec- » clesiae conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiae praesit „ *et num.* 3. In hoc toto argumenti genere, praeter Cardinalem Orsium *de Rom. Pontific. auctor. lib.* 7. *cap.* 1. *et* 3. *pag.* 561. *seqq.* et 597. *seqq.*, aliosque complures, solide graviterque versatur Mamachius *origin. et antiquit. christian. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 1. §. 1. *seqq. pag.* 2. *seqq. tom.* 5.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAPUT X.

§. I.

Esse in Ecclesia certum regimen a Christo constitutum, et esse Magistratus ab eodem Christo datos, qui hanc hominum societatem moderentur, et regant, ex iis, quae hactenus disputavimus, manifestum est. Qua in re non omnium eadem est potestas; sed certi quidem gradus a Christo ipso sunt positi, ut omnis recte constet ecclesiasticae administrationis ratio. Christus, qui Ecclesiam instituit societatem hominum; quorum finis aeterna salus est, duo curare debuit, et infinita illa, qua praestat, sapientia curavit revera, scilicet, ut ea societas recte, atque ordine regeretur, omnesque sub suis Rectoribus ad fidei, communionisque unitatem sub uno communi centro conspirarent, ac spiritualibus bonis abundarent. Ex de causa duplicem instituit potestatem, alteram jurisdictionis, quae Ecclesiae regimen, administrationemque respicit, alteram ordinis, quae pertinet ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona Christiano populo tribuenda, maxime sacramenta, quae sunt pignora divinarum promissionum, et remedia ad animarum salutem vel tuendam, vel recuperandam, et vincula christianae societatis. In utraque hac potestate certos constituit gradus, ut non omnes in ea similes haberentur. In potestate jurisdictionis Petrum omnibus su-

periorem esse voluit, post eum ceteros Apostolos: in potestate ordinis cunctis praestare voluit Episcopos, post eos Sacerdotes, postremo ministros, qui divina ordinatione in Ecclesia sunt. Series haec, et distributio potestatum, munerumque ecclesiasticorum Hierarchia appellatur, quam quidem divinitus esse institutam, inter catholicos omnes constat (1).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *can.* 6. „ Si quis dixerit, *inquit*, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, et Presbyteris, et Ministris, anathema sit „.

§. II. Non defuere tamen, qui Hierarchiae vocabulum in Christianam Rempublicam cadere apte posse negarunt, primum quia vetusti Patres numquam eo vocabulo usi sunt, quod primus introduxit Pseudo-Areopagita Dionysius, quem quinto Ecclesiae saeculo vixisse arbitrantur; deinde quia Hierarchia significat sacrorum principatum, qui sine imperio consistere non potest, et vero Christus Dominus imperium circa sacra procul esse voluit a republica Christianorum. Itaque illam ejusdem reipublicae administrandae rationem *ἱεροδιακονίαν*, hoc est *sacrum ministerium* appellandam putant, non item *ἱεραρχίαν*, sive *sacrorum principatum*. Verum cum certum sit, a Christo datam fuisse Apostolis, eorumque successoribus rerum sacrarum, christianaeque Ecclesiae administrandae potestatem, nihil certe impedimento esse potest, quominus haec regiminis, administrationisque ratio, et *οἰκονομία* Hierarchiae nomine appelletur. Neque vero nos acriter de voce pugnamus, modo certa sit res, quae voce ipsa designatur. Itaque si Pseudo-Areopagita, qui certe non videtur quarto saeculo antiquior (1), primus eam vocem adhibuit, nihil id quidem refert, cum res ipsa ex sacrorum Bibliorum auctoritate, atque ex constanti Majorum nostrorum traditione compertissima sit. Quid quod et antiquiores, et recentiores Areopagitae Patres sacri Principatus disertissime meminerunt, atque Episcopos et Principes, et Hierarchas appellarunt (2)? Quod autem addunt, Christum noluisse Apostolos, eorumque successores principatum, et imperium obtinere, id non eo spectat, ut illos exercere prohibuerit potestatem, quam ipse dederat; sed pertinet ad imperium cum superbia, fastuque, et

pecuniae cupiditate conjunctum (3); a quo imperii genere non modo Episcopi, sed etiam Christiani omnes abhorrere debent (4).

(1) Confer Michaelem Le-Quienium *dissertat. Damascen*. 2. *num*. 10. *seqq. tom*. 1. *opp. S. Jo. Damascen. tom*. 1. *pag. XLV. seqq. edit. Venet*. 1748., et Bernardum de Rubeis *singulari dissert.*, *quam descripsit in calce oper. S. Dionysii Areop. Venet. edit an*. 1755. *tom*. 2. *pag*. 434.

(2) Videsis Origenem *Homil*. 11. *in Hieremiam num* 3. *opp. tom*. 3. *pag*. 189. *edit. Paris.*, Gregorium Nazianzenum *orat*. 19. *de fur. Patr. pag*. 314. *edit. Colon*. 1790., Eusebium *Histor. Eccles. lib*. 6. *cap*. 28. *pag*. 285. *et lib*. 8. *cap*. 1. *et* 3. *pag*. 329. 330. 332. *et de Martyr. Palaestin. pag*. 358. *edit. Taurin*. 1746., Optatum Milevitanum *de schism. Donatist. lib*. 1. *pag*. 10. *edit. Paris*. 1676., Jo. Chrysostomum *Homil*. 3. *ad popul. Antiochen. opp. tom*. 2. *pag*. 38. *edit. indic.*, Auctorem Homiliae *de Joanne Theologo tom*. 6. *opp. S. Jo. Chrysostom. pag*. 772., Sophronium Episcopum Hierosolymitanum *ep. quae extat in actis Concilii oecumenici VI. Constantinopolit. an*. 681. *tom*. 7. *concil. Labbaei col*. 1122., Felicem III. Summum Ponticem *epist*. 5. *ad Zenonem Imper. ibid. tom*. 5. *col*. 163., Concilium Nicaenum II. *can*. 2. *ibid. tom*. 8. *col*. 1246., Hugonem Victorinum *lib*. 4. *adnot. in Dionys. de coelest. Hierarch. tom* 1. *opp. pag*. 505. *seqq. edit. an*. 1748., Thomam Aquinatem *p*. 1. *q*. 108. *art*. 1. *et* 2., *et opusc*. 19. *quod est contr. impugnan. religion*. Mitto ceteros, quos collegit Hallierus *de Hierarch. eccles. lib*. 1. *cap*. 2. *pag*. 6. *seqq. et cap*. 4 *pag*. 11. *seqq. edit. Paris*. 1656.

(3) Videndus, praeter ceteros, Mamachius *Origin.*, *et antiquit. Christian. lib*. 4. *cap*. 2. §. 4. *tom*. 4. *pag*. 143. *seqq.*

(4) S. Petrus Apostolus *ep. I. cap. V. vers*. 3. *seqq*. Qua in re praeclara sunt Basilii, Leonis M., Augustini, multarumque Synodorum loca, quae collecta sunt a Mamachio *loc. cit. pag*. 145.

§. III. Esse igitur in Ecclesia Principatum, et Hierarchiam, eamque divinitus institutam, certum est. Christus, uti supra animadvertimus, in hierarchia jurisdictioni duos tantum posuit gradus, hoc est Primatis, et Principis totius Ecclesiae; atque Episcoporum; tres autem in hierarchia ordinis, nimirum Episcopos, Presbyteros, Ministros. Sed Ecclesia in Hierarchia jurisdictionis medios quosdam constituit gradus Primatu inferiores, superiores tamen Episcopis; quoniam, aucto Christianorum numero, et numerum oportuit amplificare eorum, a quibus ii regerentur. Similiter in ordinis Hierarchia certa, atque explorata est divina institutio, et ordinatio Episcoporum, Presbyterorum, Ministrorum; sed tamen solos Diaconos Christi jussu, et accepta ab eo potestate ab Apostolis institutos fuisse constat. Non idem vero dici potest de reliquis ministris Diaconatu inferioribus, quorum divinae institutionis nullum in sacris literis indicium est. Itaque multi

eorum initium adscribunt Ecclesiae (1); quin et ii. qui primam illam, et adumbratam eorum originem a Jure Divino repetendam putant, inficiari non possunt, perfectam illam singulorum distributionem ab Ecclesia procedere. Scilicet initio Diaconi fungebantur omnibus muneribus, quae nunc minorum propria sunt ministrorum; sed cum Diaconi pares non essent cunctis illis muneribus obeundis, Ecclesia veluti partes quasdam ex Diaconatu decerpsit, ac pro singulis proprios ordines instituit (2). Itaque minorum ministrorum institutio ad Jus Divinum referenda est, quatenus eorum munera Diaconatu comprehendebantur; sed illa propria, ac peculiaris institutio, partitioque singulorum ab Ecclesia absoluta est.

(1) Confer quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 2. *sect.* 2. §. 28. *tom.* 1. *pag.* 146. *seqq. edit. Romae* 1792.

(2) Dicendum, *inquit.* S. Thomas *in* 4. *dist.* 24. *quaest.* 1. *art.* 2. *quaestiunc.* 2. *ad* 2., quod in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministro„rum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur . . . . Nihilo„minus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una Diaconi „potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia quod „implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis „. Illud vero animadvertendum est, quod si Ecclesiae adscribatur minorum ordinum institutio, per eos non confertur gratia, quam Ecclesia adjungere non potest signis sensibilibus ab se institutis.

§. IV. Jamvero in Hierarchia jurisdictionis Ecclesia inter Summum Pontificem Ecclesiae caput, ac Principem, interque Episcopos medios posuit Patriarchas, Primates, Exarchos, Archiepiscopos, seu Metropolitas. Hi sunt omnes e collegio Episcoporum, in quo Christus omnem post Primatem ecclesiasticam jurisdictionem residere voluit, et quamquam ceteris Episcopis pares ordine sint, superiores tamen sunt imperio, et jurisdictione. Potestas capitis, et Primatis Ecclesiae nullam umquam habuit mutationem, neque vero habere aliquam poterat; nam ei Christus Principatum attribuit totius Ecclesiae, neque huic principatui quidquam addi, aut ex eo detrahi quidquam potest. Sed Episcoporum jurisdictio pluries est et arctata angustius, et explicata latius, ut rerum, ac temporum ratio postulare videbatur. Nam Christus voluit quidem Episcoporum collegium habere in Ecclesia jurisdictionem; sed minime in singulis ejus fines, modumque

definivit, uti definite constituit jurisdictionem capitis, quae est in Ecclesiam universam. Quare eadem Ecclesia, collegium scilicet Episcoporum cum suo capite conjunctorum, aut ipsum ejus caput, et princeps, pro re nata et arctavit, et produxit hanc jurisdictionem, quae cum tota pendeat ex imperio in subditos, prout major est eorum, minorve numerus, ita eadem aut amplior, aut angustior esse potest. Sane Paulus extraordinario illo, quo fruebatur, Apostolatus jure Titum Cretae Episcopum creavit, eique alios in eadem Insula Episcopos creandi potestatem attribuit. Titi jurisdictio tantum continebatur illa Insula, quam ipse regendam acceperat, et Episcoporum, quos ipse constituerat, jurisdictio cohibebatur finibus ejus regionis, quae singulis tributa fuerat. An non potuisset Paulus ad alias quoque regiones Titi jurisdictionem producere, an non et eidem Tito licuisset Episcopis ab se constitutis ampliorem terrae tractum assignare? Ita latius patuisset horum omnium potestas, quam minor subditorum copia angustiorem fecit.

§. V. Hinc initia ducuntur Metropolitarum, quorum amplior est, quam Episcoporum jurisdictio, quia plures habent subditos, quos regant (1). Nihil ea de re, quod hominum memoriae tradiderint Evangelistae, statutum est a Christo Servatore, cui ad fundandam Ecclesiam satis fuit Primatum in Petro, ejusque successoribus, atque Episcopatum in Apostolis, et eorum successoribus constituere; sed iidem Apostoli, propagata Ecclesia, ut recte ejus regiminis ratio consisteret, adumbrarunt jus metropoliticum, quod postea definite ab illa constitutum est. Idem debet esse judicium de origine Patriarcharum; de quibus etiam nihil a Christo sancitum est. Sed cum aequum esset, quod Sedes, quas Petrus speciatim rexerat, praecipuo quodam honoris, et jurisdictionis gradu eminerent (2), iisdem est concessa dignitas Patriarchatus, cujus illustrior est gradus, et amplior jurisdictio, quam Metropolitarum. Sunt haec initia Patriarchatus, qui diu fuit affixus tantum tribus Sedibus, quibus Petrus speciatim praefuerat, nimirum Romanae, Alexandrinae, Antiochenae, licet progressu temporum Ecclesia aliis quoque Sedibus eamdem dignitatem concesserit. Nam primum ea data est Episcopo Con-

stantinopolitano, quod is praeesset Civitati, quae nova Roma. Sedesque Imperatoris erat (3), deinde Episcopo Hierosolymitano, quam Civitatem praecipuo quodam honore semper omnes prosequi consueverunt propter memoriam eorum, quae Christus in ea gessit (4). Ita ab Ecclesia in ipso Episcopatu plures sunt constituti gradus jurisdictionis. Amplissimam habent Patriarchae, qui pluribus provinciis praesunt, minus amplam, quam hi, Metropolitae, qui uni provinciae sunt praepositi, angustiorem, quam hi duo, simplices Episcopi, qui minorem terrae tractum imperio tenent.

(1) Titum toti Insulae Cretae, Timotheum omni fere Asiae a Paulo praepositum fuisse certum est, idque etiam tradunt Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 81. *edit. indic.*, et S. Joannes Chrysostomus *homil.* 1. *in Titum num.* 1. *opp. tom.* 11. *pag.* 729. *et homil. in I. ad Timoth. num.* 2. *pag.* 637. *tom.* 11. An non haec utriusque jura metropolitica fuerunt, quoniam uterque praefuit toti provinciae, et Episcopis, quos ipsi accepta ab Apostolo potestate in civitatibus constituerunt? Hinc juris metropolitici originem ab Apostolis repetunt Jacobus Usserius *de origin. Episcop. et Metropolit.*, Guillelmus Beveregius *d. Canon. vindic. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2 *pag.* 9. *edit. Ansterp.* 1698., Henricus Hammondas *praefat in epist. ad Tit. in Nov. testam. tom.* 1. *pag.* 295. *edit. Amstelod.* 1698. *dissert.* 4. *contr. Blondel. cap.* 5. *pag.* 189. *edit. Londini* 1651., Petrus de Marca *concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 9. *pag.* 300. *edit. Roboreti* 1763., Selvagius *Antiquit. Christian. lib.* 1. *cap.* 20. §. 2. *tom.* 1. *pag.* 184. *edit. Patav.* 1780. aliique complures. Sed quamquam ab Apostolis in Tito, ac Timotheo, et fortasse etiam in quibusdam aliis ab se constitutis Episcopis specimen aliquod Metropoliticae dignitatis relictum fuerit, tamen ab iis in singulis provinciis minime constituti videntur Metropolitae, quales postea fuerunt; sed res ab iisdem tantum adumbrata est, deinceps vero ab Ecclesia absoluta, quae valde probabilis est sententia Petri de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib et cap. cit. n.* 3. *pag.* 298. Cum enim schismata, et haereses interdum erumperent, interque ipsos Episcopos controversiae orirentur, visum est unum aliquem Episcopum in singulis provinciis constituere, qui ceteris praeesset, et omnium dissidia componeret, videretque, ne quid res Ecclesiae caperent detrimenti. Quae praerogativa data est Episcopo Metropoleos, unde ortum est Metropolitae nomen, qui ita „ vocatur, eo quod praesideat illi Civitati, quae ceteris civitatibus in eadem » provincia constitutis quodammodo mater sit » ut inquit Rabanus *de Instit. cleric. lib.* 1. *cap.* 5. *opp. tom.* 6 *pag.* 5. *edit. Colon. Agrippin.* 1627. Id vero factum videtur paulo post aetatem Apostolorum.

(3) Salmasius, Binghamus, aliique ex numero haereticorum nonnisi ex falsis Decretalibus evinci posse contendunt, quod tribus illis Sedibus Romanae, Alexandrinae, Antiochenae Patriarchatus jura attributa fuerint, quoniam eae ab Apostolorum Principe Petro fundatae sunt. Sed ea de re certissima extant testimonia, quae in discrimen revocari non possunt. Sic enim scriptum reliquerunt Eusebius *demonstr. Evangel. lib.* 3. *tom.* 3. *pag.*

70. *num.* 6. *edit. Paris* 1721. *et Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 17. *pag.* 67. ; Jo. Chrysostomus *Hom.* 14. *ad Populum Antioc en. tom.* 2. *pag.* 150. ; Innocentius I. *ep.* 24 *num.* 1. *ad Alexandr. Antioch.*, apud Coustantium *Rom. Pontif. epist. col.* 851. , Leo M. *ep.* 106. *ad Anatol. tom.* 1. *col.* 1167. *cap.* 5. *edit. Ballerin.*, ceteri , quos collegit Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *et* 8. *tom.* 1. *pag.* 16. *seqq ed. Ven.* 1773. Paucis rem totam complectitur Hincmarus Remensis *opp. tom.* 2. *pag.* 403. *edit. Paris.* 1645. inquiens » Sedes Ecclesiarum Romanae , Alexandri- » nae , et Antiochenae idcirco speciales Sedes dici . . . . quoniam sedes » sunt, quin potius una sedes magni Petri Apostolorum Principis ». Aliquid etiam ad jus Patriarchicum illarum trium sedium couferre potuisse censet Selvagina *Antiquit. Christian. lib.* 1. *cap.* 17. §. 24 *tom.* 1. *pag.* 159. *seqq. edit. Patav.* 1780. , quod illae in principibus Romani Imperii Urbibus positae essent. Sed ea de re videndus in primis Benedictus Bacchinius *De Eccles. Hierarch. originibus* , qui late explicat , quo praesertim Petrus, ceterique Apostoli spectarint , cum Principes Ecclesias constituerunt.

(3) Cum Byzantium , quae urbs a Constantino Constantinopolis dicta est , Imperii Romani sedes translata fuisset , ejus urbis Episcoporum I. Constautinopolitani Concilii Patres dignitate Patriarchatus ornarunt. *can.* 3. *tom.* 2. *Concil Labbaei col.* 1125. , sed eum canonem Nicaeno Concilio adversarium omnes Romani Pontifices usque ad Innocentium I. rejecerunt. Rursus a Concilio Chalcedonensi *can.* 28. *ibid. tom.* 4. *col.* 1693 eadem dignitas concessa est ; sed hic quoque canon a Leone M. , et aliis quibusdam ejus successoribus repudiatus est. Sed demum alii moti precibus Imperatorum eum receperunt , atque ita Constantinopolitani Episcopi Patriarchatus gradum , et dignitatem adepti sunt.

(4) Hierosolymitana Ecclesia per quatuor priora saecula Episcopatus dignitatem obtinuit , eique in generalium Conciliorum consessu maximus honor super omnes alios Episcopatus habebatur. Porro in Concilio Nicaeno Macarius Hierosolymitanus Episcopus illustriorem occupavit locum , quam Eusebius Episcopus Caesarensis , et Metropolita ; quod etiam in Chalcedonensi Concilio factum est. At cum Juvenalis Hierosolymitanus Episcopus Ecclesiae suae , quam singulari honore Sedes Romana prosequebatur , Patriarchatum obtinuisset , sancitum est , ut is in trium Palaestinarum , et utriusque Phaeniciae , et Arabiae Metropolitas jurisdictionem exerceret. Qua de re cum Antiochenus Patriarcha graviter conquestus fuisset , juri pristino restitutus est. Exorta inde lis inter Antiochenum , et Hierosolymitanum Episcopum in Chalcedonensi Concilio ita composita est , ut utraque Phaenicia , et Arabia Patriarchae Antiocheno , prima autem Palaestina Hierosolymitano Episcopo , tamquam Metropolitae , aliae duae tamqnam Palriarchae subjicerentur.

§. VI. Quo primum tempore Ecclesia perfecerit , quae non satis expressa , et absoluta Apostoli reliquerunt , incertum est ; sed ante Concilium Nicaenum , et Metropolitas suae provinciae , et Patriarchas pluribus provinciis jam praepositos fuisse certo constat. Quin eadem Synodus expresse memorat nomina Metropolitarum (1) , sed in ea nulla mentio est nominis Patriarchae , licet hujus

Dignitatis jura describantur (2). Primum hoc nomen occurrit in Concilio Chalcedonensi, eoque Romanus Pontifex singulari quadam ratione appellatus fuit (3), posteaque nomen ipsum imitatione quadam productum fuit ad ceteros quoque Episcopos, qui nunc Patriarchae dicuntur. Quos ante hoc tempus memorat Socrates (4), Patriarchae, hi sunt omnes Episcopi, quippe qui habent πατριαρχίαν, seu *regimen*, *et administrationem* suarum dioeceseon; quem autem Patriarcham nominat epistola Hadriani (5), eum non Christianum, sed Judaeum fuisse manifestum est, cum ipse Hadrianus tradat, eum ab aliis coactum, ut Serapidem, ab aliis autem, ut Christum coleret. Quod tantum cadit in hominem Hebraeum, qui neque Christum, neque Serapidem veneratur; sed quis Christianum Patriarcham ad colendum Christum vi compulsum credat (6)? Itaque Patriarchae vox, uti dicebamus, ad significandam ecclesiasticam dignitatem non est Chalcedonensi Concilio vetustior. Antequam ea vox obtineret, qui nunc Patriarchae dicuntur, *Archiepiscopi*, *et Exarchi* dicebantur (7). Quamquam antiquissimis Ecclesiae temporibus nulla esset hujusmodi distinctio nominum, sed omnes generatim, quantavis auctoritate praestarent, Episcopi appellarentur.

(1) Concilium Nicaenum *can*, 4. 6. *et* 7. *tom*. 2. *Concil. Labbaei col*. 35.

(2) Canonis 6. Concilii Nicaeni *loc. cit.* verba haec sunt: „ antiqui „ mores serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia, et Pentapoli, ut Ale„ xandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem „ et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia, „ et in aliis provinciis sua privilegia, ac suae dignitates, et auctoritates „ Ecclesiis serventur „. Sunt qui hoc Nicaeno canone tantum de jure metropolitico, non item de jure patriarchico trium Episcoporum Romani, Alexandrini, Antiocheni actum putant; sed verba ipsa canonis hanc sententiam perspicue refellunt. Nam Alexandrinus Episcopos totius *Aegypti, Lybiae, et Pentapolis potestatem habere* dicitur, quod quidem jus est non unius provinciae, quale est jus metropoliticum, sed complurium provinciarum, quae in toto Aegypto, Lybia, et Pentapoli continentur, quale jus patriarchicum esse certum est. Quod si hujus plane simile est jus Romani Episcopi, uti ostendunt ea verba „ quandoquidem et Episco„ po Romano hoc est consuetum „ dubitari certe non potest, quin hoc quoque jus comprehenderet provincias plures, ideoque non tantum metropoliticum, sed patriarchicum esse debuerit. Similiter ab eadem Syno-

do Antiocheno Episcopo non unius, alteriusve provinciae, sed totius dioeceseos Orientalis, hoc est provinciarum quindecim, quae Oriente continebantur, administrationem fuisse commissam, diserte tradunt Hieronymus *lib. contr. Joannem Hierosolymitanum num.* 37. *opp. tom.* 2 *col.* 447. *edit. Venet. cit.*, et Innocentius I. *ad Alexandrum Antiochenum* Episcopum *loc. mox indic num.* 1. Ergo si patriarchica sunt jura Episcoporum Alexandrini, et Antiocheni, si cum iis Romani Episcopi jura comparantur, manifestum est, haec etiam, qualia illa sunt, patriarchica esse oportere. Accedit quod cum de Constantinopolitano Patriarchatu actum est, Romani Pontifices eumdem hunc canonem Nicaenum opposuerunt, uti novi Patriarchatus institutionem rejicerent, quoniam Nicaena Synodus tantum Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Patriarchatus agnoverat. Est etiam ea de re observatu dignus locus Epiphanii *haeres.* 49. *seu* 69. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 729. *edit. Colon.* 1682, ubi occurrit Meletius in Aegypto Archiepiscopus, seu Metropolita subjectus Alexandro Alexandrino Archiepiscopo, hoc est Patriarchae, qui Nicaena Synodo interfuit. Consule Petrum de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 7. *p.* 7., Valesium *Observat. Eccles. in Socratem et Sozomenum lib.* 3. *pag.* 385. *seq. edit. Taurin.* 1747., Christianum Lupum *schol. in can.* 9. *Concil. Nicaen. opp. tom.* 1. *pag.* 244. *seqq. edit. Venet.* 1724., Schelestratium *Antiquit. Eccles. dissert.* 6. *cap* 1. *seqq. tom.* 2 *pag.* 410. *seqq. edit Romae* 1697., Pagium in Baronium *ad an.* 325. *num.* 34. *seqq. tom.* 4. *pag.* 129. *seqq. edit. Lucae.* Ex hoc autem Nicaeno canone manifestum est, quantum a vero aberrent, qui jus patriarchicum primum a Nicaeno Concilio introductum putant, aut etiam eodem Concilio recentius faciunt. Nam verba canonis *antiqui mores serventur* evidenter ostendunt, esse jus patriarchicum Episcoporum Romani, Alexandrini, Antiocheni Concilio vetustius. Videndi sunt, praeter quos paulo ante descripsi, Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom.* 4. *dissert.* 20. *pag.* 406. *seqq. edit. Venet.* 1776., et Catalanus *Comment. in can.* 6. *Concil. Nicaen. tom.* 1. *pag.* 78. *seqq.*

(3) Concilium Chalcedonense *act.* 1. *tom.* 4. *collect. Labbaei col.* 1167. de Leone Summo Pontifice habet haec: „ Leoni multos annos: Patriar„ chae multos annos „. Et *act.* 3. *col.* 1268. *et* 1273. Theodorus, et Ischirion Diaconi Alexandrini: „ sanctissimo, et universali Archiepisco„ po, et Patriarchae magnae Romae „. Et *col.* 1289. Sophronius. Praesbyter Alexandrinus „ sanctissimo, et beatissimo universali magnae Romae „ Patriarchae „. Patriarcham etiam S. Leonem appellavit Theodosius Junior *epist.* 62. *et* 63 *inter epist. S. Leonis M. opp. tom.* 1. *col.* 985. *et* 989. *edit. Ballerin. Venet.*

(4) Socrates *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 8. *pag.* 228. *edit. Taurin.* 1747. Quo quidem loco Socrates inter Patriarchas non solum numerat praecipuos Exarchos, sed etiam minores, et Episcopos simplices; qualis erat Gregorius Nyssae, cujus ibi fit mentio. Quare aut Socrati omnes indiscriminatim Episcopi Patriarchae sunt, hoc est *Rectores et Gubernatores* suarum dioeceseon, quemadmodum et Gregorius Nyssenus *orat. in funer. Meletii Episcopi Antiochen. opp. tom.* 2. *pag.* 294. *edit. Paris* 1615. omnes Episcopos *Patriarchas* vocat; aut forte eo in loco agitur de extraordinariis Legatis a Concilio constitutis, ut in singulis dioecesibus fidem stabilirent. Confer Henricum Valesium, in eum Socratis locum.

(5) Hac quidem Hadriani epistola, quae est ad Servianum data, quaequae extat apud Vopiscum, describi Patriarchas Christianorum putat Salmasius *de Primat. Rom. Pontif. pag.* 43 *et in adnotat. in Flav. Vopiscum pag.* 719. *edit. an.* 1617. Sed hic Patriarcha certe erat de secta Judaeorum

quos paulo post Hierosolymae excidium duos constituisse Patriarchas ferunt, quorum alter Tyberiade, alter Babylone commoraretur, curamque gereret ejus gentis, quae Romano, ac Persico imperio continebatur. Horum Patriarcharum mentio fit ab Origene *lib.* 4. *de principiis cap.* 1. *num.* 3. *tom.* 1. *opp. pag.* 186. *edit. Paris.* 1733., S. Cyrillo Hierosolymitano *catechesi* 12. *num.* 17. *pag.* 171. *edit. Venet.* 1763., S. Epiphanio *haeres.* 10. *vol.* 30. *num.* 4 *tom.* 1. *pag.* 128. *edit. indic.*, S. Hieronymo *in Isaiam cap.* 3. *opp. tom.* 4. *col.* 54. *edit. indic.*, S. Joanne Chrysostomo *orat.* 6. *contr. Judaeos num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 656., *et homil contra Judaeos et gentiles quod Christus sit Deus ibid. pag.* 571. De his Hebraeorum Patriarchis videndi sunt Gothofredus *in Cod. Theodos. L.* 8. *tit.* 8. 11. 13. *tom.* 6. *pag.* 245. *edit. Lips.* 1743., et Svicerus *Thesaur. eccles. verb.*

(6) Recte id a Binghamo *Origin. sive antiquit. eccles. lib.* 2. §. 3. *tom.* 1. *pag.* 239. *edit. Halae Magdeburg* 1751., praeter ceteros, animadversum est.

(7) Confer Concilium Antiochenum, quod extat *act.* 14. *Concil. Chalcedon. tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1670. Et Episcopi Constantinopolitanus, Alexandrinus, et Antiochenus iisdem in actis Concilii Chalcedonensis *act.* 3. *col.* 1270. Archiepiscopi appellantur. Saepe etiam Exarchi nomine Metropolita significatur, sed hic proprie est Exarchus, seu Primas provinciae, qui alius est ab Exarcho, seu Primate dioeceseos. Nam dioecesis plures provincias continebat, uti ostendit Brissonius *de verb signific. verb. dioeceses tom.* 1. *pag.* 336. *edit. Halae Magdeburg.* 1743., atque hinc intelligimus, quamobrem in Concilio Chalcedonensi *can.* 9. *et* 17. *loc. cit. col.* 1686. 1687. a Metropolitano ad Exarchum dioecesis appellatio concedatur.

§. VII. Atque hi, quos paulo ante memoravi, Patriarchae sunt, quos majores dicimus, Romanus, qui totius occidentis Patriarcha est, eique subduntur regiones omnes, quae sunt in Europa, Africa, America (1); et Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, (2), quibus subjectae sunt regiones, quae in Oriente comprehenduntur (3). His inferiores sunt Patriarchae, quos Minores dicimus, nimirum Patriarcha Venetus, Indiarum, Ulissyponensis, qui non procul distant a Primatibus, ac medium tenent locum inter Patriarchas Majores, et Metropolitas. Eorum jurisdictioni subjecti sunt omnes certi regni, ac nationis Metropolita, et Episcopi; ipsi vero obnoxii sunt majori Patriarchae, cujus in dioecesi Episcopatum obtinent. Sunt etiam supra Episcopos ab Ecclesia constituti Primates (4), qui et Exarchi dicuntur (5), quique alicui Patriarchae subjiciebantur, sed tamen provinciis pluribus praefecti erant. In his Carthaginiensis Antistes in Africa, Caesariensis in Cappadocia,

Ephesinus in Asia, aliique nonnulli Primatum obtinuerunt.

(1) Confer quae de Occidentali Patriarchatu Summi Pontificis scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 3. *tom.* 1. *pag.* 204. *seqq.* §. 34. *not* 4., et vide etiam Biancum *della potesià, e della polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 1. §. 17. *num.* 2. *seqq. tom.* 4. *pag.* 277. *seqq. et lib.* 3. *cap.* 1. §. 3 6. 8. *tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 17. *seqq. pag.* 69. *seqq.* 130 *seqq.*

(2) Ordinem hunc dignitatis inter quatuor Patriarchas Orientales constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. *Cap.* 3. *de privileg.* De quatuor Patriarchis Orientalibus late agit Michael le Quien in opere, cui titulus *Oriens Christianus in quatuor Patriarchatus digestus.*

(3) Suos quoque Patriarchas habent quaedam Orientales nationes, quae iisdem singulae subjiciuntur. Ita Antiochiae alius est Patriarcha pro Graecis Melchitis, alius pro Maronitis, alius pro Syris, Armenis Ciliciae Patriarcha est, Chaldaeis Patriarcha Babylonis, qui omnes communione cum Romana Ecclesia conjuncti sunt: nam nihil de iis dico, qui ab ea sunt Separati. Videndus Assemanus *Bibliotecha Orientalis.*

(4) In Capitulis Hadriani Papae *tom.* 8. *concil. collect. Labbaei col.* 603. habentur haec „ Nullus Archiepiscoporum, nisi qui primas Sedes te- „ nent, appelletur Primas „. De antiqua Primatum dignitate, ac potestate inter eruditos controversum est, quam expendimus *in Instit. Jur. Canon. loc. cit.* §. 38. *not.* 1. *pag.* 208. *seqq.*

(5) Concilium VI. generale *act.* 18. *tom.* 7. *Concil. Labbaei col.* 1066. „ Theodorus misericordia Dei Episcopus Ephesinorum Metropoleos κατ' „ ἐξάρχος τῆς Ἀσιανῶν διοικήσεως, et Exarchus Asianorum dioeceseos „.

§. VIII. Ex eodem Episcoporum collegio ab Ecclesia sumpti sunt Metropolitae (1), qui nunc et Archiepiscopi vocantur, licet olim alterum hoc nomen pateret latius (2), atque ipsos quoque, uti diximus, Patriarchas comprehenderet (3). Hi praesunt provinciae uni, cunctisque Episcopis, qui in ea continentur. Atque hi sunt gradus Episcopalis Hierarchiae, in qua Christus omnem posuit ecclesiasticam jurisdictionem, Summus Pontifex, qui caput, princepsque est totius Ecclesiae, Patriarchae, Primates, Metropolitae, Episcopi. Ex his, uti diximus, duos gradus, quod constat ex Evangelio, constituit ipse hominum Servator Christus Jesus, caput, ac principem Ecclesiae, et Episcopos, sed Ecclesia in Episcopatu plures fecit gradus, quorum alii aliis jurisdictione praestarent. Quod sapientissime factum est, quoniam amplificata, et ubique propagata Ecclesia, ingens illa multitudo Christianorum, qui ad eam undique confluxerant, pluribus

indigebat Magistratibus, a quibus recte, et accurate regeretur. Atque ipse Christus auctor fuisse videtur Ecclesiae, ut optimam hanc rei administrandae rationem stabiliret. Non enim omnia, quae ipse de Ecclesiae gubernatione praescripsit, ab Evangelistis literis mandata sunt; sed multa ab eo sunt constituta spatio illo quadraginta dierum, quo pluries Apostolis apparuit, et cum iis *de regno Dei*, scilicet de Ecclesia, loquutus est. Sunt igitur, uti dicebamus, in ecclesiastica Hierarchia praeter Principem, et caput omnium, Romanum Pontificem, alii Patriarchae, alii Primates, alii Metropolitae, alii simplices Episcopi. Horum omnium idem est Ordo, sed non eadem jurisdictio; quemadmodum in omni bene constituta Republica plures sunt Magistratus, quorum alii aliis praefecti sunt, et ampliorem obtinent potestatem. Ita in ecclesiastica Republica Episcopi obnoxii sunt Archiepiscopis, seu Metropolitis, hi Primatibus, Primates Patriarchis, cuncti autem Summo Pontifici Ecclesiae capiti subjiciuntur. Omnes una fide, et caritate, seu communione inter se conjuncti esse debent, populus cum Episcopo, singuli Episcopi cum suis Metropolitis, hi cum Primatibus, Primates cum Patriarchis, hi cum Summo Pontifice, qui centrum unitatis est, in quod per suos magistratus atque rectores conspirat Christianus populus universus, atque ita innumerae gentes toto orbe diffusae nonnisi unam Ecclesiam efficiunt.

(1) Socrates *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 36. *pag.* 115. *edit. Taurini* 1746., et Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 9. *pag.* 128. *edit. ejusd.* Italiae Metropolim Mediolanum dicunt. S. Joannes Chrysostomus *hom.* 17. *num* 2. *tom.* 2. *pag.* 178 plus semel Antiochiam Metropolim appellat. Canone Apostolico 35. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 443. *edit. Antuerp.* 1698. Metropolitae appellantur πρῶτοι, et κεφαλαί; in Concilio Antiocheno an. 341. *can.* 9. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 590. habentur haec: » Episcopos, qui » sunt in unaquaque provincia, scire oportet Episcopum, qui praeest » metropoli, etiam curam suscipere totius provinciae, eo quod in me» tropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde vi» sum est, eum quoque honore praecedere, reliquos autem Episco» pos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio » obtinuit Patrum canon. » Concilio Carthaginiensi III. *can.* 26. *ibid. col.* 1403. sancitum est, ne primus Antistes alio nomine, quam *primae Sedis Episcopus* vocaretur. Cum autem in Africa haec dignitas, excepta Carthagine, cujus Episcopus semper Primas erat, certae Sedi non haereret, sed qui omnibus ordinatione senior erat, provinciae universae prae-

esset, factum hinc est, ut hi provinciae praefecti *sene* appellarentur, quo quidem nomine saepe utitur Augustinus.

(2) Justinianus *Novell.* 11. Episcopum Justinianae primae Primatem constituens » volumus, *inquit,* ut non solum Metropolitanus, sed etiam » Archiepiscopus fiat ».

(3) Archiepiscopi nomine appellari consueverunt Patriarchae non solum aetate Epiphanii, uti ex eo patet *haeres.* 68. *num.* 1. *pag.* 717 *et haeres.* 69. *num* 3. *pag.* 729. *tom.* 1. *edit. cit.*, ac tempore Ephesini, et Chalcedonensis Conciliorum, sed etiam post Liberatus, aliique, eodem usi sunt nomine, ut Patriarchas designarent, Liberatus apud Labbaeum *tom.* 5. *concil. col.* 140.: ,, nec prius hoc faceret, nisi susciperet Henoticon Prin» cipis et synodicas destinaret epistolas Constantinopolitano Acacio, et » Simplicio Romano, et ceteris Archiepiscopis ». Erat etiam distincta dignitas Episcoporum, et Metropolitarum, qui Αὐτοκέφαλοι dicebantur; et illi quidem nulli Metropolitae, sed tantum Patriarchae erant obnoxii; Balsamon *in Concil. Constantinopol. can.* 2. apud Beveregium *Pandect, Canon. tom.* 1. *pag.* 88, *edit. Oxon,* 1672. » Si alias etiam Ecclesias inve» neris αὐτοκεφάλους (quae per se sint capita) » ut Bulgariam, Cyprium, » Iberiam, ne mireris ». In Patriarchatu Hierosolymitano Autocephalos Episcopos fuisse vigintiquinque scribit Nilus Doxapatrius apud Stephanum Moynium *var sacr. tom.* 1. *pag.* 232. Quaedam etiam de iisdem habent Beveregius *Pandect. Canon com.* 2. *not.* in *Can.* 36 *Concil. Trullan. pag.* 136, Leunclavius *Jur. Graec. Roman. tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 88., Carolus a S. Paulo *append. ad Geograph. sacr. pag.* 8. *seq. edit. an.* 1704. Sed de his omnibus agam alio loco opportune, et copiose.

§. IX. In his quidem omnibus, quos hactenus recensuimus, suprema jurisdictio, et summus magistratus est; quoniam omnes sunt ex Episcoporum collegio, cui Christus regendae Ecclesiae potestatem attribuit. Sed et alii sunt minores Magistratus, qui pertinent ad hanc eamdem Hierarchiam, quae latiori significatione comprehendit omnem gradum, et sacrorum praefecturam; ita ut ad eam ministri omnes, quantacumque tandem potestate sint praediti, referantur. Hi nullam habent divinitus acceptam potestatem, sed ea tota procedit ab Episcopo, qui eam et constringere angustius, et explicare latius potest suo arbitratu. Nam tota ab illo pendet, neque alia est, quam in eos derivata pars ipsius potestatis. Quin etiam multi sunt, qui non ab Episcopo, sed aut a Summo Pontifice, aut ab aliqua oecumenica Synodo omnem repetunt auctoritatem, et hi non Episcopo, sed Summo Pontifici obnoxii sunt. Huc spectant in primis Praelati inferiores, qui tantum Pontifici subduntur, quos inter eminent *Abbates*, quos dicimus *nullius Dioecesis*, qui propriam habent quasi Dioecesim plane distinctam,

atque discretam ab alia cujusvis Episcopi Dioecesi, et in ea quasi episcopalem jurisdictionem exercent. Adeo verum est, quod supra diximus, peculiarem illam jurisdictionem, quam habet unusquisque Episcopus in Dioecesi sua, totam procedere ab Ecclesia; quae eamdem tribuit, cum alicui subditos regendos assignat. Hi Abbates nullam certe habent jure divino jurisdictionem, sed eam obtinent, cum certis praeficiuntur subditis, quos gubernent; simili plane modo, quo Episcopus in certam Dioecesim jurisdictionem adipiscitur, cum ei ab Ecclesia regenda committitur. Haec paucis generatim attingimus, ut strictim demonstraremus ordinem, et gradus Ecclesiasticae Hierarchiae; singula suis locis accurate explicabimus.

§. X. Quemadmodum in Hierarchia jurisdictionis Ecclesia divisit Episcopatum in gradus plures, ut per eos utilius, et commodius explicaretur jurisdictio, quae ad rectam pertinet Christianae Reipublicae administrationem, ita in Ordinis Hierarchia fecit, ut multiplex esset numerus, pluresque gradus ministrorum. Divinae institutionis esse constat Episcopos (1), Presbyteros, Diaconos; sed nihil tale de reliquis ministris in sacris bibliis scriptum est. Hoc certo affirmari potest, electos fuisse Diaconos; ut omne quo in Ecclesia opus erat, ministerium gererent, et hujus ministerii partes, uti supra animadversum est, esse debuerunt cuncta illa munera, quae recentiori aetate inferiorum ministrorum propria evaserunt (2). Hi non omnes uno tempore instituti sunt, neque illico constituta series, et ordo, qui nunc obtinet, subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum (3). Quin Ecclesia Latina Subdiaconos, qui nunc majores clerici sunt, diu inter minores habuit (4), quo loco ipsi nunc etiam a Graecis habentur (5). Idem Graeci non omnes, quos Latini, distinguunt ordines; nam ipsis ex Ministrorum numero tantum sunt Lectores, Subdiaconi, Diaconi, quos inter divisa sunt officia, quae apud Latinos propria sunt Ostiariorum, Exorcistarum, Acolytorum (6). Res tota ab arbitrio, et judicio pendet Ecclesiae, quae ex gradu uno ministrorum divinitus instituto tot alios constituit ministros, quot necessarios judicavit, que-

madmodum in Hierarchia jurisdictionis plures creavit ex uno Episcopatu gradus.

(1) Disputant Theologi, num Episcopatus ordo sit a Sacerdotio distinctus, an potius ejus extensio, perfectio, et complementum, qua de re suo loco opportune, et copiose disseram. Vide interim, praeter ceteros Tournelyum *Praelect. Theolog. de sacram. ordin. quaest.* 6. *art.* 1. *tom.* 11. *pag.* 164. *et seq. edit. Neapol.* 1765.

(2) Recte Amalarius Metensis Diaconus, qui saeculo IX. floruit, *de offic. eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *in Biblioth. PP. tom.* 14. *pag.* 971. *edit. Lugdun.* postquam asseruit, duos in Ecclesia esse ordines necessarios, quos appellavit Apostolus. I. *ad Timoth. cap* 3., Presbyterorum scilicet, ac Diaconorum „ ceteri, *inquit*, ordines adjecti sunt: crescente Ecclesia crescit officium ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiae subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Praepositorum „. Quod paulo post longiori oratione explicat. Eusebius *de Martyr. Palaestin. cap.* 2. *pag.* 159. *edit. Taurin.* 1756. nominat Romanum Diaconum, qui in Caesariensi Ecclesia Diaconi simul, et Exorcistae officio fungebatur. In Ecclesia Graeca Lectoris officium Diaconos, quandoque Presbyteros, atque Episcopos exercuisse tradunt Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 19. *pag.* 283. *edit. Taurin.* 1747., et Nicephorus Calistus *lib.* 12. *cap.* 34. Alia ejusdem generis exempla sunt.

(3) Incertum est, ut inquit Cotelerius *in Constitut. Apostolic. lib.* 2. *cap.* 25 *tom* 1. *PP. Apostolic. pag.* 238. *edit. Antuerp.* 1698., quo primum tempore minores ordines fuerint instituti. Primus singulos memorasse videtur Cornelius, qui Pontifex creatus est an. 252., *in epist. ad Fabium Antiochenum* apud Constantium *Rom. Pontif. epist. col.* 150. Acolyturum, atque Lectorum mentio est apud Cyprianum *ep.* 7. *et* 38. *pag.* 178. *et* 222. *edit. Amstelod.* 1700., et in Concilio Carthaginiensi IV. *can.* 6. *tom.* 2. *Concil. Labba. col.* 1437.; cujus Concilii auctoritatem adversus Justellum, et Dupinium vindicant Petrus de Marca *dissert. de veter. collection. cap.* 7. *pag.* 140. *edit. Robori seu Venet.* 1763, et Schelestratius *de Eccles. African dissert.* 3 *cap* 8. *pag.* 210. *seqq. edit. Paris.* 1679., aliique. Contra Auctor *epistolae ad Antiochenos*, quae falso adscribitur S. Ignatio Martyri, *num.* 12. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom* 2. *pag.* 112., itemque Auctor Apostolicarum Constitutionum *lib.* 3. *cap.* 11. *et lib.* 8. *cap.* 26. *ibid. tom.* 1. *pag* 284. 410.; et Canones, qui dicuntur Apostolorum *cap.* 69. *ibid. pag.* 446. cum minores clericos nominant, nullam de Acolythis mentionem faciunt. Qui auctor epistolae ad Antiochenos cum ordinibus miscet ecclesiastica officia, interque Ostiarios, atque Exorcistas medios ponit Laborantes, quos etiam indicat Epiphanius *in compendiaria vera doctrina*, quae est post *haeres.* 80. *tom.* 1. *pag.* 1104. Sed eorum in canonibus Apostolorum, et Apostolicis constitutionibus nullum verbum est. Lectores memorat etiam Tertullianus *de praescript. cap.* 41. *pag.* 217. *edit. Venet.* 1744, ab eoque ordine facta interdum initio Clericatus ostendunt Zosimus *ep.* 1. *ad Hesychium cap.* 3. apud Constantium *col.* 971., Siricius *ad Himerium ep.* 1. *cap.* 9. *ibib. col.* 633., Cyprianus *ep.* 29. *et* 38. *pag.* 208. *et* 222., Gregorius Turonensis *Histor. lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 149. *edit. Basil.* 1568., Paulinus Nolanus *Natal.* 4. *pag.* 392. *edit. Veron.* 1736. In Ecclesia Alexandrina Lectores nullo discrimine sumptos sive ex fidelibus, sive ex cathecumenis scribit Socrates *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 22. *pag.* 209. *edit. Taurin.*; quamquam id multi falsum existiment, quoniam credibile non est, inter clericos receptos fuisse homines, qui nondum Baptis-

mum acceperant. Sed fides Socratis constare potest, si dicamus etiam ex numero eorum, qui extra clerum erant, neque ullis erant initiati ordinibus, Lectores ea aetate captos fuisse. Hoc certum est, saepe ex Lectoratu, ceteris omissis ordinibus, statim Diaconatum quibusdam dari consuevisse, quod de Chrysostomo scribit Palladius *in ejus vita opp. S. Jo. Chrisostomomi tom.* 13. *pag.* 17., et Socrates *lib.* 6 *cap.* 3 *pag.* 263., quo etiam spectat Synodus Sardicensis *can.* 13. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 677. Exorcistam memorat Cyprianus *ep.* 75. *pag.* 323., sed eum non ordinari tradit Auctor Apostolicarum Constitutionum *lib.* 8. *cap.* 26. *loc. cit. pag.* 410., additque rationem: „ hoc enim munus spontaneae est divinae benevolentiae, „ et gratiae erga homines „. Quod convenit cum eo, quod Justinus Martyr *in dialog. cum Tryphone num.* 85. *pag.* 182. *edit. Paris.* 1742., et Tertullianus *de coron, mil. pag.* 106, *et Apolog. contr. gent cap.* 23. *pag.* 22. *edit. Venet.* 1744. scriptum reliquerunt. Ex quibus intelligimus, in Ecclesia primitiva neque certum, neque semper ubique eumdem minorum ordinum fuisse numerum. Confer Morinum *de sacr. ordinat. exerc.* 11. *cap.* 3. *pag.* 204. *edit. Paris.* 1655., Arcudium *Concord. Eccles. Occident. et Orient. lib.* 6. *cap.* 9. *pag.* 536. *seqq. edit. Paris.* 1679; Thomassinum *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 10. *pag.* 186. *edit. indic.*, Schelestratium *Conc. Antiochen. dissert.* 4. *cap.* 17. *art.* 2. *pag* 518. *seqq. edit. Antuerp.* 1681., Cardinalem Bonam. *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 25. §. 17: *tom.* 2 *pag.* 363. *seqq. edit. Taurin.* 1747., Natalem Alexandrum *Theolog. Dogmat. lib.* 2. *de sacram. ordin. cap.* 1. *art.* 4. *tom.* 1. *p.* 478. *seqq. edit. Venet.* 1772.

(4) Subdiaconorum primus forte inter Latinos meminit S. Cyprianus *epist.* 8. *pag.* 179. *epist.* 9. *pag.* 182. *et epist.* 29. *cit.* locisque aliis, inter Graecos S. Athanasius *Histor. Arianor. num.* 60. *opp. tom.* 1. *pag.* 300. *ed. Patav.* 1777. Fuisse autem Subdiaconatum inter minores ordines apud Latinos usque ad saeculum XI., eaque aetate ab Urbano II. II. P. majoribus ordinibus adscriptum, constat ex *Cap.* 9. *de aetat. et qualit. et ordin. praef.* Nam ibi Innocentius III. duo laudat Urbani II. decreta, quorum alterum Subdiaconatum inter minores ordines recenset, alterum in majorum numerum refert, atque hoc esse ait jus recentius, quo *hodie* Ecclesia utitur, *sicut Urbanus Papa II. expressit*. Itaque ut duo haec Urbani decreta recte explicentur, omnino statuendum est, fuisse Subdiaconatum inter minores ordines, cum Urbanus II. Summus Pontifex creatus est, ab eoque deinceps fuisse relatum inter ordines majores, quo spectat alterum Urbani decretum, quod forte editum est post Synodum Beneventanam anni 1091. Totum hoc argumentum expendimus *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 2. *sect.* 2. §. 27, *not.* 1, *tom.* 1, *pag.* 145. *seqq.*, ubi etiam Van-Espenii errorem indicavimus.

(5) Confer, praeter ceteros, Jueninum *de sacram. dissert.* 9. *quaest.* 6. *cap.* 1. *pag.* 596. *edit. Venet.* 1640., et Drouenum *de re sacrament. lib.* 8. *quaest.* 2. *cap.* 3. *tom.* 2. *pag.* 252, *edit. Venet.* 1772. Licet autem Episcopus in Subdiaconi ordinatione apud Graecos manus imponat, haec tamen impositio tantum caeremonialis est, uti observat Goarius *in Euchology. Graecor. pag.* 247. *edit. Paris.* 1647.

(6) Vide Arcudium *loc. cit.*, Guarium *Euchology. pag.* 237. *cap.* 9, *pag.* 536., et Drouenum *loc. cit. sect.* 2, *num.* 3. *pag.* 229., qui recte animadvertit, quod haec Graecorum disciplina deprehendi non potest, quam numquam Latina Ecclesia improbavit. Non est tamen satis exploratum, atque perspicuum, num Graeci semper caruerint Acolythis, Exorcistis, Ostiariis, Minores hos ordines olim apud eosdem Graecos fuisse affirmat Jacobus Goarius *loc. cit.*; et quod ad Acolythatum attinet, *nomen a Grae-*

cis haustum ostendit apud illos in usu fuisse, inquit Fellus *in not. ad S. Cyprian. ep. 7. pag.* 178., quem tamen refellit Binghamus *origin. sive antiquit. ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 3. §. 3. *tom.* 2. *pag.* 17. *edit. Halae Magdeburg.* 1751. Late ea de re disputant Morinus *de sacr. ordinat. exerc.* 14. *cap.* 1., Cabassutius *notit. Concil. cap.* 42. *pag.* 176. *edit. Venet.* 1703., Schelestratius *Concilium Antiochenum dissert.* 4. *cap.* 17. *art.* 2. *pag.* 519. *et seqq.*, Martenius *de antiq. Eccles. ritib. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. *pag.* 1. *et seq. edit. Venet.* 1763., Tournelyus *praelect. theolog. tom.* 11. *de sacram. ordin. art.* 2. *quaest.* 6. *secun. conclus. pag.* 158. *seqq.*, Robertus Sala *in not. ad Bonam rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 25. §. 17. *not.* 8. *tom.* 2. *pag.* 371. *seqq. edit. Taurin.* 1747.

§. XI. Neque mirum est, quod in Hierarchia jurisdictionis constituti gradus sint simplici Episcopatu superiores, contra vero in Ordinis Hierarchia Diaconatu inferiores sint ministri, qui ex eo creati sunt. In illa enim agebatur de Episcopis, in quibus inest et ordo, et jurisdictio, in hac de ministris, quibus nulla divinitus concessa jurisdictio est. Potuit Ecclesia ex Episcoporum collegio quosdam eligere, qui ampliorem haberent jurisdictionem; sed non potuisset superiorem Episcopatu ordinem constituere. Itaque nihil Episcopis ademtum est ex ordine, in quo omnes, qua tandemcunque dignitate praestent, inter se pares sunt; sed tantum quorumdam est coangustata jurisdictio, quorumdam vero dilatata. Sed quomodo id fieri potuisset in ministris, qui nullam habent jurisdictionem? Debuisset alius supra Diaconatum ordo constitui, quod Ecclesia facere non potest; hinc instituit ordines inferiores Diaconatu, unde veluti minores quaedam partes sumpti sunt. Quod cum Ecclesia fecit, tantum Diaconos nimio labore levavit, sed nulla ex parte imminuit eorum potestatem, quae ad sacrum ministerium pertinet. Nemo enim inficiabitur, quod quamquam minores illi ordines instituti sint, adhuc tamen possint Diaconi vi sui ordinis omnia obire munera, quae nunc a minoribus clericis exercentur. Atque illud in hac suscepta disputatione animadvertendum est, quod cum Ecclesia cuipiam ex meri ordinis Hierarchia gratificari voluit, haud sane amplificavit ordinis potestatem, sed ei dedit jurisdictionem, quam non habebat; atque ita fecit, ut is suum etiam in Hierarchia jurisdictionis locum obtineret. Ita Presbyteri, et Diaconi tantum pertinent ad ordinis Hierarchiam; sed Ecclesia ex illorum collegio sumpsit Chorepiscopos (1), Archipresbyte-

ros, Archidiaconos (2), in eosque contulit jurisdictionem, eoque modo huic Hierarchiae adscripti sunt, qui antea ad solam ordinis Hierarchiam pertinebant. Adeo verum est, ab Ecclesiae voluntate pendere totum Ecclesiasticae jurisdictionis modum; et haec potestas invidetur Romano Pontifici, qui tamquam Petri successor expressa Dei voluntate tantum ipse solus potest, quantum conjunctus cum toto collegio Episcoporum, hoc est cum Ecclesia universa?

(1) Chorepiscopos Episcopos fuisse quidam putant: sed mihi pene certa videtur sententia, quam plerique sequuntur, eos simplices fuisse Presbyteros, ut ostendi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 5. *tom.* 1. *not.* 1. *pag.* 225. *seqq.*

(2) De Archipresbyteris, Archidiaconis, aliisque similibus in decursu hujus operis suus erit agendi locus. Vide interim, si placet, quae dicta sunt in *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *sect.* 8. §. 71. *seqq. pag.* 246. *seqq. tom.* 1.

DE ECCLESIASTICA POTESTATE,

CAPUT XI.

I. Christus Ecclesiae praefecit Apostolos, neminem autem eorum, qui civili reipublicae praeerant.

II. Imo his invitis, et repugnantibus Ecclesiam institui jussit.

III. Sicuti ethnicis, ita ne christianis quidem Principibus potestas ulla in Ecclesiam a Christo concessa est.

IV. et V. Apostoli, et eorum successores semper Ecclesiam administrarunt accepta a Christo potestate, neque ullas umquam ea in re partes esse civilis Reipublicae passi sunt.

VI. Qualis apud Hebraeos esset reipublicae administrandae ratio?

VII. Ecclesiae potestas ad internum, et externum forum pertinet.

VIII. Potestas coactiva.

IX. Ecclesia temporales poenas jure, et recte infligit.

X. In poenis infligendis quidam sunt constituendi earum gradus.

XI. Ecclesia jure infligendarum poenarum semper usa est.

XII. Contra hoc jus Ecclesiae inimicorum conatus.

§. I.

Suos habet, uti omnes Respublicae, Ecclesia subditos, suam jurisdictionem, suos, per quos eamdem explicat, magistratus. Omnium Auctor Christus Jesus. Cum ipse in mundum venit, temporali hominum felicitati satis consultum, et provisum erat. Quieta, et tranquilla omnia nulla externa, aut domestica bella, Augustus magni animi, et sapientiae Princeps totius orbis imperio potiebatur, et, si quae ei non parebant, barbarae nationes suos habebant reges, a quibus gubernabantur. Sed aeternae felicitatis, propter quam homo creatus est, possessionem nemo adipisci poterat. Omnes gentes idola colebant, imbutasque superstitione, ac fabulis habebant religiones, quae neminem certe ducere ad aeternam felicitatem poterant. Hebraei regionis angustae conclusi finibus umbram, et figuram gerebant futurorum, ac nonnisi per Deum mediatorem eamdem felicitatem consequi poterant; quare necesse erat, ut umbra, et figura aliquando cessaret; atque ut homo factus nasceretur, et moreretur Dei filius, qui pridem obstructum omnibus aeternae felicitatis aditum aperiret. An in illa multitudine Religionum,

quae omnes suos habebant Deos, Christus iis, qui civili Reipublicae praeerant, aliquas attribuit partes in ea Republica, quam ipse instituebat? Imò nullam eorum rationem habuit (1); sed homines sumpsit ex infima plebe, quos Apostolos, et Ecclesiae rectores constituit. In hos contulit ipsam potestatem suam a Patre acceptam, et eos jure hujus potestatis praedicare jussit Evangelium omni creaturas, christianamque Rempublicam toto orbe constituere.

(1) Describendus hic est S. Hilarii locus *contr. Auxentium num.* 3. *opp tom.* 2. *col.* 594. » Oro vos ..... quibusnam suffragiis ad praedicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum » praedicaverunt ..... nunc aliquam sibi assumebant e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas, et post flagella cantantes? » edictisque Regis Paullus, quum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur? quorum in nos odiis confessio divinae praedicationis effloruit. Illi manu, atque opere se alentes intra coenacula, » secretaque coeuntes, vicos et castella, gentesque fere omnes terra ac » mari contra Senatus-Consulta, et regum edicta peragrantes, claves, » credo, regni coelorum non habebant? Aut non manifesta se tum Dei » virtus contra odia humana porrexit, quum tanto magis Christus praedicaretur, quanto magis praedicari inhiberetur? ».

§. II. Quis cum haec secum animum reputet, civilis Reipublicae moderatoribus auctoritatem aliquam attributam suspicetur? Potestas omnis datur solis Apostolis, eaque prorsus divina est; quis eam humanae subjectam putet (1)? Praesertim cum Apostoli hac divina auctoritate Ecclesiam condere, ac regere jubeantur, Reipublicae praepositis invitis, et repugnantibus, quibus Christus vult eos fortiter, constanterque resistere, ut demum aeternae felicitatis praemium abtineant. An non absurdum fuisset subjicere Ecclesiam civili Potestati, et simul imperare, ut Apostoli huic Potestati non pareant, atque etiam magno animo resistant? Vult idola exterminari; eaque deleri hominum commenta, quae gentes habebant Religionis loco; Hebraeis autem nunciari jubet, eorum sacra antiquata esse, ac translatum Sacerdotium. An hoc mandatum non pugnasset cum subjectione Ecclesiae iisdem illis praepositis, qui aut idola colebant, aut sacra illa retinebant, omnesque Ecclesiae propagationi adversabantur?

(1) Hinc Paulus II. *ad Corint. cap. V. vers.* 20. se non regum, aut Magistratuum, sed unius Christi Legatum praedicat, atque uno hoc legationis munere se fungi ostendit, cum Ecclesiam aedificat; et *ad Ephes. cap. IV. vers.* 11. *et* 12. cum ministros enumerat, quorum opera mysticum Christi corpus aedificare oportebat, memorat quidem Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores, sed de Regibus, deque civili aliqua potestate nullum verbum facit. Huc etiam referendus est locus Actuum Apostolorum *cap. XX. vers.* 28., quem supra laudavi, ubi Episcopi non a Regibus, sed ab ipso Spiritu S. positi dicuntur *regere Ecclesiam Dei.* Confer, praeter ceteros, Mamachium *Origin. et Anquit. Christian. lib.* 4. *par.* 1. *cap.* 2. §. 3. *tom.* 4. *pag.* 68. *seqq.*, et Auctorem operis *de l' autorité des deux puissances par.* 3. *tom.* 2. *chap.* 1. *pag.* 1. *seqq. edit. Strasbourg.* 1780., qui in hoc toto argumenti genere copiose versati sunt.

§. III. Scimus ad Christianos Principes, quorum magna est in Deum pietas, atque in Ecclesiam observantia, quae dicuntur de Principibus Ecclesiae inimicis, traduci non posse. Verum non hic de pietate quaerimus Principum Christianorum, quam insignem, et praeclaram esse fatemur; tantum quaerimus de eorum in Ecclesiam potestate. Eam certe habere non possunt, nisi constet sibi datam ab ipso Christo; atque Christus neque Hebraeis, neque Ethnicis, neque Christianis Principibus aliquid umquam dedit hujus potestatis. In sacris quidem libris Christiani Praepositis suis obedire, iisque subditi esse, ac dare, quae sunt Caesaris, Caesari jubentur; sed haec omnia pertinent ad Reipublicae in re civili auctoritatem, et imperium, nullum autem in Ecclesiam jus, et imperium tribuunt. Non enim ipsa, salva semper, quae potior est, sibi divinitus data auctoritate, quidquam detrahere ex civilis Reipublicae jurisdictione debet; neque ejus administrationem, ordinemque perturbare, aut sinere, quod aliquis despiciat impune leges, quae sunt pro civium commodo, et utilitate constitutae. Accedit quod illa Sacrarum Scripturarum loca, uti animadversum supra est, tum in Ethnicos, et Hebraeos, tum in Christianos Principes cadunt; et ideo neque his, neque illis aliquam in Ecclesiam auctoritatem attribuunt.

§. IV. Impositam sibi a Christo legem condendi, et propagandi Ecclesiam, invitis civilis Reipublicae Praesidibus, Apostoli diligentissime sequuti sunt; et si quis il-

lorum Ecclesiae propagationi adversaretur; ab his sine cunctatione responsum est, sese Deo magis, quam hominibus obedire oportere. Par, et eadem ratio fuit eorum, qui Apostolis proxime successerunt, qui et fortiter restiterunt jussis ethnicorum Ecclesiae infestis, et mortem etiam pro Christi fide oppetere non dubitarunt; et similis quoque fuit constantia, animique robur, quo Romani Pontifices, et Episcopi objecere sese Christianis Imperatoribus, cum aliquid contra Ecclesiam moliebantur. Constantinus M., qui primus ex iis Christianam Religionem suscepit, eorum, quae propria sunt ecclesiasticae potestatis, nihil unquam attingere conatus est; et cum victus importunitate Donatistarum in ecclesiastico negocio judicium tulit, ipse deinceps ab Episcopis veniam petiit propter facinus, quod pene coactus necessitate patrarat, ut eo judicio Ecclesia tranquillitatem recuperaret, planeque schisma comprimeretur (1). Ejus filius Constantius, qui se Ecclesiae rebus admiscere, atque implicare ausus est, sibi maxime adversarios habuit Episcopos doctrina, et pietate praestantissimos, Hosium Cordubensem (2), Athanasium Alexandrinum (3), Hilarium Pictaviensem (4), Luciferum Calatitanum (5), aliosque complures (6), qui in ecclesiasticis negociis Imperatorem nullas omnino partes habere apertissime affirmarunt. Cumque ipse pro Arianis, aut contra Athanasium aliquid egit, aut constituit, tota restiti Catholica Ecclesia, quae iis de rebus judicium ad sese unam pertinere clamavit. Constantii successor Julianus Apostata in Ecclesiam bellum renovavit; sed ea nefarios impetus sustinuit eadem animi firmitudine, qua priscos illos idolorum cultores devicerat, eidemque martyrum loco sunt, qui data pro Christo vita illius voluntati obstiterunt.

(1) Ipse Constantinus sese minus idoneum, aut competenem ea in re judicem agnovit, quoniam ad eam appellationem, uti testatur Optatus Milevitanus *de schism. Donatit, lib. 1. pag.* 28, *edit, Paris* 1676., sic respondit „ o rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, „ appellationem interposuerunt „. Suscepit deinceps hoc judicium, sed suscepit invitus, non quod ad se jus illud spectare crederet, sed quod hanc unam sedandarum turbarum rationem esse arbitrabatur, et ejus quidem rei, quam pene necessitate coactus gesserat, ab Episcopis veniam petiit, uti scribit Augustinus *ep.* 43. *cap.* 7. *num.* 20. *opp. tom.* 2. *col.* 129.

„ Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, „ et fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romae „ sedebant, ipse judicaret „ et paulo post „ eis ipse cessit, ut de ipsa „ causa post Episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam pe- „ titurus „. Confer etiam eumdem Augustinum *ep.* 105. *cap.* 2. *num.* 8. *col.* 392. Videndi sunt ea de re Baronius *ad an.* 314. *num.* 19. *tom.* 3. *pag.* 567. *seqq. edit. Lucae*, Cardinalis Norisius *Histor. Donatist. par.* 1. *cap.* 11. *pag.* 191. *seqq edit. Veron. Ballerin.*, Tillemontius *Memoir pour servir a l'Histoir Ecclesiast. tom.* 6. *art.* 25. *et* 26. *pag.* 57. *seqq. edit. Venet.* 1732., Mamachius *Origin. et antiquit. Cristian. lib.* 4. *cap.* 2. §. 3. *num.* 5. *tom.* 4. *pag.* 113. *et* 117. *seqq.*, Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 2 *cap.* 10. *num.* 7. *pag.* 52. *edit. Roboret.* 1763. Diu post Constantinum cum fautores Elipandi Tolosoni, et Felicis Urgellensis, qui in Hispaniis Nestorii haeresim renovaverant, Caroli M. judicium appellavissent, ipse rem omnem a Sede Apostolica, atque ab Episcopis nosci, ac judicari voluit, deinceps ad eos misit ecclesiasticum decretum, quod ea de re editum fuerat, ut ei cuncti parerent, sicut et ipse parebat Imperator. „ Post hanc vere correptionem, *inquit* ipse Caro- „ lus M. *epist. ad Elipand. et ceter. Episc. Hispan. tom.* 9. *Concil. Lab- „ baei col.* 96., sive admonitionem apostolicae auctoritatis, et synodalis „ unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omnino vos pro „ haereticis haberi, nec ullam vobiscum communionem pro Deo audemus „ habere „. Quod Caroli factum expendens Bossuetus *Politique tirée etc. de l' Ecriture S. liv.* 7. *art.* 5. *prop.* 11. *opp. tom.* 8. *pag.* 506. *edit. Leodii indic.* „ Voilà, *inquit*, comme ce Price decida, et sa decision ne „ fut autre chose, qu' une soumissiom absolue aux decisions de l' Egli- „ se „. Quae de exteriori Constantini Episcopatu dici solent, praeter ceteros, graviter, et copiose refellit Fr. Antonius Zaccaria peculari dissertatione, quae est *dissert.* 5. *collect. Italic. tom.* 13. *pag.* 19. *seq. edit. Romae* 1795. Nimirum jocas in convivio Costantinus, sicuti narrat Eusebius *in vit. Costantin. lib.* 4. *cap.* 24. *pag.* 576. *edit. Taurini* 1746., Episcopis dixit, se extra Ecclesiam Episcopum esse; verum his verbis haud certe significare voluit, sese aliquas in rebus Ecclesiae partes habere. Principio Episcopi nomine etiam defensor intelligitur, et ideo mirum non est, quod se eo vocarit Costantinus, qui revera summa ope res Ecclesiae defendebat. Deinde ita rem narrat Eusebius, ut facile nosci queat, sese ipsum Episcopum appellasse propter ethicos, qui exter Ecclesiam sunt. Nam post descriptas ejusdem Constantini leges, quibus cautum erat, ne ethnici diebus festis servile aliquod opus gererent, aut aliquem suae superstitionis actum exercent, tu diebus Dominicis preces funderent ea formula, quam ipse proposuerat, ut in omnium armis crucis signum insculpetur, postremo rem concludit bis verbis. „ Quo circa non ab- „ surde, cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Epi- „ scopum esse dixit, his fere verbis usus nobis praesentibus. Vos qui- „ dem, *inquit*, in iis, quae intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego ve- „ ro in iis, quae extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus „. Multis vero probabilius videtur, sese Constantinum Episcopum appellasse, quod in omnia profana, ac civilia negocia incumberet eadem sollicitudine, qua Episcopi res Ecclesiae curabant, atque etiam vim imperii explicaret, ut ubique vera pietas observaretur. Quod indicat non obscure ipse Eusebius verbis, quae proxime sequuntur, cum ait. „ Itaque consilia „ capiens dictis congruentia omnes imperio suo subjectos Episcopali so- „ licitudine gubernabat; et quibuscumque modis poterat, ut veram pie-

» tatem consectarentur, incitabat ». Videndus est etiam Mamachius *Origin. et Antiquit. Christian. lib.* 4. *cap.* 2. §. 3. *num.* 5. *tom.* 4. *pag.* 113. *seq.*

(2) Hosii Cordubensis locus supra descriptus est.

(3) Athanasius *Histo: Arian. num.* 52. *pag.* 297. « Si namque illud, *inquit*, Episcoporum decretum est, quid illud attinet ad Imperatorem? » Sin imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus nuncupatis Episco- » pis? Quandonam a saeculo res hujusmodi audita est? Quandonam Ec- » clesiae decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto » illo habitum est? Multa antehac synodi coactae sunt, multa prodiere » Ecclesiae decreta; sed numquam Patres res hujusmodi Imperatori sua- » sere, numquam Imperator ecclesiatica curiose perquisivit ».

(4) Hilarius *ad Constantium lib.* 1. *num.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 535. *edit. Veronae* 1730. „ Provideat et decernat, *inquit*, clementia tua, ut » omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes credi- » tae sunt, ad quos sola cura, et solicitudo publicorum negotiorum per- » tinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac prae- » sumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere Clericorum ».

(5) Lucifer Calaritanus *pro S. Athanasio lib.* 1. *pag.* 61. *edit. Venet.* 1778. „ Quomodo, *inquit*, dicere poteris (Constanti) judicare et » posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, jam quantum apud Deum » mortis poena fueris multatus? Cum haec ita sint, tu qui es profanus » ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei Sacerdotem auctoritatem.. » . . . . . Quis es tu, inquam, qui tibi usurpas hanc auctoritatem, quam » tibi Deus non tradidit »? *et de non parcen. in Deum delinquent. pag.* 179. *et alibi passim.*

(6) Prae ceteris celebre est illud, quod narrat Suidas *in lexico tom.* 2. *pag.* 423. *edit. Cantabrig.* 1705. de Leontio Tripolitano Episcopo, qui cum interesset Episcoporum conventui, in quo Constantius Imperator de ecclesiastica disciplina leges ferre volebat, sic eum allocutus est: « mi- » ror qui fit, ut aliis curandis destinatus alia tractes, qui cum rei mi- » litari, et reipublicae praesis, Episcopis ea prescribas, quae ad solos per- » tinent Episcopos ».

§. V. Sic quoque egit Ecclesía annis consequentibus contra Valentem, ceterosque Principes, qui aut Ecclesiam perturbare, aut aliquam potestatem in eam exercere voluerunt (1). An si Christus Ecclesiam civili potestati subjecisset, licuisset Apostolis, eorumque successoribus eidem obsistere, et quod erat adversarium maxime eorum factis, et dictis, id habere loco veritatis? Imo nullam nunc haberemus Ecclesiam, et Apostoli contra jus fasque egissent omnia, quae egerunt, si ea lege condita fuisset Ecclesia, ut civili Potestati obnoxia esse debeat. Nam quo jure, et cujus missione ipsi novam orbi universo Religionem nunciassent, christianam Rempublicam constituissent, tulissent leges ad eam pertinentes, poenis in reos criminum animd-

vertissent, cuncta demum Apostolatus munera exercuissent? Ethnici Principes, quibus imperantibus Apostoli, et vitam egerunt, et ea functi sunt, haud sane iis concesserunt hanc missionem, et hanc potestatem; imo vero ipsi nihil omiserunt, quantum facere, enitique poterant, ne Apostoli Ecclesiam propagarent, atque aliquid potestatis attingerent. Itaque Apostoli nullam habuissent, et nullam ad successores transmittere potuissent auctoritatem; et ideo nulla nunc esset Ecclesia Christi. In haec tam gravia, tamque horribilia dictu absurda delabantur necesse est, qui Christum Servatorem civili Potestati subdidisse suam Ecclesiam arbitrantur.

(1) Confer, preeter alios, quos paulo ante descripsi, S. Joannem Damascenum *de imagin. orat.* 1. *opp. tom.* 1. *pag.* 329. *edit. Venet.* 1748., *et orat.* 2 *num.* 16. *pag.* 339., Aemilianum Cyzici Episcoporum, et Theodorum Studitam utrumque apud Baronium *ad annum.* 814. *num.* 10., *et* 12. *tom.* 13. *pag.* 519. *et* 520. *edit. Lucae*, Nicolaum P. ad Michaelem Imper. *can. quoniam* 8. *dist.* 10., S. Thomam 2. 2. *q.* 60. *art.* 6. *ad* 3. *argum. et de regim. Princip. lib.* 1. *cap.* 14., Gregorium II. Pont. *ep. ad Leonem Isaurum Imp. tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 662., Facundum Hermaniensem *lib.* 12. *cap.* 4. *et* 13. Praeclarum est illud, quod Theodoritus *Histor. Eccles. lib.* 4 *cap.* 18. *pag.* 143. *edit. Taurin.* 1748. narrat de Eulogio Presbytero, quem cum Modestus Praefectus Praetorio communicare vellet cum Valente Imperatore, qui se adjunserat Arianorum partibus, omnesque iisdem favere, ac deficere a Nicaena doctrina jusserat, ipse id se facere posse negavit, irridensque mandata, quae a Praefecto dabantur: „ Nunquid „ ille (Imperator), *inquit*, una cum imperio Sacerdotium etiam est ade„ ptus „? Quem cum ille graviter increpasset, respondit „ senex Pastorem „ se habere, et illius nutu, et imperio (in rebus Religionis) omnes ipsos „ regi „. Quibus verbis, factoque significavit, sese uni Episcopo, non Imperatori in doctrina Religionis auscultare oportere.

§. VI. Cum haec ita sint, in re tam clara, et perspicua frustra conjecturas petimus ex regimine Hebraeorum (1), penes quos distincta quidem erant Sacerdotum, et Regum officia (2), sed tamen sacris se rebus saepe Reges miscuerunt. Quin graviora negocia, quae Religionem etiam respiciebant, saepe ad magnum Synedrium deferebantur (3); magistratum scilicet, aut tribunal politicum potius, quam sacrum, seu mixtum, cui multi Principem ex Tribu Juda, non autem summum Sacerdotem ex Tribu Levi praefuisse arbitrantur (4). Verum in Hebraeorum republica, quae erat Theocratia, haud ita distincta erant sacrae, ac civilis Pote-

statis officia, ut in lege nova a Christo Servatore clare, ac praecipue distincte sunt; quaeque a Regibus sunt de rebus acta Religionis, ea sunt acta cum Sacerdotibus, ut antiquae leges, Deique mandata exitum consequerentur (5). Revera Judaicae gentis Religio ita erat cum civili gubernatione conjuncta, ut nulla fere esset, sicuti in ceteris rebus publicis, causarum sacrarum, civiliumque distinctio. Omnia erant a Deo praescripta, non ea solum, ea quae ad sacrificia, et ipsius Dei cultum spectabant, sed etiam quae vitae institutum respiciebant, quae victum, artes, pacem, bellum, emptiones, matrimonia, universim omnia, quibus tota ratio reipublicae continetur (6). Verum in lege nova nulla sunt a Christo de civilis reipublicae administratione constitutae leges; sed ipses in mundum venit, ut Ecclesiam institueret, ejusque regendae non cuivis homini, sed tantum Apostolis, eorumque successoribus tradidit potestatem. Atque huic ipsi reipublicae Hebraeorum licet Deus dedisses leges, quae sacram, et politicam gubernationem comprehendebant, tamen, si qua in rebus religionis dubitatio oriretur, eam a Sacerdotibus, et a Judice, *qui fuerit illo tempore*, definiri, eorumque judicium ratum firmum haberi voluit, adeout qui non obediret imperio sacerdotis, et judicis, mortis poena plecteretur (7).

(1) Consule Petrum de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. *seqq. et cap.* 5. *num.* 1. *seqq. pag.* 41. *seqq. edit. Roboret.* 1763.

(2) Confer, prae ceteris, quae de Ozia, deque Josaphat scripta sunt in Paralipomen *lib. II. cap. XIX. vers.* 11. *et cap. XXVI. vers.* 16. *seqq.*

(3) Magnum Synedrium Hebraeorum toti Reipublicae, particulare cuilibet Civitati praesidebat. Petrus de Marca *loc. cit.* illius originem repetit a Moyse; eademque sententia est Joannis Seldeni *de Synedr. Hebraeor. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 1. *et* 3. *et cap.* 16., Joannis Meyeri *de tempor. sac. et fest. dier. Hebraeor. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 10. apud Ugolinium *Thesaur. antiq. sacrar. tom.* 1. *pag.* 431., et Samuelis Frider. Bucheri *synedrium magnum sect.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. *et* 7. *ibid. tom.* 25. *pag.* 1155. Sed eam recentiorem esse ostendunt Augustinus Calmetus *dissert. de polit. sive ration. jur. dicun. ap. Hebr. et potis. de Sanhedr. tom.* 1. *par.* 2. *comment. in vet. et nov. testam. pag.* 110. *seqq. edit. Venet.* 1768. Certe Moysem Jethro soceri suo consilio LXX. judices, qui minora deciderent, graviora ad se referrent, elegisse constat: sed magnum illud Hebraeorum Synedrium, quod proprie eo nomine appellatur, post captivitatem Babylonicam sub Macchabaeis verisimilis institutum est, viresque suas maxime sub Asmonaeis explicavit. Multa, quae de hoc Synedrio a quibusdam nar-

rautur, sumpta sunt ex fabulis Talmudistarum, et Rabbinorum, atque in primis ea, quae dicuntur de ejusdem antiquitate, deque ejus constanti successione a Moyse usque ad Christum Jesum, annisque consequentibus. Cuncta haec a Calmeto *loc. cit.* refutantur; ac de Synedriis Hebraeorum late agunt Bacchinius *de Eccles. Hierarch. origin. par.* 1. *cap.* 2. *fere per tot. pag.* 85. *seqq. edit. Mutin.* 1703., Hermannus Conrigius *Exercit. de polit. sive de republ. Hebraeor.* apud Ugolinium *antiquit. sacr. tom.* 24. *col.* 287. *seqq.*, et Jannes Vorstius *dissert. de synedr. Hebraeor. ibid. tom.* 25. *col.* 1103.

(4) Augustinus Calmetus *loc. cit.* Synedrio praefuisse putat Summum Sacerdotem; contra vero Bossuetus *defens. declarat. Cler. Gallican. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 7. *opp. tom.* 17. *pag.* 182. *edit. Leodii*, Joannes Nicolajus *in not. in Cornelium Bertramum Respubl. Hebraeor. cap.* 11., Laurentius Bertius *de theolog. disciplin. lib.* 25. *cap.* 1. *et* 3. *tom.* 3. *pag.* 2. *et* 6. *edit. Romae* 1765., aliique complures eidem praefectum existimant Principem ex Tribu Juda, qui *Nasci* appellabatur. Natalis Alexander *Histor. vet. testam. dissert.* 12. *in tert. mund. actat. prop.* 3. *tom.* 1. *pag.* 205. *edit. Venet.* 1776. non constare inquit » principem illum Synedrii de Tribu » Juda semper delectum fuisse, vel ex ea necessario diligendum ». Res ita obscura est, ut nihil certi statui possit: et forte cum de rebus Religionis agebatur, Summus Sacerdos, cum profanum erat negocium, Princeps ille, seu *Nasci* Synedrio praesidebat. Hunc Synedrii Principem ex Tribu Juda usque ad Christum Servatorem viguisse; desiisseque a regno Herodis Ascalonitae, atque ita impletum fuisse illud Jacobi vaticinium *Genes. cap. XLIX. vers.* 10. » non auferetur sceptrum de Juda, et Dux » de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expecta- » tio gentium » tradit Bertius *cit. cap.* 1. Quaerunt autem viri docti, num ea aetate, qua Christus pro nostrum omnium salute mortuus est, annisque consequentibus usque ad urbis, templique excidium jus vitae, ac necis Synedrium obtinuerit. Qua in re multa facta sunt divortia sententiarum. Carolus Sigonius *de Republ. Hebraeor. lib.* 6. *cap.* 7 apud Ugolinium *Antiquit. sacr. tom.* 4. *pag.* 709. ea tempestate Synedrium in reos criminum tantum animadvertere, non item aliquem condemnare potuisse existimat. Bernardus Lamyus *Concord. Evangel. par.* 2. *cap.* 8. §. 4. *pag.* 142. *et in apparat. bibl. l.* 1. *c.* 12. *p.* 234. *ed. Venet.* 1733. Synedrium jus vitae, et necis retinuisse putat, etiam postquam Judaea provincia facta est, modo ab Romano Judice occidendi facultas impetraretur, additque ab Judaeis responsum fuisse apud Joannem *cap. XVIII. vers.* 31. *nobis non licet interficere quemquam*, non quod ea potestate carerent, sed quod dies festus esset in quo nihil tale agere licebat; atque hoc quidem tradit etiam Augustinus *in Joannem tract.* 114. *num.* 4. *opp. tom.* 4. *col.* 1044. Benedictus Bacchinius *de eccles. hierarch. origin. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. *pag.* 144. *seq.*, Joannes Nicolajus *not. ad Cunaeum de Republ. Hebraeor. cap.* 13 *lib.* 1. apud Ugolinium *loc. cit. tom.* 3. *pag.* 596., Salomon Deylingius *dissert. de Judaeor. jur. gladii tempor. Christ. ibid. tom.* 26. *col.* 1183. *seqq.*, Laurentius Moshemius *Histor. Eccles. saec.* 1. *par.* 1. *cap.* 2. *pag.* 72. *seqq.* tantum ob violatas patrias leges, religionemque divinam Hebraeos aliquem poena mortis afficere potuisse arbitrantur. Ita lapidatione interficere blasphemos poterant, mulieresque in adulterio deprehensas; atque ita mulierem adulteram, et Christum ipsum lapidare voluerant, et Stephanum postea lapidarunt. Neque vero Pilatus Hebraeis dixisset: *accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate*, nisi et Judaei secundum legem suam judicare, et punire potuissent. Cum vero responderunt Pilato: *nobis non*

licet interficere quemquam, genus illud supplici intellexerunt, quo Christum afficere volebant, nimirum supplicium crucis, quod minime Hebraicae leges irrogabant. Quam sane fuisse mentem Hebraeorum manifestum est ex verbis quae proxime sequuntur *vers.* 32. *ut sermo Domini impleretur, quem dixit significans, qua morte esset moriturus*; et hoc quidem mortis genus omnium crudelissimum se Christum subiturum praedixerat apud Joannem *cap. XII. vers.* 32. Neque solum tamquam blasphemum, aut violatae religionis reum Hebraei Christum accusabant, sed etiam ut seditiosum, turbasque in populo concitantem, ac tributa Caesari dare prohibentem; quod crimen apud Romanos crucis poena plectebatur, uti docet Paulus J. C. *Sentent. recept. lib.* 5. *tit* 22. *num.* 1. apud Schultingium *Jurispr. vet. ante-Justinian. pag.* 503. *edit. Lipsiae* 1737. Igitur Hebraei crucis poena Christum plecti volebant, sed ipsi hanc poenam irrogare non poterant. De Synedriis, praeter ceteros, multa disputant Jacobus Basnagius *Histor. Jud. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 12. *pag.* 17. *tom.* 1. *edit. an.* 1716., Joannes Seldenus *de Synedriis Hebraeor.*, Joannes Vorstius, et Hermannus Witsius *de Synedr. Hebraeor.* apud Ugolinium *loc. cit. tom.* 25. *pag.* 1104. et 1196., ubi et alii duo de eodem argumento tractatus extant *pag.* 2. et 340., Samuel Frider. Bucherus *Synedrium Magnum ibid. pag.* 1152., Hermannus Conringius *de polit. seu republ Hebraeor.* §. 21. *seqq. ib. tom.* 24. *pag.* 297. *seqq.*, Joannes Sibranda *de statu Judeae provinc. sub procurat. tom.* 2. *thesaur. nov. theolog, philolog. pag.* 529. *edit. an.* 1732., Joannes Clericus *dissert. de* 71. *viror.*, quae subjecta est ejus *comment. in lib. vet. testam.* §. 6.

(5) Theocraticum fuisse regimen Hebraeorum diserte tradit Flavius Josephus *contra Apionem lib.* 2. *cap.* 16., et vero si quis rem omnem diligenter expendat, facile intelliget, Deum ipsum sic suscepisse universam reipublicae administrationem, ut Moyses illius vices obiret, atque ab eo commissam Magistratum gereret. Nam Deus de civilibus, sacrisque rebus leges tulit *Exod. cap. XIX. et XX.*; ac Moysi in iis rogandis usitata formula fuit *Jehova Moysi dixit.* Ipse Deus magistratus, judicesque elegit *Numer. cap. XI. vers.* 16. *seqq. Deuteronom. cap. XVII. vers.* 8. *seqq.*; judiciis, et dicasteriis praeesse videbatur Numer *cap. XXVII.*, eo auctore, suscepta, ac gesta sunt bella Deuteronom. *cap. XX. vers.* 10. Numer. *cap. II. vers.* 1. *seqq.*, missique legati, et percussa foedera, et imposita vectigalia, et graviora negocia consulto Deo a Moyse expediebantur. Ex quibus patet Moysem tamquam Dei ministrum omnem auctoritatem habuisse, ipsum autem Deum non modo tamquam summum omnium moderatorem, sed etiam quasi politicum Regem Hebraeorum reipublicae praefuisse. Mortuo Moyse Josue in ejus locum subrogatus similiter numine, et imperio Dei cuncta administravit; et cum postea saepe res in anarchiam incidissent, Deus Judices constituit, qui Hebraeos liberarent, eisque praesiderent. Exactis Judicibus haud se Deus politico abdicavit imperio Hebraeorum. Ipse enim Reges elegit, regnoque privavit eos, qui mandatis non obtemperabant, neque ab illis quidquam agebatur, quod ad publicam salutem pertineret, sine divina auctoritate, quo spectat illa Deum consulendi ratio per *Urim. et Thummim*, de qua videndi sunt Joannes Meyerus *de tempor. et fest. dieb. Hebraeor. par.* 2. *cap.* 4. *num.* 49. *seqq.* apud Ugolinium *loc. cit. tom.* 1. *pag.* 507. *seqq.*, Salomon Van-Til. *de tabernacul. Moys. vers.* 30. *ibid tom.* 2. *pag.* 82., Abraham Fr. David *de templ. cap.* 36. *tom.* 9. *ib. pag.* 560. *seq.*, Villelmus Schickardus *Jus. reg. Hebraeor. cap.* 1. *theor.* 2. *pag.* 395. *seqq.* ibique Joan. Benedictus Carpzovius *not.* 19. *seq tom.* 24. *ibid. pag.* 405. *seqq.*; Joannes Buxtor-

fius, Nicolaus Polemanus, Joannes Spencerus, Philippus Ribondealdus, qui omnes speciales tractatus *de Urim et Thummim* ediderunt apud eumdem Ugolinium *tom.* 12., Joannes Nicolajus *in not. ad Sigonium de Republ. Hebraeor. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. *ib. tom.* 4. *pag.* 529., ubi etiam quaeritur, quamdiu *Urim et Thummim* apud Israelitas manserit. Quod si Deus Samueli, a quo Hebraei regem postulaverant, *Regum lib.* 1. *cap.* 8. *vers.* 7. dixit; *non et abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*; minime his verbis significare voluit, sibi ab Hebraeis abrogatum fuisse summom imperium, quod in eorum republica habebat (id enim ne cogitasset quidem aliquis vel perditissimus Habraeorum) sed tantum significavit, gravissimam sibi injuriam intulisse Hebraeos, quod despexissent imperium Samuelis, quem ipse ei praefecerat, quique Dei ipsius personam sustinebat. De Hebraeorum Theocratia late agunt Thomas Goodwinus *Moyses et Aaron* apud Ugolinum *thesaur. antiq. sacr. tom.* 3. *pag.* 2., Joannes Spencerus *de Theocrat. Judaic. ibid. tom.* 24. *pag.* 2., Christophorus Blechschmidius *de Theocr. in popul. san. instit. ibid. pag.* 59. Hermannus Conringius *de Polit. sive de Republ. Hebraeor. ibid. pag.* 288.

(6) Vide-sis Lamyum *appar. bibl. loc. cit. pag.* 229.

(7) Deuteronom. *cap. XVII. vers.* 8. *seqq.*

§. VII. Jam vero haec Ecclesiae potestas, seu jurisdictio duplex est, altera, quae ad internum, altera, quae ad externum forum pertinet. Utraque a Christo data est, et illa quidem continetur praecipue verbis, quibus ille a mortuis excitatus sic discipulos alloquutus est „ accipite „ Spiritum S.; quorum remiseritis peccata, remittuntur „ eis, et quorum retinueritis, retenta sunt „ (1). Alteram expressit Chrirtus iis verbis „ data est mihi omnis pote„ stas etc. euntes ergo docete etc. baptizantes eos etc. „ „ sicut misit me pater, et ego mitto vos „. Ad hanc ipsam potestatem referendum est illud Christi mandatum, quo omnes Ecclesiae odebire jubentur, adeout qui non obediat ab Ecclesiae communione arceatur. Paulus quoque Apostolus hanc externam jurisdictionem perspicue designat (2), cum Timotheum monet, ne adversus Presbyterum, nisi sub duobus, tribusve testibus accusationem accipiat. Quid enim apud expertem jurisdictionis hominem accusatio valeret.

(1) » Quo tam insigni facto, *inquit* Concilium Tridentinum *sess.* 14. » *cap.* 1. *de poeniten.*, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et » retinendi peccata ad reconcigliandos fideles post Baptismum lapsos, » Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, uni» versorum Patrum consensus semper intellexit, et novatianos remitten-

» di peccata potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia
» catholica tamquam haereticos explosit, atque condemnavit ».

(2) Apostolus I. *ad Timoth. cap. V, vers.* 19.

§. VIII. Potestas fori interni pertinent ad retinenda, aut remittenda peccata, cum nullum sit peccatum, quod Ecclesia clavibus non subjiciatur (1); quod argumenti genus copiose pertractabimus, eum de Sacramento Poenitentiae agendi locus occurret. Est etiam amplissima potestas fori exterioris, eaque conjunctam habet auctoritatem cogendi omnes, qui Ecclesiae legibus parere recusant, eosque coercendi poenis, quae sunt cuique sceleri constiutae. Nam inanis esset, et ludicra potestas Ecclesiae, nisi posset ad parendum cogere omnes, qui ei subjecti sunt, poenisque animadvertere in eos, qui latis ab se legibus non obtemperant. Sane qui civili Reipublicae praepositus est, praeditus, instructusque esse debet universa potestate, quae est ad regendam societatem necessaria; quo fit, ut carere nequeat ea vi, quam *coactivam* dicimus, sine qua inutiles esset leges, et inania mandata, quae omnes impune despicerent suo arbitratu (2). Eadem de causa Ecclesia Praesides ipsam hanc vim, et potestatem habeant necesse est, ut suo fungantur munere, et recte consulant Reipublicae, cujus regendae gratia a Spiritu S. constituti sunt (3). Quis credat Christum Dominum Ecclesiae Rectores instituisse, iis vero non dedisse omnem potestatem, qua opus erat, ut suum hoc officium exequerentur? Jus coercitionis, et poenarum irrogandarum in sontes ipse Christus expresse dedit Ecclesiae, cum eos, qui ipsius decretis non steterint, tamquam ethnicos, et publicanos haberi voluit. Quibus quidem verbis gravissimam contineri coercitionem omnes norunt, poenam scilicet sacri interdicti, aut anathematis, per quam rei criminum atrociorum pertinaciter in scelere perseverantes a christiana societate removentur. Hanc quidem coercitionem, et poenam Christus expresse memorat; sed ea gravissima omnium est, cum Christiano homini nihil durius, nihil asperius, atque exitialius accidere possit, quam removeri ab ea societate, intra quam tantum aeterna salus esse potest. Itaqua Ecclesia, quae

maxime propositam habet aeternam salutem civium suorum, antequam illam infligat poenam tam gravem, tamque atrocem, minoribus, utitur poenis, ut scelesti cives redeant in bonam mentem, neque ipsa cogatur eos ab se repellere, spemque adimere aeternae felicitatis obtinendae. Leviores hae poenae profluunt ex eodem fonte, unde oritur jus anathematis, scilicet ab eodem Christo Servatore, qui cum graviorem coercitionem Ecclesiae commisit, comprehendit etiam leviorem; et cum eadem habere voluit potestatem scelestos coercendi poenis ei permisit arbitrium omnium poenarum, quibus est opus, ut flagitiosi homines resipiscant, antequam a Christiana societate expellantur (4). Neque enim credibile est, Christum Dominum nullos fecisse poenarum gradus, voluisse autem Ecclesiam statim prorumpere in poenam omnium maximam, nullo prius facto periculo minorum poenarum, per quas homines a flagitio retrahi potuissent (5).

(1) Confer Hilarium *in Matth. cap.* 18. *num.* 10. *opp. tom.* 1. *col.* 760. Hieronymum *ep.* 69. *ad Oceanum num.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 412, Ambrosium *de poenitent. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 26. *opp. tom.* 2. *col.* 534., Augustinum *Retract. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. *opp. tom* 1. *col.* 34. ceteros Patres, qui ea de re agunt.

(2) « Cui jurisdictio data est, ea videntur concessa, sine quibus juris- » dictio explicari non potest » ita scriptum est *in L. cui ff. de jurisd.*, et in *Cap. praeterea de offic. delegat.* habentur haec: » Eo quod causa alicui » committitur, super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, » plenariam recipit potestatem ». Rectissime, atque ad rem nostram aptissime S. Thomas 3. *par. q.* 27. *art.* 4. „ Quos Deus, *inquit*, ad aliquid eligit, » ita praeparat, et disponit ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei ». Consule librum *de l' autorité des deux puissances par.* 1. *chap.* 1. *maxim.* 8. *tom.* 1. *pag.* 24. *seq. edit. an.* 1780. *et par.* 2. *chap.* 1. *pag.* 78.

(3) Adisis eumdem librum *par.* 3. *tom.* 1. *chap* 5. *pag.* 154. *seqq.*

(4) Egregie Augustinus *ep.* 185. *ad Bonifacium cap.* 2. *num.* 7. *opp. tom.* 2. *col.* 840. » Multi, *inquit*, per illas correcti sunt, et quotidie » corriguntur; et se esse correctos, atque ab illas furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestque sibi fuisse » saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta » sanitate gratulantur, et in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam » simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pereant, excitantur. Molestus est enim et medicus furenti phrenetico, et pater in- » disciplinato filio; ille ligando, iste caedendo et ambo diligendo. Si au- » tem illos negligant, et perire permittant, ista potius mansuetudo fal- » sa, crudelis est „. Deinde multis ostendit, quam utile, et fructuosum sit homines poenarum metu ad veritatem ducere, ac quasi compellere. Ait enim *cap.* 6. *num.* 21. *col.* 848. „ melius est quidem (quis dubita-

» varit ?) ad Deum colendum doctrina homines duci, quam poenae ti-
» more, vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo il-
» li, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim . . profuit prius
» timore, vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam ver-
» bis didicerant, opere sectari », Denique habet haec: » antequam di-
» cant boni filii, concupiscentiam habemus dissolvi, et esse cum Chri-
» sto, multi prius, tamquam mali servi, et quodamodo improbi fugitivi,
» ad Dominum suum temporalium flagellorum verbere revocantur ».

(5) Ad hanc eamdem potestatem cogendi, quam ad Ecclesia adhiberi diximus, pertinat alter Augustini locus *in ead. ep. ad Bonifacium cap. 6. num. 22. col.* 849., cujus haec verba sunt, » Christus cum Petrum, et » alios Apostolos solo verbo vocasset. Paulum, prius Saulum, Ecclesiae » suae postea magnum aedificatorem, et horrendum antea vastatorem, non » solum voce compescuit, verum etiam potestate prostravit . . . . . . , » Ecce habent Paulum Apostolum, Agnoscant (Donatistae) in eo prius » cogentem Christum, et postea docentem, prius ferientem, et postea » consolantem, Mirum est autem, quomodo ille, qui poena corporis ad » Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo voca- » ti sunt, in Evangelio laboravit, . . . , Cur ergo non cogeret Ecclesia » perditos filios, ut redirent, si perditi filii coegerunt alios, ut perirent » , . . . , An non pertinet ad diligentiam pastoralem etiam illas oves, » quae non violenter ereptas, sed blande, leniterque seductae a graege ab- » erraverint, si resistere voluerint, flaggellorum terroribus, vel etiam do- » loribus revocare ? . , . , , Quia ergo (Donatistae) non possunt ma- » lum esse ostendere, quo coguntur, nec ad bonum se cogi oportere » contendunt. Sed a Christo coactum ostendimus Paulum: imitatur ita- » que Ecclesia in istis cogendis Dominum suum » *et num*, 24. *col.* 850. Videndus est etiam ipse Augustinus *ep.* 89. *ad Festum. num* 6. *col.* 292. De hac coercitiva Ecclesiae potestate multa dixi *in Instit. Jur. canon. lib.* 4. *tit*, 1. *tom*. 4. *pag*. 2. *seqq*.

§. IX. Itaque aberrant quam longissime a veritate, qui fas esse negant Ecclesiae temporales poenas constituere, aut cum ab ea tale aliquid factum est, id factum putant non jure suo, sed Principum beneficio, usuque diuturno, Principio si hoc jus a Principibus, atque a longissima praescriptione Ecclesia obtinuisset, eo certe nunc privari non posset, postquam in hac possessione tamdiu, tamque merito cum Principum, populorumque consensu versata est. Sed revera Ecclesia eo Principum beneficio, eaque praescriptione non indiget; cum suo jure quodvis coercitionis genus, quod ad finem sibi propositum necessarium judicat, exercere possit, et ideo, cum opus est, etiam temporales poenas infligere, Quae poenae cum ab Ecclesia constituuntur, eo spectant, ut per eas spiritualis hominum salus procuretur; quod non ita est de iisdem poenis, quae a civili potestate infliguntur. Nam haec tantum curamt tem-

poralem felicitatem, et ideo cum aliquem poena mulctat, id sibi unum proponit, ut ea felicitas sarta tacta sit, et aliorum audacia, ne ceteris damnum inferat, poenarum metu contineatur. Sed Ecclesia, cum easdem irrogat poenas, tantum de spirituali felicitate solicita minime quaerit temporalem, quae ad civilem rempublicam pertinet. Utraque respublica utitur iisdem poenis, et hae serviunt utrique; ecclesiasticae, ut spirituali; civili, ut temporali felicitati consulatur. Quare dissimilis utriusque reipublicae finis est; sed ad hunc finem obtinendum idem modus.

§. X. Nodus quaestionis est in ipsa potestate coercitionis, non in modo, quo haec coercitio exerceri debeat. Illam sine dubio Christus Ecclesiae dedit; quin etiam ei fuit exemplo, ut corporalibus poenis afficeret peccantes in res sacras, atque divinas, cum flagellis ejecit e templo nummularios, quod profanam Dei domum facere audebant (1). Sed nullum certum praescripsit hujus coercitionis modum; quoniam Ecclesiae integrum esse voluit eum adhibere, quem magis commodum, atque opportunum judicaret. Satis ei fuit unam indicare poenam quae maxima omnium est; ceteras arbitrio commisit Ecclesiae, quae cum aeternam salutem curare debeat, non potest omittere minores poenas, per quas improbi emendentur, neque poenam illam gravissimam, quae desperatis denique rebus infligitur, perferre cogantur. In illis initiis Ecclesia, ut eorum temporum ratio ferebat, omnium aptissimas, opportunissimasque poenas novit publicas, diuturnasque poenitentias, jejunia verbera (2), cetera similia; ideoque iis usa est, ut se homines ad bonam frugem reciperent. Mutata disciplina visae sunt tempori convenientes aliae poenae, quae similiter, ut illae antiquiores, corpus affligunt; sed tum hae, tum illae ejusdem generis sunt, omnesque pertinent ad coerendum scelus, atque aeternam hominum salutem procurandam. Sic enim vita hominum est, ut metu poenarum temporalium multi in officio contineantur, multi resipiscant, multi deterreantur ab immaniori scelere, propter quod a christiana societate exterminari deberent (3).

Poenarum, quae a civili Republica infliguntur, summa est mors hominis criminosi; sed Ecclesia poenam irrogat mortis spiritualia, cujusmodi excommunicatio est. Quare antequam ipsa procedas ad hoc genus poenae gravissimum, temporales adhibet poenas, quae omnes excommunicatione minores Christiano homini sunt. An pro quovis crimine Christiani omnes, nullo discrimine, spirituali morte mulctandi essent?

(1) Confer Ven. Monetam *adver. Cathar.* et *Valdens. lib.* 5. *cap.* 13. §. 1. *pag.* 508. *seq. edit. Romae* 1743., atque in eum Mamachii notas, ubi Joannis Clerici, Petri Baelii, Barbeyracii, Noodtii ea de re commenta refutantur.

(2) Concilium Agathense *Can.* 38. *tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 527. » Si verborum, *inquit*, increpatio non emendaverit, etiam verberibus sta- » tuimus coerceri, *et can* 41. *col.* 528. » quem (Clericum) ebrium » fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a commu- » nione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio ». Idem habent Concilium Matisconense *I. can.* 5. *ibid. tom.* 6. *col.* 659., Veneticum *can.* 6. *tom.* 5. *col.* 80., Epaonense *can.* 15 *tom.* 5. *col.* 713. Augustinus *ep.* 133. *num.* 2. *opp. tom.* 2. *col.* 518. Gregorius M. *lib.* 11. *ep.* 71. *opp. tom.* 2. *col.* 1172. *edit. Paris.* 1705. » Quia ergo, *inquit*, » tantae nequitiae malum sine digna non debet ultione transire, suprascri- » ptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eumdem Hila- » rium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privet officio, atque ver- » beribus publice castigatum faciat in exilium deportari; ut unius poena » multorum possit esse correctio ». Quo in loco habes *exilii* poenam, » quam etiam ipse Gregorius constituit adversus Martinum, qui falso se Defensorem vocabat *ep.* 62. *lib.* 9. *col.* 979. Confer etiam eumdem Gregorium *ep.* 64. *lib.* 11. *col.* 1053., ubi fures alios *damnis*, alios *verberibus* corripiendos monet; *et ep.* 65. *lib.* 9. *col.* 982., ubi idololatras, sortilegos, et similes carcere, et poenitentia, si ingenui sint, si servi, flagellis puniri jubet. Huc etiam referendi sunt carceres, qui *decanichae* dicebantur, quosque Ecclesiam criminum coercendorum causa habuisse constat ex libello Basilii Diaconi *ad Theod. et Valent. par.* 1. *Concil. Ephesin. cap.* 30. *tom.* 3. *Concil. Labbaei col.* 976., *ex L.* 30. *Cod. Theod. de haeret.*, *L. cuncti Cod. Justin. eod.*, et ex Concilio Matisconensi I. *can.* 8. *tom.* 6. *col.* 670., ubi memoratur *conclusio*, quae eodem redit. Confer Gothofredum *in cit. L. Cod. Theod. tom.* 6. *pag.* 166. *edit. Lipsiae* 1736., Cironium *observ. lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 34 *edit. Vindobon.* 761., et Du-Cangium *verba decanica.* Nec praetereundae poenae pecuniariae, quarum mentio est in Concilio Carthaginiensi V. *can.* 2. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 1454

(3) Augustinus *cit. ep.* 185. *ad Bonifac. col.* 484. „ Sicut meliores » sunt, *inquit*, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor » . . . . . Propter hos, qui plures sunt ait; verbis non emendabitur ser- » vus durus; si enim et intellexerit, non obediet. Cum dixit verbis » eum non emendari, non eum jussit deseri, sed tacite admonuit unde » debeat emendari. Alioquin non diceret, verbis non emendabitur; sed tan- » tummodo diceret, non emendabitur. Alio quippe loco dicit, non so-

» lum servum, sed etiam filium indisciplinatum plagis esse coercendum,
» et magno fructu », Vide etiam Ven. Monetam *loc. cit.* §. 2. *p.* 511. *seq.*

§. XI. Atque hanc quidem potestatem poenis coercendi eos, qui in leges peccassent rei christianae publicae, quoties opus fuit, semper Apostoli, eorumque successores, uti demonstratum est, exercuerunt (1). Antiquiori illa aetate, cum ethnici christianam religionem persequerentur, quamquam Episcopi libere explicare non possent *Episcopatus vigorem, et cathedrae auctoritatem* (2), tamen non pepercerunt poenis in eos, qui erant poena digni, pluresque edidere leges, quibus provisum est, ne impunitatis spes esset illecebra peccandi (3). Deinceps vero, postquam omnia quieta, et tranquilla evaserunt, Ecclesia non tantum suo jure, sed etiam legibus Imperatorum animadvertit in crimina, quae Religionem respiciebant, aut quae a clericis patrata fuerant. Crimina in religionem divino jure pertinent ad Ecclesiae judicium, quoniam Christus ejus tantum esse voluit curare res sacras, atque divinas. Quod Ecclesia praestare non posset, ipsaque divinae legis auctoritas, salusque fidelium in summo discrimine versaretur, nisi illi liceret legi repugnantes poenae severitate comprimere; quod Protestantibus evenisse constat, qui, sublata ecclesiastica potestate, omnia ad privatum uniuscujusque arbitrium revocant; ex quo factum est; ut in illa opinionum varietate certo nosci non possit, quid verum; quid contra falsum sit. Quisquis igitur per Baptismum inter Ecclesiae filios cooptatus est, is ei subjicitur in rebus omnibus, quarum eidem cura, regimen, administratio commissa est. Clerici autem in cunctis rebus Ecclesiae potestati subjiciuntur; quoniam hi ecclesiastica habent officia, magistratus, reditus, ac proprie illam efficiunt rempublicam; quam ecclesiasticam appellamus, atque a civili distinguimus.

(1) Vide quae super dicta sunt *cap.* 8. §. 14. *et seq.*

(2) His utitur verbis S. Cyprianus, ut Episcopi auctoritatem designet. Inquit enim *ep.* 3. *ad Rogatianum pag.* 172. » Et tu quidem honorifice circa nos, et pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo » cum nobis conqueri, cum pro Episcopatus vigore, et cathedrae auctoritate haberes potestatem, qua posses de illo statim vindicari ».

(3) Consule librum *de l'autorité des deux puissances par.* 3. *chap.* 5.

§. 2. *tom.* 3. *pag.* 174. *seqq. et* §. 3. *pag.* 197. *seqq.*, Bianchium *della potestà e della polizià della Chiesà lib* 2. *cap.* 4. §. 9. *tom.* 4. *pag.* 677. *seqq.*, et nostras *Institutiones. Jur. canon. lib.* 3. *tit.* 1. *tom* 3. *pag.* 2. *seqq. et lib.* 4. *tit.* 1. *tom.* 4. *pag.* 2. *seqq.*

§. XII. Ac si civilis Reipublicae jura violantes civilibus subduntur poenis, cur non temporali canonica poena plectendi sunt, qui in Ecclesiam peccarunt? Scimus contra eos sempiterna supplicia, nisi redierint in bonam mentem, apud inferos esse constituta; verum id impedimento esse non potest, quominus et Ecclesia in hos homines animadvertat: quemadmodum alicujus criminis rei civili reipublicae meritas poenas, debitasque persolvunt, et hi tamen sempiternis etiam obnoxii sunt. Hae nimirum ad violati peccato numinis justam ultionem, illae ad tuendam, conservandamque rempublicam referentur (1). Neque vero his poenis (quod a quibusdam opponi video) aliquem Ecclesia cogit ad Cristianam Religionem amplectendam; tantum curat, ut qui ei per Baptismum suam obligarunt fidem, seque ejus potestati subjecerunt, castigatione correcti respiciant, neque reliquis exemplo, et impunitate noceant.

(1) S. Thomas 1. 2. *q.* 87. *art.* 1. *in corp.*

§. XIII. Nulla esse posset de hac Ecclesiae potestate controversia, si diligenter attenderemus, quae sacris literis praescripta sint, quae sint leges, et jura perfectae reipublicae, quae gesta, probataque sunt omnium consensu, atque usu diuturno. Sed qui odio habent, quique metuunt Ecclesiae potestatem, quam suae vitae instituto necessario adversariam intelligunt, ii, ut se omni metu liberarent, illam in discrimen revocare studuerunt; et hinc in re clarissima turbae, illae, ac dissensiones excitatae. Donatistae aetate Augustini in hoc errore versabantur; nullam ab Ecclesia coercitionem adhiberi posse (1), quem errorem Cathari, et Valdenses renovarunt (2). Eadem fuit sententia Marsilii Patavini (3); Lutherus autem, et Calvinus omnem Ecclesiae potestatem in dirigendo, ac persuadendo positam esse existimarunt, sed omnem ei jurisdictionem ademerunt. Hujusmodi erroris merito ab Ecclesia proscripti sunt, poenaque anathematis mulctati, qui eos defenderent; itaque nemo eorum, qui se catholicos profitentur,

iis aperte adhaerescere ausus est. Sed quidam Ecclesiae jurisdictionem, quam verbis confitentur, ita reipsa in angustum locum concludunt, ut nulla prorsus evadat totaque a civili potestate pendere debeat. Ajunt enim, ad eam tantum ecclesiasticarum legum sanctionem pertinere; eidem licere Episcopis impedimentum inferre, ne quem poena afficiant, denique ejus tantum propriam esse exteriorem jurisdictionem. At si Ecclesia a Christo habet potestatem ferendi leges, quid opus est civili sanctione, quasi illi tantum liceat condere leges *imperfectas*, quales illae, quae carent sanctione, appellantur? Rursus si Christus solis Episcopis Ecclesiam regendam commisit, neque ea in re ullas esse voluit partes illorum, qui civili reipublicae praepositi sunt, si omnem illis dedit auctoritatem, qua praeditos esse oportet, qui perfectam rempublicam administrant, si ea potestate semper Ecclesia usa est; aut omnis ei cum haereticis adimenda est vera jurisdictio, aut necessario fatendum, eam in rebus, quae sibi divinitus creditae sunt, omnia agere suo jure, neque ulla ope civilis potestatis indigere. Secus enim si ea ita esset obnoxia eidem potestati ut hac ignara, aut invita neque condere perfectas leges, neque iis parere recusantes coercere poenis, neque exteriorem aliquam jurisdictionem exercere posset, omnis sane in rebus ecclesiasticis auctoritas esset civilis Magistratus, cui nulla pars earumdem rerum a Christo Servatore commissa est.

(1) Augustinus *cit. ep. ad Bonifacium.*

(2) Consule Ven. Monetam *loc. cit* §. 1. *pag.* 508.

(3) Confer Bullam Joannis XXII. adversus Marsilium Patavinum apud Raynaldum *ad an.* 1327. *num.* 35. *tom.* 5. *pag.* 353. *edit. Lucae.* De hoc eodem errore Universitas Parisiensis die 15. Decembr. an. 1617. judicium edidit his conceptum verbis. » Haec propositio qua parte veram jurisdi-» ctionem, idest vim coactivam, et subjectionem externam Ecclesiae de-» negat, est haeretica et totius Ordinis hierarchici perturbativa, et con-» fusionem Babylonicam in Ecclesia generans etc. » et Concilium Senonense an. 1528. *in praefat.* apud Labbaeum *tom.* 19. *col.* 1154. » Post hos autem, *inquit*, numeratis haereticis, qui Ecclesiae potestatem negant, sur-» rexit Marsilius Patavinus, cujus pestilens liber, quod defensorium pa-» cis nuncupatur, in Christiani populi perniciem procurantibus Luthera-» nis nuper excussus est. Is hostiliter Ecclesiam insectatus, et terrenis » Principibus impie applaudens omnem Praelatis adimit exteriorem juris-» dictionem, ea dumtaxat excepta, quam saecularis largitus fuerit Magi-» stratus ». Confer ea de re testimonia, quae describuntur in libro *de l'autorité des deux puissances par.* 3. *chap.* 5. *tom.* 3. *pag.* 147. *seqq.*

DE FINIBUS ECCLESIASTICAE, ET CIVILIS POTESTATIS.

CAPUT XII.

§. I.

Duabus illis Potestatibus, quas societate praeesse diximus ecclesiasticae, et civili, certi sunt fines (1), quibus singularum jurisdictio definitur, quique, ut tuta, et tranquilla sint omnia, et custodiendi sunt diligenter. Earum concordia quantum boni afferret hominibus ne-

mo non intelligit, nisi occupatum erroribus, atque improbitate animum habeat (2). Nam utraque eidem servit rerum omnium dominatori Deo, et eumdem hominum regit, eoque spectat, ut ipsi felix fortunatusque sit, civilis, ut ei fausta sint omnia in hoc tam exiguo, tamque brevi mortalis vitae curriculo; ecclesiastica, ut ipse felicitatem consequatur, quae immutabili aeternitate continetur (3). Cur igitur hae duae potestates, quae bonum curant ejusdem hominis, ita dissociatae, disjunctaeque inter se sunt, ut altera bonum, altera malum quaerere videatur? Marcio Sinopensis Ecclesiae Presbyter cum gradu motus, atque a Fidelium communione deturbatus fuisset, neque admissi criminis veniam Romae impetrare potuisset, „ vehementer excandescens, ac superbia, invidiaque percitus . . . . . „ Ecclesiam, *ait*, vestram ego dissociabo, in eamque „ schisma sempiternum immittam (4). „ Simili modo ab haereticis, eorumque fautoribus inter ecclesiasticam, et civilem Potestatem dissidia excitata sunt. Eo quoque ventum est, ut catholicae Ecclesiae caput, et princeps tamquam extranea Potestas a quibusdam habitus fuerit; quasi Ecclesia universalis esse desierit, et quasi christianis hominibus extraneum esse possit commune vinculum, per quod ex tot regnis unum Jesu Christi regnum efficitur (5).

(1) Petrus Blesensis *ep.* 73. *pag.* 110. *edit. Paris.* 1667. „ Duo sunt, „ *inquit*, gladii, qui mutuum a se mendicant auxilium, atque ad invicem si- „ bi vires impartiuntur alternas, sacerdotium regibus, et sacerdotibus re- „ gnum; ideoque si ab altero suppletur alterius insufficientia, non vide- „ tur duplex contritio, aut punitio combinata „. Confer etiam Gelasii locum, quem supra descripsi *cap.* 8. §. 9. *pag.* 165.

(2) Egregie Bossuetus *sermon sur l' unité de l' Eglise opp. tom.* 6. *pag.* 496. „ Ministres de l'Eglise, *inquit*, Ministres des Rois, et Ministres „ du Roi des Rois, les uns et les autres, quoiqu' établis d' une maniere „ différente, ah! pourquoi vous divisez vous? L' ordre de Dieu est-il op- „ posé à l' ordre de Dieu? Hé pourquoi ne songez vous pas que vos fon- „ ctions sont unies: que servir Dieu, c'est servir l'Etat; que servir l'Etat, „ c' est servir Dieu?

(3) S. Ivo Carnotensis *ep.* 106. *opp. tom.* 2. *pag.* 50. *edit. Paris.* 1647. „ Res omnes, *inquit*, non aliter bene administrantur, nisi cum regnum, „ et sacerdotium in unum convenerint studium „ *et ep.* 238. *ad Paschalem II. P. pag.* 103. *eod. tom.* 2. „ Novit Paternitas vestra, *inquit*, quia „ cum regnum, et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, „ floret, et fructificat Ecclesia; cum vero inter se discordant, non tantum „ parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabun- „ tur „. Et Ivone antiquior S. Isidorus Pelusiota *lib.* 3. *ep.* 249. *pag.* 239.

edit. Venet. 1745. „ Ex Sacerdotio, *inquit*, et regno rerum administratio „ constituta est. Quamvis enim utriusque permagna differentia sit (illud „ enim velut anima est, hoc veluti corpus) ad unum tamen, et eumdem „ finem tendunt, hoc est ad subditorum salutem „.

(4) Sic S. Epiphanius *Haeres.* 22. *vel* 42. *num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 303.

(5) Praeclare Bossetus *cit. sermon. sur l' unité de l' Eglise pag.* 502. „ Quel aveuglement, *inquit*, quand des Royaumes chrétiens ont cru s' „ affranchir en seçouant, disoint ils, le joug de Rome, qu'ils appelloient „ un joug étranger: comme si l' Eglise avoit cessé d' être universelle, ou „ que le lien commun, qui fait de tant des Royaumes un seul Royaume de „ Jesus Christ, pût devenir etranger à des chrétiens. Quelle erreur, quand „ des Rois ont cru se rendre plus indépendants en se rendant Maîtres de la „ Religion au lieu que la Religion, dont l'autorité rend leur Majesté in„ violable, ne peut être pour leur propre bien trop indipendante: et que „ la grandeur des Rois est d'être si grands, qu'ils ne puissent non plus „ que Dieu, dont ils sont l'image, se nuire à eux-mêmes, ni par conse„ quent à la Religion, qui est l'appui de leur trone! „ Cum quo congruit id, quod Cardinalis Althan exposuit Carolo VI. Imperatori apud Auctorem libelli *Rendete a Cesare etc.* §. 13. *pag.* 180.

§. II. Sed cum perspicua sint jura utriusque Potestatis, modo ea firma, immotaque sint, nullae possunt esse causae dissidiorum. Principio omnia, quae pertinet ad res mere spirituales, nimirum ad fidem, sacramenta, religionem, cultumque divino, ea solum ad Ecclesiae judicium spectare, inter catholicos omnes constat. Nam eorum cognoscendorum auctoritas pendet a jure clavium, quod solis Sacerdotibus a Christo commissum est (1). In quo admirabilis est quorumdam vel inscitia, vel impudentia, qui harum quidem rerum judicium ad Ecclesiam pertinere fatentur; sed civili Potestati adscribunt quidquid esterius est, et corpus, sensusque afficit; quoniam per ea, exterius explicautur, perturbari potest status reipublicae, cujus quies, atque tranquillitas eidem potestati commissa est (2). Quid est hoc, nisi Ecclessiae permittere doctrinam tacitam, inanem, absconditam; vetare autem, ne haec doctrina in vulgus prodeat, eamque vim habeat, quam Christus Dominus habere voluit? Ipse sane harum rerum potestatem Ecclesiae tribuit, non solum ut de iis ferret, sed etiam ut omnibus proponeret ab se latum judicium, omnibusque innotesceret, atque esset veritatis loco. Sed possumus quidem quaerere, invenire certe non possumus, quomodo sine actu exteriori patefieri doctrina possit, quomodo quis doctrinae non cogni-

tae parere, quomodo quis bonum lege praescriptum sequi, et vitare contrarium possit, cum neutrum exterius patefactum, atque exploratum sit. An non per actus exteriores nunciatur Evangelium, fidei definitiones emittuntur, sacerdotalia munera exercentur? Si horum omnium potestatem Ecclesiae adimimus, propterea quod omnia exterius explicantur, nulla jam amplius erit auctoritas, quae ei a Deo data est, quaeque a nemine pendere debet. Ergo Synedrium, et Principes Synagogae Apostolos inhibere potuerunt, ne Christianam Religionem praedicarent, quoniam ipsis Christi resurrectio turbarum causa videbatur (3) ejusque regnum in Hebraeos arma Romanorum movere poterat (4). Quo quid magis impium dici potest?

(1) Hinc *in can.* 11. *dist.* 96. habentur haec. » Si Imperator Catholi-» cus est, filius est, non Praesul Ecclesiae; quod ad religionem competit, » discere ei convenit, non docere . . . . . . Ad Sacerdotes enim Deus vo-» luit, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potesta-» tes, quas, si fideles sunt, Ecclesiae suae Sacerdotibus voluit esse subje-» ctas ». Confer Bellarminum *de Cleric. lib.* 1. *cap.* 28. *opp. tom.* 1. *pag.* 161. *edit. Venet.* 1721., Benedictum XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 2., et Mamachium *origin. et antiquit. Christian. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 2. §. 3. *num.* 1. *et seq. tom.* 4. *pag.* 71. *seqq.*

(2) Absurdissima haec sententia in primis occurrit in libro, cui titulus *Traité de l'autorité du Clergé et du pouvoir du Magistrat politique tom.* 1. *chap.* 7. *pag.* 401. Eodem spectat propositio M. Antonii de Dominis, quae his est concepta verbis. » Qui de republica ecclesiastica, sicut de » pure humanis philosophantur, mihi videntur non parum a recto tramite » aberrare; non modo quia in ea requirunt veram jurisdictionem exter-» nam, ubi tamen omnis gloria ejus ab intus ». Quam propositionem Facultas Theologica Parisiensis an. 1617. condemnavit his verbis. » Haec » propositio, qua parte veram jurisdictionem, idest vim coactivam, et sub-» jectionem externam Ecclesiae denegat, est haeretica; et totius ordinis » hierarchici perturbativa, atque confusionem Babylonicam in Ecclesia ge-» nerans ».

(3) Actus Apostol. *cap. XXIV. vers.* 5.

(4) Joannes *cap. XI. vers.* 48.

§. III. Quamquam ecquis tandem potest esse metus, ne catholicae, quae palam proponuntur, veritates turbas excitent, statumque reipublicae pervertant? Nulla vera doctrina paci, ac tranquillitati adversatur, et si quae adversatur, vera certe non est; nisi etiam pax, et con-

cordia naturalibus legibus contrariae habeantur (1). Erroris est proprium concitare discordias, ut in illa rerum confusione dominari libere possit. An impune opprimenda veritas est, ut vanus hic turbarum metus evellatur? Adde, quod cum haereticis, qui religionem depravare conantur; nulla potest esse pacis conditio, quoniam cum iis facta pax, non erit pax sed pactio erroris, et sceleris; propterea quod ipsis nihil concedi potest, nisi quod veritati inimicum est, iidemque pacis nomine abutuntur, ut omnia confundant, atque animos erroribus inficiant (2). Quantum boni acceperit non Ecclesiastica solum, sed etiam civilis respublica ex utriusque potestatis concordia manifestum est ex iis, quae tradita memoriae sunt de Theodosio, Marciano, aliisque similibus, qui conjuncti cum Ecclesia viribus, ut veritatem sartam tectam servarent, errori bellum indixerunt. Contra, quae pacis studium praeferebant, Edicta Zenonis, Heraclii, Constantis gravissima mala intulerunt; quod etiam factum est ab Arianis, Calvinianis, Luteranis in iis regionibus, in quas illa pervasis funesta calamitas. Hi nimirum in republica turbas movent, pacique, ac tranquillitati adversantur, suique criminis notam impudenter inurunt veritatis defensoribus. Priscillianistae cum Caesaraugustana Synodo condemnati fuissent, Episcopos; qui Synodi decreta promulgare debebant, publicae tranquillitati inimicos accusabant (3); idemque crimen, et Auxentius haereticus S. Hilario, ac S. Eusebio Nicaenae fidei defensoribus (4), et Arius S. Alexandro Episcopo Alexandrino (5), et Constantius, ac Valens catholicis inferebant.

(1) Nulla vera doctrina, *inquit*. Pufendorffius *de jur. natur. et gent. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 8. *tom.* 3. *pag.* 52. *edit. Francofurt.* 1759., paci repu- » gnat, quae paci repugnat vera non est, nisi etiam pax, et concordia con- » trariae legibus naturalibus dicantur ».

(2) Praeclare S. Hilarius *contr. Auxentium num.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 593. » speciosum quidem, *inquit*, nomen est pacis, et pulchra est opinio » unitas: sed quis ambigat, eam solam Ecclesiae, atque Evangeliorum » unitatem pacem esse, quae Christi est » ?

(3) Consule Severum Sulpicium *Historum. sacr. lib.* 2. *num.* 49. *opp. tom.* 2. *pag.* 258. *edit. Veron.* 1754.

(4) Confer Fleuryum *Histor. Ecclesiast. liv.* 16. §. 2. *tom.* 4. *pag.* 133. *edit. Parisien.* 1698.

(5) Vide-sis eumdem Fleuryum *liv.* 10. §. 33. *tom.* 3. *pag.* 94.

§. IV. Christiani Principes ut imperio tranquille, feliciterque fruantur, hoc maxime curare debent, ut integra sit Religio, firmaeque, et immotae leges, quae a Christo Servatore constitutae sunt. Sic autem ferunt hae leges, ut Christiana Respublica ab Episcopis, atque in primis a Romano Pontifice administretur, ab iisque omnis, quae rectae administrationi congruunt, et conveniunt; stabiliri debeant. Si tollas easdem leges, aut si quid ex iis detrahas, quidquid agitur Divinae voluntati adversarium est, et injuste occupantur, quae a Deo soli Ecclesiae concessa sunt, et quorum possessio nec firma, nec pacata, nec diuturna esse potest. Nam maxima quaeque, si injusta sint, plena sunt aerumnarum, et cito dilabuntur. Hoc est Principibus munimentum tutum, et inexpugnabile Deum habere imperii sui auctorem, et conservatorem; quo praesidio carent, qui in Reipublicae administratione alias sequuntur leges, quam quae a Deo optimo sancitae sunt (1). Male igitur Grotius, ceterique Protestantes de civili Potestate sunt meriti, dum ei jus in sacra tribuerunt, quod a divinis abhorret legibus, quodque et ipsis, et universae Reipublicae exitiosum est.

(1) Videndus est Ven. Joannes de Palafox in opusculo, cui titulus *Exemplos de los Principes y Senores que favorecieron les Iglisias y del buen successo en sas cosas; y de los Principes que fueron contra ellas. y d l mal successo en las suyas opp. tom* 5. *pag.* 463. *seqq. edit. Matrit.* 1765.; praeterea liber cum titulo *Memoriale del Dottor Luigi Belluga Vescovo di Cartagena al Re Filippo V. sopra le materie pendenti colla corte di Roma ed espulsione del Nunzio di S. S. dai Regni delle Spagne tradotto dall' idioma Castigliano*; quo quidem libro §. 12. et illud ipsum argumentum copiose pertractatur. Confer etiam Acta Cleri Gallicani *tom.* 12. *pag.* 42. 43. 132. 144. 186. 229. *seqq. edit. an.* 1740.

§. V. Jam ex his, quae dicta sunt, nullo negocio perspicitur, absurdam, et falsam esse sententiam illorum, qui necessarium putant civilis Potestatis imperium, ut Ecclesias leges recte promulgentur. Nam eadem Potestas ut nullas in iis ferendis partes habet, ita ne in iis quidem promulgandis aliquas habere potest; et Ecclesia eodem jure, quo condit, suas etiam promulgat leges quae ut vim, et exitum habeant, promulgentur necesse est (1). Itaque si civilis Potestas impedimentum infer

re posset quominus Ecclesiae leges promulgarentur, eas inutiles, et inanes faceret suo arbitratu; quod est contra perspicuam Christi voluntatem. Neque illud valet, quod a quibusdam dici solet, civilem potestatem harum legum promulgationi intercedere, ut eas expendat, videatque, ne quid ex iis Respublica damni capiat. Non enim leges, quae pertinent ad Religionem integram, inviolatamque servandam, nocere Raipublicae possunt, neque de his rebus Ecclesiae judicia a civili Potestate expendenda, et approbanda sunt. Hinc Ecclesia omni aetate suo est usa jure et ferendi, et promulgandi leges, idque defendit, ac firmissime retinuit; cum quis liberam hujus promulgationis auctoritatem eripere conatus est. Constans haec fuit, atque perpetua agendi ratio, cum Imperatores Arianis, Nestorianis, Manothelitis, Iconoclastis, ceteris haereticis faventes; atque in catholicos concitati, infensique aut Ecclesiae decretis intercedebant, aut ea in publico proponi vetabant (2).

(1) Egregie S. Thomas 1. 2. *quaest.* 90. *art.* 4. » Lex, *inquit*, imponitur aliis per modum regulae, et mensurae. Regula autem, et mensura imponitur per hoc, quod adplicatur his, qui regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex vim obligandi obtineat, quod est proprium legis; oportet quod adplicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem adplicatio fiit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione; unde promulgatio ipsa necessaria » est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem ». Huc etiam spectant *L.* 9. *Cod. de legib. et constit. Princ.*, *L.* 1. §. 2. *ff. de aedilit. edict. Can. erit.* 2. *dist.* 4. *can. in istis* 3. *ead. dist. Cap.* 13. *de poeniten. et remission.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.*

(2) Totum hoc argumentum copiose pertractat Auctor operis *de l'autorité de deux puissances par.* 3. *chap.* 4. §. 6. *tom.* 3. *pag.* 137. *seqq.*

§. VI. Satis est replicare memoriam temporum, ut omnibus ante oculos obversetur usus perpetuus hujus potestatis; imo in edictis etiam Imperatorum, cum vera fides proposita est., nulla facta mentione decretorum, a quibus eadem fides definita fuerat, minime Ecclesia suae auctoritatis monumenta in eo silentio jacere permisit. Zenonis Henoticon duas in Christo naturas distinguit; verem nulla in eo fit mentio decretorum Concilii Chalcedonensis, a quo Eutyches damnatus est, eaquo de causa illud ab Ecclesia rejicitur (1). Pari modo Ecclesia eadem Heracli Ecthesim, ac Typum Constantis explosit, quod

haec Imperatorum edicta Monothelitis favebant, cum de fidei decretis silentium imponerent (2). Cum Arii haeresim damnavit S. Alexander Patriarcha Alexandrinus, Constantinus M. deceptus fraudibus haereticorum negocium illud minime ad fidem pertinere ratus ad eum literas dedit, ut ab incepto desisteret, ne res publica turbaretur (3). Verum Alexander ubique nunciandam veritatem praedicavit, editumque ad se decretum ad omnes Ecclesias misit, atque a Sylvestro Summo Pontifice confirmari voluit, et Constantinus in Ecclesiae acquievit judicio (4). Leo quoque Armenus Imperator Ecclesiae doctrinam de cultu SS. Imaginum silentio caelari volebat; sed Ecclesia de tam turpi silentio indignata sua decreta palam omnibus proposita esse voluit, ne quis eorum obscuritate, aut ignoratione in errorem reperetur (5). Horum similibus exemplis plenae sunt historiae, ex quibus patet, semper Ecclesiam suo jure et tulisse, et promulgasse leges, neque umquam patienter tolerasse impedimenta, quae huic juri aut vi aperta, aut pacis simulatione inferebantur.

(1) Zenonis Henoticon. damnavit S. Felix III. an. 483.

(2) Heraclii ecthesim damnavit Joannes IV. P., ipseque Heraclius eamdem postea rejecit, novo promulgato edicto, quo eam ab se conscriptam fuisse negavit. Typum autem proscripsit Synodus Lateranensis sub Martino I., eaque *act. seu secret.* 4. *tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 242. *et* 243. habet haec: Bonum est procul dubio, et timentibus Deum desiderabile » cohibere dissensiones, et altercationes pro causa fidei; sed non est utile, » et bonum cum malo destruere bonum, idest cum haereticis Orthodoxo» rum Patrum verba, et dogmata; quoniam hoc potius exurit, non miti» gat controversiam, et merito quidem, nullo patiente denegare, cum » impietate haeretica venerabile verbum fidei . . . . Declinare a malo, et » facere bonum, ipse nobis omnium Dominus praecepit, non vero cum » malo bonum aversari . . . . . Propterea intentum quidem bonum typi » laudamus, sed modum ab intento dissonantem aversamur, quoniam » omnino est inconveniens catholicae Ecclesiae regulae, in qua utique ad» versa tantummodo jubentur merito sepeliri silentio, non vero orthodoxa » cum contrariis confiteri omnino, aut quoquomodo denegare » Confer etiam Encyclicam ipsius Martini I., *ibid. col.* 375. *seqq.*, qua et Ecthesis, et Typus condemnantur.

(3) Extant hae Constantini literae apud Labbaeum *tom.* 2. *Concil. col.* 158. *seqq.*

(4) Has Alexandri literas describit Labbaeus *ibid. col* 150. *seqq.* Confer etiam Constantini Imperatoris orationem ad Concilium, ejusque literas ad Ecclesiam Alexandrinam *ibid. col.* 27. *et* 83.

(5) Consule Theodorium Studitam apud Baronium *ad an.* 814. *n.* 15. *seq. pag.* 521. *seq. tom.* 13 Huc etiam spectant Theodoro antiquiores Hilarius *contr. Constantinum lib.* 2. *num.* 3. *opp. tom.* 2. *col.* 544., et S. Ambrosius *ep.* 40. *num.* 2. *et* 3. *opp. tom.* 3. *col.* 1016.

§. VII. Neque eorum modo, quae ad Fidem, sed etiam eorum, quae ad ecclesiasticam disciplinam spectant, unius Ecclesiae propria curatio, et administratio est. Quod oritur ex missione, per quam Christus Apostolis, eorumque successoribus attribuit ipsam potestatem, quam a Patre acceperat, et eos cum omni auctoritate regere Ecclesiam voluit. Nulla esset haec potestas, nisi explicaretur per leges, in quibus et recti praeceptio, pravique depulsio, et tota reipublicae gubernatio continetur (1); neque hae leges valerent, nisi palam proponerentur subditis, qui parendi necessitate tenentur. Itaque Ecclesia, sicuti dictum est, suas condit, et promulgat leges, uti suas civilis Respublica (2); et in illis quidem Ecclesiae disciplina comprehenditur (3). Hinc unius Ecclesiae est divinum cultum dirigere, sacrasque caeremonias moderari, publicas preces indicere, earumque causas cognoscere, modumque, ac genus constituere, dies festos, jejunia, sacri ministerii officia praescribere, sacros ministros eligere, atque in eorum vitam, et mores inquirere, cetera demum agere, quae ad rectam ecclesiasticae reipublicae administrationem referuntur.

(1) Vide Suaresium *de legib. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5.

(2) Consule Bossuetum *Politique tirée de l' Ecriture liv.* 7. *art.* 5. *prop.* 11. *opp. tom.* 8. *pag.* 506., et Petrum de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *pag.* 46.

(3) Cardinalis Thomasius *opusc.* 16. *opp. tom.* 7. *pag.* 161. *edit. Romae* 1754. „ Propositio, *inquit*, quod solum pertineat ad regem jurisdictio exterioris disciplinae Ecclesiae mihi videtur continere haeresim oppositam revelationi divinae, quam nobis Deus manifestavit in libris novi testamenti. Disciplina enim exterior, et visibilis Ecclesiae sita est in regimine Ecclesiae visibilis: quod regimen non homo, sed Deus, non Regibus, sed Episcopis dedit, ut Deus ipse revelavit per os Apostoli dicentis: *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* „. Deinceps post descriptum *can.* 6. *sess.* 23. *Concil. Tridentini* dicet haec: „ Ex Divina igitur ordinatione Episcopi constituti sunt in Ecclesiastica Hierarchia, et ex eadem Divina ordinatione ipsi positi sunt ad regendam Ecclesiam Dei externo regimine disciplinae, et jurisdictionis „. Quam veritatem de externa disciplina ab Ecclesia regenda, atque administranda ipsi

etiam agnoscunt, atque fatentur scriptores regiae potestati addictissimi, nimirum Dupinius *de Eccles. disciplin. dissert.* 7. *cap.* 1. §. 2., Salgadus *de supplicat. ad Sanctissimum par.* 2. *cap.* 1. *num.* 35. *seqq.* Idque etiam ostendit Guilielmus Beveregius, licet Heterodoxus, *in prolegomen. ad Synodicon, sive Pandect. Canon. num.* 2. *seqq. tom.* 1. *pag.* 11. *seqq. edit. Oxonii* 1672.

§. VIII. Plenae sunt historiae eorum, quae ab Apostolis eorumque successoribus his de rebus gesta sunt. In illis quasi incunabilis Ecclesiae non solum divina ordinatione instituti erant hierarchici ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, sed multa etiam ministeria, et officia, quibus opus erat, ut Christiana societas bene, sapienterque gubernaretur. Apostoli, quos crearunt, Episcopos modo huc illuc miserunt, ut ad plures gentes Evangelium deferrent, qui Episcopi *nationum*, aut *regionarii* dicebantur; modo certis civitatibus praefecerunt, ut in iis morarentur, et rem Christianam cum praecipiendi auctoritate administrarent. Ita Petrus suam Antiochiae Sedem constituit, et Marcum Alexandriam misit, quamquam hi Episcopi non ita iis civitatibus essent alligati, ut non saepe propter Ecclesiae utilitatem, aut necessitatem in finitimas, regiones excurrerent. Ad Apostolis etiam, uti dictum supra est, repetenda sunt initia Metropolitarum, qui scilicet non uni civitati, sed pluribus, et aliis quoque Episcopis praesidebant. Minoribus civitatibus praeerant etiam Presbyteri; et hi, exceptis illis, quae sunt ordinis, omnem episcopalem potestatem exercebant, atque Episcopi praeterea dicebantur. Quin etiam Ecclesiae Samariae praedicatione sua Philippus Diaconus fundamenta jecit (1); quo Apostoli miserunt Petrum, et Joannem, qui ibi Episcopale munus implerent, hoc est baptizatos Confirmationis sacramento donarent. Ubi non Episcopi, sed simplices Presbyteri erant constituti (2), hi communi consilio Ecclesiam gubernabant; donec obortis dissidiis visum est in singulis civitatibus constituere Episcopos, qui omnibus essent praepositi, et quorum auctoritate omnia removerentur semina discordiarum (3). Praeter hoc ordines, erant et multa ministeria, ex quibus decem Paulus enumerat (4) omnibus sua erant tributa officia, quae ad rectam christianae societa-

tis procurationem dirigebantur; Diaconissae mulierum praesertim curam habebant (5). Certa erat sacrarum electionum absolvendarum ratio (6), atque a sacro ministerio, praesertim ab Episcopatu, bigami, et neophiti arcebantur (7). Etiam Diaconissae eligi non poterant, nisi quae integros, probatosque mores haberent, essentque vel virgines, vel unius viri viduae, nataeque annos sexaginta (8), Conciliorum (9), ecclesiasticarum literarum (10), ac tribunalium (11) origo ab Apostolis repetenda est; iidemque reos criminum poenis affecerunt (12), reditusque ecclesiasticos babuerunt (13), et collectas indixerunt, quas tempus, ac necessitas flagitabat (14), denique ut cuncta quam rectissime agerentur, omni cura providerunt.

(1) Act. Apostol. *cap. VIII. vers.* 14. Confer Petavium *de eccles. hierarch. lib. 2. cap. 5. num. 9. tom. 6. theolog. dogmat. pag.* 112.

(2) Presbyteros, non item proprie dictos Episcopos, fuisse Corinthi, Philippis, atque in aliis civitatibus, non obscure deprehenditur ex titulo *epistolae ad Philippenses*, in qua haec scripta sunt „ Paulus, et Timo- » theus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Phi- » lippis, cum Episcopis, et Diaconis ». Quo quidem loco, uti monet Hieronymus *in epist. ad Titum cap. I. vers. 5. opp. tom. 7. col.* 695. Episcoporum nomine Presbyteri intelliguntur, quoniam plures in una civitate Episcopi esse non poterant.

(3) Sic Hieronymus *loc. cit. col.* 694. „ antequam, *inquit*, diaboli in- » stinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: *ego sum Pau-* » *li, ego Apollo, ego autem Cephae*, communi Presbyterorum consilio » Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque, quos baptizave- » rat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est; ut unus „ de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae » cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » De hoc decreto, cujus Hieronymus meminit, nihil certi statui potest; forte a Petro, aut Paulo, vel ab utriusque simul editum est.

(4) Paulus *I. ad Corint. cap. XII. vers. 5. seqq. et ad Ephes. cap. IV. vers.* 11.

(5) Apostolus *ad Roman. cap. XVI. vers. 1. et 6.* memorat Phoeben, et Mariam utramque Diaconissam. Has mulieres *portarum custodes* vocat Ignatius Martyr, seu potius quisquis est Auctor adscriptae eidem *epist. ad Antiochen. num.* 12. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom. 2. pag.* 112. *edit. Antuerp.* 1698., nimirum *ad introitus feminarum*, uti explicant Constitutiones Apostolicae *lib. 2. cap. 57. ibid. tom. 1. pag.* 263.

(6) Ex iis, quae in Diaconorum electione ab Apostolis gesta sunt in *Act. Apostol. cap. VI. vers. 1. et seq.*; deprehendi potest, quae in sacrorum ministrorum electionibus forma servaretur.

(7) Apostolus *I. ad Timoth. cap. III. vers.* 1. 6. 12.

(8) Idem Apostolus *ibid. cap. 5. vers.* 12.

(9) Jerosolymitanum Concilium, quod memorant Actus Apostolorum *cap. XV*, veluti norma est reliquorum, quae deinceps habite sunt. Apostoli instincti Spiritu Sancto omnia, de quibus erant controversia, diligenter

expendi volunt, sententias audiunt, definiunt, canones condunt, mittunt epistolam synodalem, atque ab se latum judicium promulgari jubent Antiochiae, ubi discordia fervebat. Primus autem in concilio loquitur, ac definit Petrus, tamquam Ecclesiae caput. Praeter hoc et aliud in iisdem Actibus *cap. XXI. vers.* 18. concilium est, quod a nobis dioecesanum appellaretur.

(10). De ecclesiasticis literis late agerunt Ferrarius, Priorius, Bencinius, et hujusmodi sunt literae, quas habemus, Apostolorum. Ex his literis ecclesiasticis quaedam erant *commendatitiae*, quarum Paulus meminit *II. ad Corint. cap. III. vers.* 2., et hujus generis est epistola, quam ipse pro servo Onesimo ad Philemonem scripsit. Etiam *cap. XVI. vers.* 1. *et* 2. *ad Roman.* commendatitia epistola pro Diaconissa Phoebe continetur.

(11) Quod a Petro latum est judicium adversus Ananiam *Act. Apostol. cap. V. vers.* 3. *et* 4., latum est re quaesita, atque interrogato, et criminis convicto reo, antequam sententia emitteretur.

(12) Huc referenda sacri interdicti, sive excommunicationis poena, quam adversus graviorum criminum reos ab Apostolis irrogatam constat. Ea de re actum est superiori loco.

(13) In Actibus Apostolorum *cap. IV. vers.* 34. scriptum est. » Quot» quot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes affere» bant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolo» rum; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat ». Paulus quoque I. *ad Corint. cap. IX. vers.* 5. testatur, ceteros Apostolos, et fratres domini et Cepham Hebraeorum more, ac sine ulla offensione secum habuisse pias mulieres, a quibus dabantur necessarias quaeque ad vitam traducendam; idemque Paulus et Jerosolymae, et Philippis ab earum civitatum Ecclesiis quidquid ad cultum, atque ad victum suppeteret accipiebat, nisi quis eum hospitio excepisset, qua de re videndus S. Jo. Chrysostomus *homil.* 45. *in act. Apostol. tom.* 9. *opp. pag.* 343. Itaque Ecclesiae suos habebant reditus, ex quibus sacris ministris necessaria praebebant. Quod si inopes illae essant, imponebantur collectae, de quibus mox erit agendi locus. Nihil dicto de *loculis*, quos Christum habuisse testatur S. Joannes *in Evangel. cap. XII. vers.* 6. *et cap. XIII. vers.* 29., et de quibus videndus Augustinus *tract.* 62. *in Joan. cap.* 13. *num.* 5. *opp. tom.* 4. *col.* 886., *et de sermon. Dom. in monte lib.* 2. *cap.* 17. *eod. tom. col.* 293. Totum hoc argumentum copiose pertractavit Mamachius *del diritto libero della Chiesa di acquistare, e possedere beni temporali.*

(14) Collectas memorat Apostolus I. *ad Corint. cap. XVI. vers.* 1. *et II. ad eosd. cap. VIII. vers.* 1., et Actos Apostol. *cap. XI. vers.* 29. De his *tom.* 9. *dissertat. Italicarum.* quas collegit Zaccaria *pag.* 121. *seqq.* extat dissertatio, in qua multa referuntur, quae ad hoc totum argumentum pertinent.

§. IX. Atque haec quidem vivis Apostolis obtinuit de Ecclesiae regimine disciplina. Sed et eadem aetate de sacris diebus, ac locis, functionibusque sacrorum munerum certe erant praescriptae leges, cum quibus agenda erant omnia, quae ad ea pertinebant. Dies festi, atque solemnes, qui a Christianis omnibus magno cum honore celebrabantur, erant in primis dies Dominicus, qui et una, seu *prima Sabbati* (1), et dies *Solis* diceba-

tur (2), et dies *Azymorum*, hoc est Pascha (3), et Pentecostes (4). Divina Mysteria primum in privatis domibus fidelium peragebantur (5), deinde, aucto eorum numero, certa pro iis loca, hoc est Ecclesiae constitutae sunt (6). In his locis congregati Fideles res Christianas edocebantur, et sacras conciones audiebant, et fundebant preces (7), et praesertim Eucharistiae sacramentum suscipiebant (8). Sacramenta cum certis ritibus, ac caeremoniis, uti nunc etiam fit, conferebantur (9), ipsaque privata vita Christianorum certis regebatur legibus, quas Apostoli stabiliverant (10). Neque scripto solum, sed etiam viva voce plures relictae sunt ab Apostolis de disciplina leges, quae ad nos Majorum traditione pervenerunt (11). Multa ex ea traditione procedunt, nimirum signum crucis, quo utimur, mos veterum Christianorum, qui ad Orientem versi preces fundebant, idque faciebant flexis genibus (12), exceptis diebus Dominicis, eoque tempore; quod inter Pascha, et Pentecosten intercedit, invocationis verba, cum Eucharistia conficitur, benedictio aquae baptismatis, et olei unctionis, cetera similia, quae Basilius enumerat (13). Ex eadem Apostolica traditione procedit jejunium quadragesimae (14), es quatuor temporum, praeterea mos exorcizandi cathecumenos, baptizandi diebus Paschatis, et Pentecostes, dominicis autem habendi sacras ordinationes (15). Ne multa „ Quod universa tenent Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper „ retentum est, nonnisi ab Apostolica auctoritate traditum „ rectissime creditur (16).

(1) Actus Apostol. *cap. XX. vers.* 7. Dies Dominicus dicebatur *prima Sabbati*, hoc est prima dies post Sabbatum, et *una Sabbati*, hoc est dies una post Sabbatum, qui mos erat Hebraeorum, quem in illis Ecclesiae primordiis Majores nostri retinuerunt.

(2) Ita S. Justinus *Apolog.* 1. *num.* 67. *pag.* 84. *edit Paris.* 1742. diem Dominicum appellat, ut intelligeretur ab ethnicis, contra quos disputabat. Dominici diei celebritatem memorat etiam Ignatius Martyr *ad Magnesian. num.* 9. *tom.* 2. apud Cotelerium *pag.* 20.

(3) Act. Apostolor. *cap. XX. vers.* 6.

(4) Ibid. *vers.* 16.

(5) Itaque in Actibus Apostolorum *cap. II. vers.* 46. scriptum est: *Frangentes circa domos panem.*

(6) Apostulus I. *ad Corint. cap.* 11. *vers.* 18. et 22. aperte distinguit Ecclesias, *convenientibus vobis in Ecclesiam*, a privatis domibus, *numquid domos non habetis.*

(7) Preces, quae a Christianis fundebantur, describit Apostolus I. *ad Timoth. cap.* 2. *vers.* 1. Confer etiam Actus Apostolor. *cap. XII. vers.* 5.

(8) Actus Apostolor. *cap. II. vers.* 42.

(9) Ibidem *cap. VIII. vers.* 36. *seqq.*, ubi in Eunucho Reginae Candacis, quem Philippus Diaconus baptizavit, totam fere habes de sacramento Baptismi disciplinam. In sacramento Confirmationis pluries occurrit in Actibus Apostolorum manuum impositio. De Eucaristia loquitur *Paulus I. ad Corint. cap. X. vers.* 16. *et cap. XI. vers.* 20. *et vers.* 34., ubi *cetera*, quae ad dignam ejus sumptionem, et certum sacrificii ritum spectant, *cum venero*, inquit, *disponam*. De sacramento Poenitentiae celebre est illud, quod a Paulo gestum est adversus Corinthium incestus reum, quem postea resipiscentem ipse poena longiori solvit, *in persona Christi*, *ne forte abundantiori tristitia absorberetor II. ad Corint cap.* II.; quo in loco manifestum habemus exemplum Indulgentiarum, quae ab Ecclesia conceduntur. De sacramento Extremae unctionis omnibus nota est epistola Jacobi Apostoli. Ordines cum jejunio, precibus, manuum impositione conferuntur Act. Apostol. *cap. VI. vers.* 6. *et cap. XIV. vers.* 22. De matrimonio duo praesertim animadvertenda sunt a Paulo constituta. Primum est quod si duo infideles matrimonium contraxerint, ac deinceps eorum alter Christianus fiat, matrimonium non solvitur, si infidelis cum fideli remanere consentiat, neque ulla Religioni injuria afferatur, aut praebeatur occasio peccandi. Alterum est, quod si infidelis a fidelis societate discedat, et hic alter ab omni solutus vinculo babeatur *I. ad Corint. cap. VII. vers.* 12. *seqq.*

(10) Totum hoc argumentum copiose persequitur Mamachius *de' costumi de'primitivi Cristiani.*

(11) Has traditiones memorat Paulus I. *ad Corint. cap. XI. vers.* 2. *et II. ad Thessalon. cap. II. vers.* 14.

(12) Mos orandi flexis genibus, exceptis iis diebus, quos commemoravi, ab Apostolis procedit. In Actibus Apostolorum scriptum est, quod S. Petrus *ponens genua oravit*, similiter S. Paulus, antequam Epheso discederet, *positis genibus suis oravit cum omnibus illis Act. cap. IX. vers.* 40. *et cap. XX. vers.* 36.

(13) Confer S. Basilium *de Spiritu S. cap.* 27. *num.* 66. *opp. tom.* 3, *pag.* 54. *seqq. cit. edit. Paris.*

(14) S. Hieronymus *ep.* 41. *num.* 3. *tom.* 1. *opp. col.* 189.

(15) S. Leo M. *serm.* 79 *cap.* 1. *tom.* 1. *col.* 316. *serm.* 94. *cap.* 3. *col.* 365. *et ep.* 9. *cap.* 1. *et ep.* 16. *cap* 4. *col.* 629. *et* 720.

(16) Sic S. Augustinus *de Baptism. contr. Donatist. lib.* 4. *cap.* 24, *opp. tom.* 12. *col.* 180.

§. X. Sunt haec, quae hactenus recensuimus, et alia etiam, quae longum esset enumerare, ecclesiasticae disciplinae capita ab Apostolis constituta. Eorum morte ut ad successores Episcopos, atque in primis ad eum, qui Petro successit, Romanum Pontificem Ecclesiae gubernatio; ita stabiliendae disciplinae potestas delata est; eamque ipsi semper sine ulla controversia exarcuerunt (1). Christiani quoque Principes eamdem ratam firmam haberi

voluerunt (2), Ecclesia vero non solum facto, sed et decretis (3) confirmavit, atque etiam Sanctorum fastis adscripsit, qui pro hac ejus potestate acerrime propugnarunt (4). Eodemque jure, quo constituit, immutat etiam Ecclesia disciplinam, uti rerum, ac temporum ratio postulat; unde deprehenditur error illorum, qui novam, eique probatam disciplinam fastidientes vetustam, et antiquatam appellant. Nonne eadem plane obnoxia est mutationi, totaque ejus moderatio unius Ecclesiae propria est? Ergo cum justas ob causas, quarum judicium ad eam tantum spectat, Ecclesia veterem sustulit, et novam induxit disciplinam, suo est usa jure, cui nemo intercedere potest, nisi audacter ejus potestatem impugnet. Nec quod quibusdam vetus, et obsoleta melior videatur, revocanda est. Principio melior ne sit, an secus, a sola Ecclesia judicandum est; Deinde etiamsi melior habeatur, cum per se mala non sit, tamen removenda non est; propter metum dissidiorum, malorumque graviorum; quae facile existerent, si nova sublata disciplina antiquior illa, et abjecta renovaretur.

(1) Vide quae supra dicta sunt *cap*. 8. §. 15. *seqq. pag*. 172. *seqq*. Canones, qui dicuntur Apostolorum, et Constitutiones Apostolicae, quibus multae continentur leges de ecclesiastica disciplina, ad priora Ecclesiae saecula referenda sunt. Multa etiam ejusdem disciplinae capita habentur in constitutionibus Pontificum Romanorum, in Codice Canonum Ecclesiae Africanae, pluribusque conciliis, quae habita sunt tum antequam Imperatores Christianam Religionem amplecterentur, tum postquam eam amplexi fuerant.

(2) Consule Novellam 83., et Novellam 123. *cap*. 21., praeterea Honorii epistolam ad Arcadium, et Theodosium apud Constantium *epist. Roman. Pontif. col*. 801., Basilii Macedonis Imperatoris epistolam relatam in octava Synodo oecumenica *act*. 10. *tom*. 10. *Concil. Labbaei col*. 675.; et Synodum Romanam III. sub Symmacho *tom*. 5. *Concil. Labbaei col*. 459. *et* 466. Mitto Constitutionem Valentiniani, Theodosii, et Arcadii *L*. 3. *C. de Episcop. judic. in appendic. Cod. Theod. tom*. 6. *par*. 1. *pag*. 348. *ed. Lipsiae* 1736., quoniam fides, et auctoritas ejus constitutionis non satis certa est, Omittenda tamen non sunt duo edicta Ludovici XIII. et Ludovici XIV., Galliarum Regum an. 1629. et anni 1695., quorum altero *art*. 31., altero autem *art*. 34. cautum est, ut judices saeculares nihil attingant eorum, quae pertinent ad disciplinam, atque ad reliquam ecclesiasticam jurisdictionem.

(3) Nota sunt Ecclesiae decreta contra Waldenses, Marsilium Patavinum Joannem Hussium, Lutherum, ceteros haereticos, qui ejus potestatem in discrimen revocare ausi sunt. Confer Concilium Tridentinum *sess.*

6. *can.* 20. *sess.* 7. *can.* 13. *et sess.* 25. *ad reform. can.* 18., aliaque Concilia, Patresque omnes, quorum supra facta mentio est.

(4) Duo praesertim sunt, qui ea de causa ab Ecclesia inter Sanctos numerantur, Gregorius VII. P., et Thomas Cantuariensis Archiepiscopus. Illius dies festas describitur in Martyrologio Romano *die* 25. *Maii* » depositio B. Gregorii P. VII., ecclesiasticae libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi » hujus autem die 29. Decembris. » Cantuariae in Anglia Natalis S. Thomae Episcopi, et Martyris, qui ob defensionem justitiae, et Ecclesiasticae immunitatis impiorum hominum factione, in Basilica sua gladio percussus migravit ad coelum », S. Gregorii apologiam contra ejus invidos vituperatores copiose, graviterque conscripsit Gretserus, multaque etiam, quae ejus virtutes ostendunt, monumenta collegit imperatoriae bibliothecae Praefectus Sebastianus Tengoagel. De S. Thoma Cantuariensi Bossuetus *Histoir des variation. liv.* 7. §. 114. *opp. tom.* 4. *pag.* 288. habet haec » La gloire de S. Thomas de Cantorbéri vivra autant » que l'Eglise, et ses vertus, que la France, et l'Angleterre ont révérées » comme à l'envi, ne seront jamais oubliées; plus que ce S. Martyr soutenoit, a parû douteuse, et equivoque aux politiques, et aux moudains, » plus la divine puissance s'est declarée d'en haut en sa faveur, par les châtiments terribles, qu'elle exerça sur Henri II., qui avoit persécuté le » S. Prelat, par la penitence exemplaire de ce Prince, qui seul pût appaiser l'ire de Dieu, et par des miracles d'un si grand éclat, qu'ils attirerent, non seulement les Rois d'Angleterre, mais encore les Rois de » France à son tombeau, miracles d'ailleurs si continuels, et si attestés par » le concours unanime de tous les Ecrivains du temps, que pour les revoquer en doute, il faut rejetter toutes les Histoires ». Nec certe hoc leve esset malum, si Summus Pontifex scelestos homines sanctorum albo adscripsisset. » In Ecclesia non potest, *inquit* S. Thomas *Quodlib.* 9. *q.* 7, » *art.* 16., esse error damnabilis. Sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tamquam Sanctus qui fuit peccator, quia alicui scientes peccata ejus, crederent hoc esse falsum; et si ita contingeret, possent ad » errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus errare non potest ».

§. XI. Revera cum non eadem omni aetate fuerit Ecclesiae disciplina, si unicuique Episcopo liceret, sublata recentiori, qua nunc utimur, redintegrare antiquiorem, perturbatio rerum sequerentur, et magna confusio. Nam quivis suo arbitrio, quam mallet, disciplinam induceret, et illa ipsa, quae jam uni Episcopo pro sua Dioecesi probata est, ab ejus successores tolleretur; atque ita incerta omnia essent, ac perturbata, neque illa amplius existeret conspiratio; et concordia, quae ab antiquis canonibus tantopere commendatur. Quid quod civilis Reipublicae Moderatores immerito fruerentur facultate, quam a Sede Apostolica per indulta, aut pacta conventa impetrarunt, nominandi, aut praesentandi aliquem ad Episco-

patus, aliaque ecclesiastica beneficia? Facultas haec, quae sua natura laicis non convenit, recte a Sede Apostolica Summis Principibus concessa est, quoniam ad eam spectat disciplinae moderatio, eaque suo jure potuit novam de electionum methodo constituere. Verum si Romano Pontifici hanc potestatem invidemus, atque integrare volumus antiquatam disciplinam, reviviscant necesse est vetusti canones, quibus constituitur, quod „ Omnis electio a Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat secundum regulam, quae dicit: si quis Episcopus saecularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur „ (1).

(1) Sic Concilium oecumenicum Nicaenum II, *can.* 3. *tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 1247. Idem habet Concilium Constantinopolitanum IV. similiter oecumenicum *can.* 12. *ibid. tom.* 10. *col.* 639., et his duobus Conciliis antiquior Canon Apostolorum 30. apud Beveregium *Pandectae canonum tom.* 1. *pag.* 18. *edit. Oxonii* 1672. Videndi sunt Cardinalis Gerdilius *Confutazione di due libelli diretti contro il Breve super Soliditate par.* 3. §. 10. *tom.* 2. *pag.* 208. *et seq.*, Ballerinius *Vindic. Auctor. Pontif. cap.* 2. *pag.* 160. *et seq. et cap.* 6. *pag.* 205. *et seq.*, Mamachius *del diritto libero della Chiesa etc. tom.* 2. *par.* 2. *cap.* 4. §. 3. *pag.* 332. *seqq. et tom.* 3. *par.* 1. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 332. *seqq.*

§. XII. Quae si ita sunt, uti sunt revera, manifesti convincuntur erroris, qui publicam a privata disciplina distinguunt (1), internam ab exteriori (2), quique hominum externas actiones civili Reipublicae subjectas putant (3). Nulla hujusmodi distinctione usus est Christus, cum Apostolis, eorumque successoribus universae commisit Ecclesiae gubernationem; imo si ea visibilis est hominum societas, qui fieri potest, ut sine externo regimine consistat? Et si hoc regimen proprium est tantum eorum, a quibus ipse Christus hanc visibilem societatem regi voluit, quis alteri potestati subjectas credat externas actiones hominum, sine quibus idem regimen exerceri non potest? Rursus Ecclesia non privata, sed publica societas est, quae totum orbem complectitur, quaeque a Christo omnium hominum, qui inter ejus filios cooptati sunt, regendorum amplissimam potestatem accepit; quis eam privatae tantum disciplinae gubernatricem putet? Certe Apostoli, et eorum successores non modo privatam, et internam, sed etiam publicam, et exteriorem

disciplinam moderati sunt, pluresque edidere leges, quae ad externas hominum actiones pertinebant, atque ita suo jure Christianam Rempublicam in hominum conspectu gubernarunt. Accedit, quod multa exterioris disciplinae capita ita sunt cum intima Ecclesiae natura conjuncta, ut iis demptis vel ea consistere non posset, vel rerum existeret incredibilis perturbatio. Hujusmodi sunt ex. gr. officia, ordines, clericorum ordinationes, earumque leges, et quae in easdem irrepere possunt, vitia, judicia, quae propter crimina ecclesiastica, despectosque canones agenda sunt. Itaque ut pateat, quid Ecclesiae auctoritati obnoxium sit, quid contra non sit, haud sane quaerendum est, publicane sit ea res, an privata, interna, an externa; sed illud unum videndum est, num eadem res sit necessaria, ut spiritualis potestas rite, et recte exerceri, malaque omnia removeri possint. Quidquid ejus generis est Ecclesiae potestati subjicitur.

(1) Simon Vigorius an. 1612. librum edidit calumniarum, falsitatum, maledictorum plenum, cui titulus. *Ex responsione synodali data Basileae oratoribus D. Eugenii Papae IV. in Congregatione generali tertio nonas Septembris 1442. pars praecipua, et in eam commentarius.* Duplicem vero disciplinam in ea distinguit, alteram, quam *privatam*, *quando regularia examinantur*, nimirum, quando agitur de articulis fidei, sacramentis; quae sunt fori interni conscientiae, alteram, quam *publicam* appellat, eaque pertinet ad ferendas Ecclesiae leges, ad congreganda concilia, ad judicandas causas clericorum, aliaque similia, quae sunt pro recta Ecclesiae administratione utilia, vel necessaria. Illam Ecclesiae auctoritati, hanc autem civili potestati subjectam facit. Librum hunc solide refutavit Andreas Duwalius Doctor Sorboniens *de suprema Pontificis in Ecclesiam potestate*; quod opus Parisiis prodiit an. 1614.

(2) Paradoxum hoc literis consignavit Auctor libri editi an. 1768. *La Chiesa e la Repubblica dentro i loro limiti.*

(3) Antonius Genovesius *de jur. et offic. cap.* 8. §. 38. *pag.* 221. *edit. Neapol.* 1765. *in externis actionibus, quibus divina jura propagantur, et in Republica administrantur, Sacerdotium Imperio civili subjectum* putat. Petrus Giannonius, cujus erroribus copiose satisfecit Bianchius *della potestà, e della polizia della Chiesa*, Ecclesiae canones, ac disciplinam a civilibus legibus vim omnem accipere contendit. Huc etiam referenda est consultatio quadraginta Advocatorum, quae an. 1730. in Galliis prodiit, et qua illi ecclesiasticam disciplinam civilis administrationis partem efficere arbitrantur; qui quidem error plane explosus est tum mandato Caroli Aurelianensis Archiepiscopi Cameracensis; tum pastorali instructione Petri de Guerin de Tencin Archiepiscopi Ebrodunensis postea Cardinalis; quod utrumque an. 1731. editum fuit.

§. XIII. Quid dicam de legibus quibusdam Justiniani Imperatoris, ac de Capitularibus Regum Francorum, quibus multa ecclesiasticae disciplinae capita continentur? Hoc dicam, legum quae de rebus ecclesiasticis a Justiniano latae sunt, duplex genus esse. Aliae nimirum pertinent ad fovendos, confirmandosque canones, eaque exequenda, quae iisdem sancita sunt; aliae jus novum constituunt, quod canonibus adversaretur. Cum id unum cautum est legibus, ut omnes sacrorum Canonum decretis obtemperent, nullum plane jus novum in Ecclesiae disciplina inductum est, ita ut aliquid de Ecclesiastica jurisdictione demptum videatur; sed id tantum actum est, quod sane pertinet ad Christianum Principem, ut Ecclesiae decreta expeditiorem exitum obtinerent, iisque omnes sine ulla cunctatione parere deberent (1). Quod si in Ecclesia Constantinopolitana propter aes alienum, quo ea premebatur, Justinianus nimium cohibuit numerum clericorum, atque alios ordinari vetuit, donec prior ille extaret numerus vel consuetudine, vel fundationis lege stabilitus (2), id quidem semper ab Episcopi judicio pendere voluit, secundum Arcadii, et Honorii legem (3), quam ipse in Codice descripsit. Itaque nihil ipse de Episcoporum judicio, et auctoritate detraxit, cum illas de eorum clericorum numero leges tulit, sed potius se canonum vindicem, ac defensorem exibuit. Quin etiam valde simile veri est, quod viri docti observarunt (4), eum leges omnes, quas de rebus ecclesiasticis laturus erat, ad eos Episcopos referre consuevisse, qui Constantinopolim negociorum causa frequentes convenire solebant, ac quoddam veluti perpetuum patriarchale Concilium conficiebant.

(1) Pluribus in locis declarat Justinianus, se tantum esse vindicem, tutoremque canonum, non eorum conditorem, atque id unum curare, ut quae sacris canonibus sancita sunt, exitum consequantur. Id diserte profitetur in rescripto ad Dacianum, in quo addit haec » Illud pro lege ser» vandum est, quod conciliis definitum servavit devota posteritas ». In Novella 6. his utitur verbis » sancimus sacras per omnes sequentes regulas » in Novella 42. » haec decernimus SS. Patrum canones sequuti » in Novella 133. » sequimur sacros in hoc canone Sanctissimos Patres, qui hoc » comprehenderunt legibus », Similiter Novella 123. » qua vetuit Episco-

pos multare aliquem poena anathematis, nisi primum res plane cognita; et explorata esset, nihil sancivit, quod non pridem esset sacris canonibus constitutum; ut ostendit Bianchius *lib.* 3. *dell' esterior polizia della Chiesa tom.* 5. *par.* 2. *pag.* 500. *seqq.* Qua in re Justinianus sese canonum defensorem praebuit, ut eorum decreta ab omnibus accuratius observarentur; quod perspicuum est ex Novella 13., in qua verba faciens de Anthimi depositione habet haec „ quam sententiam Episcoporum tametsi per se „ valentem, multo tamen valentiorem (*in facto scilicet, non autem in ju-* „ *re*) reddit majestas imperialis, quae regia hac urbe eum expellit „.

(2) *Novella* 3. 6 *cap.* 8. *et* 16.

(3) *Leg.* 11. *Cod. de Episc. et Cleric.*

(4) Id ex Procopio *de bello gothico lib.* 3. *cap.* 32. *et* 35. *pag.* 539. *et* 549. *edit. Paris.* 1662. colligit Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 46. *num.* 3. *tom.* 2. *pag.* 410. *edit. Venet.* 1773. Videndus est etiam Petrus de Marca *concord. sacerdot. et imper. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. *pag.* 123.

§. XIV. Novum vero jus, quod de exteriori Ecclesiae disciplina a Justiniano sancitum fuit, eum habuit exitum, quem habent cetera, quae injuria fiunt ab iis, qui nullam habent earum rerum potestatem. Voluit is quidem elata, non demissa voce in sacra Liturgia consecrationis verba proferri (1); verum ea lex neque tunc observata generatim est, neque nunc a Latinis, Graecisve observatur (2); adeo verum est, neminem obstringi legibus, quae sine justa auctoritate latae sunt. Idem esto judicium de ceteris Justiniani legibus, quae exteriorem Ecclesiae disciplinam attingunt; quas inter duae praesertim dignae observatu sunt, altera qua Episcopus eligi prohibetur quisquis filios habet, aut nepotes (3), altera, qua decretum est, ut nemo ante annum vigesimum quintum Subdiaconus ordinetur (4). Nam utramque hanc legem abrogavit Leo Sapiens Imperator (5), qui Justiniani *audaciam* improbavit, propterea quod ea, quae unius Ecclesiae propria sunt, injuria usurpaverat. Mitto ceteras leges Justiniani, qui cum se vetustatis tutorem, ac vindicem praedicaret, fas sibi etiam esse duxit *in melius augere* quaedam capita ecclesiasticae disciplinae (6), quae sive lege, sive consuetudine obtinebant. Notum enim est, hunc hominem nimio abreptum studio emendandi quidquid sibi minus rectum videbatur, interdum ad ea, in quae sese inferre, et intrudere nulla ratione poterat, vim imperii produxisse (7). Ceterae, quae opponantur,

laicorum leges de rebus ecclesiasticis aut ipsis rogantibus Ecclesiae Magistratibus latae sunt (8), aut si ab iis sunt editae suo arbitratu, ac sine Ecclesiae consensu ab eadem semper improbatae, ac rejectae fuerunt.

(1) *Novella* 137. *cap.* 6.

(2) Confer Petrum Le-Brunium *de Sacrific. Missae dissert.* 15. *art.* 6. *tom.* 4. *pag.* 297. *edit. Venet.* 1770.

(3) *Leg.* 42. §. 1. *Cod. de Episc. et Cleric.*

(4) *Novella* 123. *cap.* 13.

(5) Leo Imperator *Novell.* 2. apud Dionysium Gothofredum *tom.* 2. *corpor. jur. civil. Roman. pag.* 661. *edit. Lipsiae* 1740.

(6) Idem *Novell.* 16. *et* 75. *ibid. pag.* 664. *et* 678.

(7) Consule Baronium *ad an.* 528. *num.* 1. *seqq.*, *et ad an.* 511. *num.* 13. *seqq. tom.* 9. *pag.* 390. *et* 619., Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec. VI. cap.* 7. *art.* 2. *tom.* 5. *pag.* 425., et Petrum de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. *pag.* 45. Sunt tamen qui Justinianum defendunt, quod nullum ab eo novum jus constitutum, sed tantum probatum, confirmatumque jus inductum a sacris canonibus existimant, atque ita quidem sentiunt Beveregius *Pandect. canon. in prolegom. num.* 9. *pag.* 7. *tom.* 1., Petrus de Marca *loc. cit. cap.* 7. *num.* 8. *pag.* 47., Van-Espenius *in tract. histor. canon. par.* 10. *cap.* 1. §. 6. *tom.* 5 *pag.* 170. *edit. Lovanii* 1732. Ipse etiam Baronius *d. pag.* 390. multa esse inquit, quae ad ejus excusationem possint afferri. Illius defensionem novissime suscepit eruditus vir Philippus Invernizzius, qui non multis ab hinc annis Justiniani vitam conscripsit.

(8). Extat apud Coustantium *epist. Rom. Pontif. col.* 530. *seqq.* rescriptum Gratiani, et Valentiniani Imperatorum in causa Damasi P. adversus Pseudo-Papam Ursicinum, in quo aliquid de ecclesiastica disciplina constituitur; verum hoc rescriptum anno 378. postulavit Concilium Romanum, ut ipsius Ursicini audacia comprimeretur. Est etiam memoratu digna constitutio Valentiniani III. *inter epist. S. Leonis M.* 11. *tom.* 1. *col.* 642. *edit. Ballerin.*, in qua imperator sententiam memorans ejusdem Leonis adversus Hilarium Arelatensem inquit, quod » erat quidem ipsa sententia per Gal- » lias etiam sine Imperiali sanctione valitura; quid enim tanti Pontificis » auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed nostram quoque praeceptionem » haec ratio probavit, ne ulterius nec Hilario, quem adhuc Episcopum » nuncupari sola mansueti Praesulis permittit humanitas, nec cuiquam al- » teri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut praeceptis Romani Antistitis » liceat obviare «. Quam sane constitutionem, uti etiam aliam anni superioris contra Manichaeos, ipse Leo Pontifex emittendam curavit. Sunt etiam leges duae Leonis I. Imperatoris contra electiones simoniacas, et contra vagantes Monachos; sed eas hortatu, suasuque S. Gennadii Episcopi Constantinopolitani editas fuisse certum est. Similiter S. Damasus P. Valentiniano I. Imperatori auctor fuisse videtur, ut lata ab se lege vetaret, ne viduae aliquid donarent, aut testamento relinquerent viris ecclesiasticis, qui *se privatim sub praetextu Religionis adjunxerint*, quod observarunt Baronius *ad an.* 370. *num* 23. *tom.* 5. *pag.* 318., Antonius Merenda *opuscul. et gest. S. Damasi P. cap.* 5. *num.* 4. *pag.* 25. *edit. Romae* 1854. ipseque Calvinianus homo Samuel Basnagius *annal. polit. eccles. ad an.* 370. *num.* 11. *tom.* 3. *pag.* 28. *edit. Roterod.* 1706.

§. XV. Ejusdem momenti sunt, quae educi solent ex Capitularibus Regum Francorum, in quibus et quaedam insunt de ecclesiastica disciplina. Nam ea Capitularia, quae ad res pertinent ecclesiastica, pleraque prodierunt opera, consilio, auctoritate ipsorum Praesulum ecclesiasticorum; qui sese ad ecclesiasticam synodum contulerant eo loco, ac tempore, quo generales regni, atque imperii Francorum conventus habebantur. Cum enim in eo regno novae essent ferendae leges, quae ejus gubernationem respicerent, generalia totius regni comitia convocari solebant; ad quae Ordo uterque laicus, et ecclesiasticus conveniebat, ut sententiam ferret, suumque cum subscriptione consensum emitteret (1). Qui mos etiam a Longobardis observabatur, ac post eos in Italia diutius obtinuit (2). Cum propter ea comitia regni Proceres, Episcopi, et Abbates unum in locum conveniebant, singuli suas separatim habebant synodos; Proceres, ut de iis agerent, quae ad civilis reipublicae administrationem pertinebant, Abbates, et Monachi ut suas sibi res decernerent, Episcopi ut ecclesiastica negocia constituerent (3). Interdum etiam, cum ita rei natura postulabat, hi tres divisi coetus coibant, ut simul consilia conferrent, ac de proposito negocio deliberarent. Itaque quod habent ea Capitularia de Ecclesiasticis negociis, id ab ipsis Ecclesiasticis in sua synodo congregatis, non a civilis potestate decretum est (4).

(1) Videndus ea de re Baluzius *in praefat. ad Capitular. Reg. Francor. num. 7. et 8. tom. 1.*

(2) Consule Muratorium *dissertazioni sopra le antichità Italiane dissert.* 22. *tom.* 1, *par.* 1. *pag.* 332. *seqq. edit. Romae* 1755.

(3) Cuncta narrat Adalhardus Abbas Corbejensis, propinquus, et consiliarius Caroli Magni in libro *de Ordine Palatii*, cujus synopsin describit Hincmarum Remensis *in opus.* 14. *num.* 12. *seqq. pag.* 206. *seqq. opp. tom.* 2. *edit. Sirmondi.* Inquit autem duos fuisse conventus, qui Carolo M. Imperatore habebantur, alterum solemniorem, et frequentiorem, ad quem et clerici, et laici conveniebant, alterum minus solemnem, qui a Rege „ cum senioribus tantum, et praecipuis Consiliariis habebatur, in „ quo futuri anni status tractari incipiebantur „. In illo frequentiori conventu „ utraque Seniorum susceptacula, *inquit num.* 35., sic in duobus „ divisa erant, ut primo omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honori„ ficentiores clerici, absque ulla laicorum commixtione, congregarentur. „ Similiter Comites, vel hujusmodi Principes sibimet a caetera multitudi-

» tiè primo mane segregarentur . . . Qui cum separati a ceteris essent , » ifti eorum manebat potestate , quando simul , vel quando separati residerent , prout eos tractandae causae qualitas docebat , sive de spiritualibus, sive de saecularibus , seu etiam commixtis ». Quo ex loco intelligimus , quae generalia essent regni comitia , et quomodo separatim Episcopi suos agerent conventus *absque ulla laicorum commixtione*. Explicatius etiam tres illos conventus , qui separatim habebantur , Episcoporum , Abbatum , Optimatum , describit praefatio Concilio Moguntini , quod jussu Caroli M. an. 813. habitum est apud Labbaeum *tom.* 9. *Concil. col.* 327., cujus haec verba sunt ; » convenit nobis tres facere turmas , sicut et fecimus. In prima turma consederunt Episcopi cum quibusdam notariis ; legentes , atque tractantes S. Evangelium , Epistolas , et Actus Apostolorum . canones etc. » Primus hic est conventus ; ac vera synodus , cui tantum Episcopi intererant ; ut res ecclesiasticas ordinarent. Conventus alter Abbatum ; et Monachorum est : » In alia vero turma consederunt » Abbates , et probati Monachi , regulam S. Benedicti legentes , atque tractantes ». Denique tertius conventus est optimatum , a quibus de civili administratione leges emittebantur : » In tertia denique turma sederunt Comites , et Judices in mundanis legibus decertantes etc. » Similia habent Annales Lambeciani de synodo Aquisgranensis an. 802. *Rer. Italic. Scriptor. tom.* 2. *par.* 2. *col.* 115. *seq.* » Domnus Caesar Karolus , *inquiunt* , » congregavit universalem synodum , et ibi fecit Episcopos cum Presbyteris relegi universos canones , quos S. Synodus recepit , et decreta Pontificum . . . . . Similiter in ipse Synodo congregavit universos Abbates, » et Monachos , qui ibi aderant ; et ipsis inter se conventum faciebant , et » legerunt regulam S. Patris Benedicti . . . . . Sed et ipse Imperator , interim quod ipsa Synodus facta est , congregavit Duces , Comites : et fecit » omnes leges in reguo suo legi , et tradi unicuique hominum legem suam ». Confer etiam Synodum Moguntinam an. 752., et Chronicon Moissiacense an. 802. apud Duchesnium *Scriptor. Franc. tom.* 2. *pag.* 552. *et tom.* 3. *pag.* 144. Ex his autem , aliisque , quae lubens mitto, ne longus sim , manifestum est , ecclesiasticas illas leges , quae in his conventibus latae sunt, editas fuisse ab Episcopis , qui separatim a laicis suos conventus habere consueverant. Confer Thomassinum *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.*3. *cap.* 47. *num.* 1. *et seq. tom.* 2. *pag.* 141. *et cap.* 51. *num.* 1. *seqq. pag.* 417.

(4) Consule Pagium ad Baronium *an.* 776. *num.* 8. *seqq. tom.* 13. *pag.* 119. *seqq.*

§. XVI. Sunt et quaedam de rebus ecclesiasticis Capitularia condita in synodis ecclesiasticis extra tempus , ac locum , quo generalia illa comitia habebantur ; et his quidem non tamquam legislatorem, sed tamquam Ecclesiae defensorem Regem interfuisse constat (1). Cuncta enim ecclesiastici viri ediderunt, et Episcopi quidem quae ad ecclesiastica negocia (2) , Abbates , et Monachi , quae ad monasticam disciplinam referebantur (3). Omnibus Rex intererat , non ut aliquid ipse sua auctoritate decerneret, sed ut ea , quae ab ecclesiasticis viris decreta fuerant , exi-

tum haberent faciliorem. Quaedam autem ex his Capitularibus sumpta sunt ex synodis regiis, quae apud Francos saepissime habebantur. Cum enim graviora essent stabilienda negocia, quae ecclesiasticam, civilemque administrationem respiciebant, ad synodum, sive ad coventum totius nationis vocabantur tum Episcopi, tum Optimates, et Comites Regni, ut communi consilio rebus omnibus consuleretur, et concordia utriusque potestatis in bonum hominum universum redundaret (4). Si quis eas Synodos argumento esse putet, quod Regibus de rebus ecclesiasticis leges ferre licuerit, is eodem victus argumento fateatur necesse est, etiam Episcopos suo jure potuisse, quae mere temporalia sunt, constituere; quoniam in iis synodis plura sunt, quae res temporales, quam quae ecclesiasticas attingunt. Sed revera Caroli M. stirpe imperante sancta quaedam erat Sacerdotii,. et Imperii societas, et mutua jurium communicatio, unde saepe eveniebat, ut sine ulla prosus aemulatione, ac dissensu politicae simul res, et Ecclesiasticae conspiratione, et concordia utriusque Potestatis ordinarentur. Scilicet sicut in civiles administrationis partem Imperator vocabat Ecclesiasticos, ita hi facile patiebantur, Imperatorem in componendis rebus ecclesiasticis socium, et consortem fieri consileorum suorum. Quod tamen non impedit, quominus distincti sint utriusque Potestatis fines, adeout a Sacerdotibus ecclesiastica negocia, a Rege autem temporalia administrentur (5).

(1) Eo sane nomine Carolus Calvus seso Svessionensi Synodo an. 853, adesse diserto professus est; quae quidem synodus extat intor ejus Imperatoris capitularia *tit.* 11. *tom.* 2. *capitular*, *col.* 33. *edit*, *Venet.* 1773. Nam haec proemii verba sunt: „ Episcopis juxta instituta canonum sy» nodum celebrare volontibus annuit Rex Karolus; ubi ipse quoquo Rex » adesse dignatus est, ut non solum devotione Ecelosiae se filium esse » osteuderet, verum otiam, sicubi opus esset, protectorem regia potesta» te monstraret ». Atque adeo verum est, Francorum Reges inter ecclesiastica, ac temporalia negocia, intorquo placitum laicorum, et synodum ecclesiastieorum magnum posnisse discrimen, ut in placitis mandata darent, in synodis vero ab Episcopis intolligerent. quid ab se fieri oporteret, earumque decretis obtemperarent. Quo spectant praefationes synodi ad Toudonis villam, et synodi Belvacensis, quao habitac sunt an 845., ubi Imperatores synodorum capitula esse diligenter servaturos promittunt. Praefationis Synodi ad villam Teudonis verba sunt haec: » Sequuntur ca» pitula, quae acta sunt in synodo secus Teudonis villam habita etc.; » quae Hlotarius, Hludovicus, et Karolus etc, ante se, fidelesque eo-

„ rum relecta adprobaverunt, et se eadem servaturos auxiliante Domino „ promiserunt „. Belvacensis autem synodi praefatio his est concepta verbis: „ Haec capitula etc. collata sunt inter Principem D. Karolum, et „ Episcopos regni sui; et eadem idem Princeps Deo teste sub fidei suae „ adstipulatione se servaturum promisit erga omnes Ecclesias, et Episco„ pos regni sui, quae ad vicem omnium Episcoporum sui Principatus, „ qui erant, quique futuri erant, de manu horum Episcoporum conservanda „ suscepit „ *tom.* 2. *Capitular. edit. Baluzii col.* 5. *et* 15. Nulla hic regia potestas in res ecclesiasticas, sed Reges Ecclesiasticorum decreta lubenti animo suscipiunt, iisque sese parere profitentur. Eodem quoque spectat Capitulare Caroli M. an. 804., quod est *de purgatione Sacerdotum tom.* 1. *Capitular. col.* 273. *et* 274. Ait enim Carolus: „ ista vero om„ nia, quia vires nostras excendunt, in judicio Episcoporum juxta cano„ nicam sanctionem definienda reliquimus, ut haec, quando orta fuerint, „ ita definire satagant, ut etc. Neque dissimilis ratio est Capitularis Svessionensis, quod editum est in Svessionensi Synodo an. 744. *Capitular. tom.* 1. *col.* 109., cui Pippinus Francorum Princeps interfuit. Quamquam enim ipse Pippinus ita Synodi Patres alloquatur, ut primas ea in re partes abnuisse videatur, tamen postremum capitulum ita est conceptum, ut facile pateat, rem omnem ab Episcopis actam fuisse. Haec enim ejus verba sunt *col.* 113. „ Si quis hoc decretum, quod XXIII. Episcopi cum „ aliis Sacerdotibus, vel servis Dei una cum consensu Principis Pippini, „ vel Optimatum Francorum consilio constituerunt trasgredi, vel legem „ irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel „ Episcopis, vel comitibus „.

(2) Capitulare Caroli Magni *an.* 801. *tom.* 1. *col.* 255. *ibid.* non Regibus, sed Episcopis diserte tribuitur. Nam titulus est; *capitulare Episcoporum.* Procemium autem his est comprehensum verbis: „ Haec sunt ca„ pitula ex divinarum scripturarum scriptis, quae electi Sacerdotes custo„ dienda, atque adimplenda censuerunt „. Atque hinc colligitur, quid sibi velit Carolus M. in Capitulari anni 779. *col.* 143. *ibid. tom.* 1. dum inquit: „ capitula, quae bo. me. Genitor noster Dominus Pippinus Rex in suis „ placitis constituit, et in synodis conservare volumus „. Conventus Magistratum, et Optimatum Regni, eorumque decreta in causis civilibus edita proprie *placita* appellantur, conventus autem Episcoporum, qui fiebant, cum illa regni comitia haberentur, atque eorum decreta *synodi* nomine comprehenduntur. Et hoc eodem nomine vocantur omnes conventus Episcoporum, qui etiam extra tempus, ac locum generalium comitiorum habebantur, quibusque Rex intererat, ut quae ab Episcopis statuta fuerant, ab omnibus servanda curaret, non ut ipse aliquid de rebus Ecclesiae constitueret. Confer quae paulo ante diximus ex analibus Lambecianis, atque ex Synodo Moguntina.

(3) Inter Capitularia Regum Francorum *tom.* 1. *col.* 393. describitur Capitulare Aquisgranense *de vita et conversatione Monachorum* editum an. 817. in Conventu Aquisgranensi; verum quae ad monasticam disciplinam pertinent, a solis Abbatibus, et Monachis stabilita sunt; communi autem consilio totius conventus, uti mos erat, hoc est Regis, Episcoporum, Abbatum, et Procerum rebus temporalibus consultum est. Praefationis hujus Capitularis verba sunt haec: „ Anno Incarnationis D. N. Jesu „ Christi 817. cum in domo Aquisgrani Palatii Abbates complures una cum „ suis resedissent Monachis, haec, quae subsequuntur, capitula communi „ consilio, ac pari voluntate inviolabiliter a regularibus conservari volue„ runt „. Non alii hic memorantur *residentes* quam *Abbates cum suis*

Monachis, et hi solum leges ferunt ad monasticam disciplinam pertinentes. Proxime sequitur decretum, quo temporalia negocia ordinantur, et hujus decreti prologus est: „ Anno Incarnationis D. N. Jesu Christi 817. Hludo- „ vicus Augustus conventum fecit apud Aquis sedem regiam Episcoporum, „ Abbatum, seu totius Senatus Francorum, ubi inter ceteras dispositiones „ Imperii statuit etc. „.

(4) Hujusmodi regiae synodi frequentissimae erant praesertim in Gallia, cujus Reges, ut inquit Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. *tom.* 1. *pag.* 2. *edit. Ferrar.* 1764., sine Episcoporum, et Optimatum consilio nil grave decernebant. Hi nimirum omnes ab Rege vocati ad eas conveniebant; atque ita cunctorum suffragiis de ecclesiastica, ac de civili gubernatione statuta condebantur. Inter has Regias Synodos recensenda est Synodus Ticinensis Carolo Calvo Imperatore an. 876. celebrata, et in Synodo Pontigonensi ejusdem anni confirmata, in qua „ Imperator Karolus una cum consensu, et suggestione venerabilium Epi- „ scoporum, et illustrium optimatum, reliquorumque fidelium suorum ad „ honorem S. Dei Ecclesiae, et ad pacem, ac profectum totius imperii „ sui fecit capitula „ *tom.* 2. *capitular. col.* 161. Illa autem capitula, omnes, ut mos erat, Episcopi, atque Optimates subscripserunt. Ejusdem indolis sunt Synodi Carisiaca, et Pistensis *ibid. col.* 59. *et* 103.

(5) Atque ex hac jurium communione, ac Sacerdotii, et Imperii concordia factum est, ut in Conciliis Francofordiensi an. 794. et Triburiensi an. 895. *Concil. tom.* 9. *col.* 99. *seqq et tom.* 11. *col.* 627. *seqq.*, aliisque nonnullis canones aliqui Regis, et Concilii nomine, ac verbis describantur. Cum enim iis canones res mere temporales respiciant, uti sunt monetae, crimina saecularia, rerum pretia, aliaque similia, mirum non est, quod in iis Rex suam auctoritatem interposuerit.

§. XVII. Nemo sane, qui historiam novit, ignorare potest, quanta reverentia Ecclesiam prosequerentur Carolus M., ejusque filii, ac nepotes, qui se illius defensores praedicabant, atque in gravioribus negociis Episcoporum opera, et consilio utebantur (1). Itaque Episcopi eos libenter vocabant in societatem quarumdam rerum, legumque ecclesiasticarum, et saepe etiam eorum judicio leges ab se conditas subjiciebant, ut gratum in eos animum significarent; et simul fruerentur patrocinio, quod Ecclesiae utile, ac fructuosum quotidie experiebantur (2). Neque vero ambigi potest, quin auctoritas accederet Pontificum Romanorum, qui cum a Galliarum Regibus maximis beneficiis aucti fuissent, eorumque animos perspicerent ad utilitatem, decusque Ecclesiae propensos, propter ejus bonum facile permiserunt, in illis regni conventibus una cum Episcopis a Rege tractari negocia, quae ad rectam ecclesiasticae, civilisque Reipublicae administra-

tionem pertinebant (3). Fatendum tamen est, quaedam esse de ecclesiasticis rebus Capitularia, quae ab ipsis Regibus edita sunt, et in quibus condendis nullus videtur adhibitus conventus Episcoporum. Verum omnia haec excerpta sunt ex synodis Episcopalibus, eaque excerpta saepius in iis, quos supra commemoravi, mixtis conventibus totius regni facta sunt. Quod ex ipsis Capitularibus manifestum est. Porro Carolus M. aetate jam provecta, ut ecclesiastica disciplina instauraretur, in publicis Regni comitiis an. 813. decrevit, ut Episcopi Galliarum in quinque Civitatibus synodos haberent, quod, uti jusserat Imperator, revera factum est (4). Cum autem ipse aliquos eorum Conciliorum canones suis Capitularibus complecti vellet, eorumdem *excerptum* fecit in generali totius Regni conventu, Episcoporum, Abbatum, et Procerum, quam eo ipso anno Aquisgrani habendum curavit. In eo enim coram Imperatore collata sunt Decreta, quae in illis quinque synodis emissa fuerant, atque in eodem conventu inde decerptum, atque editum est Capitulare primum anni 813. (5). Sunt et alia ejusdem generis monumenta, ex quibus evidens est, nullam umquam Gallorum reges novam per se ipsos dedisse legem de rebus ecclesasticis, ita ut in exteriorem Ecclesiae disciplinam jurisdictionem aliquam exercuisse videantur,

(1) In Concilio Moguntiaco an. 813. *in praefat. tom.* 9. *Concil. Labbaei col.* 328. Carolus M. „ verae religionis rector, ac Defensor S. Dei „ Ecclesiae „ appellatur. Et initio Capitularis I. ejusdem Caroli M. *tom.* 1. *Capitular. col.* 135, habentur haec: „ Carolus gratia Dei Rex, regnique „ Francorum Rector, et devotus S, Ecclesiae defensor „. In Synodo Pontigonensi an, 876. *Capitular. tom.* 2. *col.* 161. omnes Episcopi Carolum Calvum Imperatorem sibi eligunt, unanimiter protectorem, dominum, „ ac defensorem „. Confer etiam Baronium *ad an.* 800. *num.* 7. *tom.* 13, *pag.* 358. Mitto cetera generis ejusdem.

(2) Rectissime Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. IX. et X. cap.* 4. *art.* 3. *tom.* 6. *pag.* 208. *edit, Venet.* 1776. „ Non mirum, *inquit*, quod „ Episcopi canones a se conditos Imperatoris judicio subjecerint, cui non „ solum regium, sed et sacerdotalem animum inesse noverant, ut de „ Marciano scripsit S. Leo. Et cum ejus majestatem plurimum Episco- „ pis deferre, et eorum consiliis leges suas, et capitularia condere, at- „ que rempublicam regere, nullamque praetermittere occasionem de Ec- „ clesia bene merendi feliciter experirentur, id honoris ipsi tribuere volue-

„ runt in grati animi significationem, ut conditos a se canones ejus judi„ cio subjicerent, quod ecclesiasticae disciplinae cum primis utile futu„ rum noverant „.

(3) In ipsis porro capitularibus tamquam certissima proponitur regula, qua statutum est „ non debere absque sententia Romani Pontificis „ concilia celebrari „ uti constat ex *lib.* 6. *Capitular. cap.* 381. *col.* 664. Ex quo evidenter patet, uti observat Bianchius *lib.* 2 *cap.* 3. *t.* 4. *pag.* 408., conventus illos, in quibus capitularia condebantur, cum Sedis Apostolicae auctoritate semper haberi consuevisse.

(4) Concilia haec descripta sunt *tom.* 9. *Concil. Labbaei col.* 319. *seqq.*

(5) Confer Capitulare I. Caroli M. an. 813. *tom.* 1. *Capitular. col.* 343. et in eum locum Sirmondi notas *tom* 2. *Capitular. col.* 518. Quod etiam observat Pagius ad an. 813. *num.* 15. *tom.* 13. *pag.* 506., et eodem spectat Chronicon Moissiacense *ad eumd. an.* 813. apud Duchesnium *Scriptor. Franc. tom.* 3. *pag.* 146. Sed ex innumeris prope locis capitularium, quae collegit Baluzius, atque ex libris Ansegisi Abbatis et Benedicti Levitae manifestum est, capitularia complurima sumpta esse ex Synodis Episcoporum, quod etiam a Baluzio in praefat. *num.* 9. *tom.* 1. animadversum est. Quin et ipse Baluzius rectissime monet „ excerpta illa capitu„ lorum synodalium non semper facta fuisse in conventibus, aut synodis „ publicis, sed cum delegatione Principis in privatis Episcoporum viro„ rumque ecclesiasticorum coetibus, qui tunc forte in Comitatu erant „. Quod colligi potest ex Capitularibus II. et III. incerti anni *tom.* 1. *col.* 353. *et* 357., quorum titulus est „ Capitula a D. Karolo Imperatore, et „ filio ejus Hludovicus, ac sapientissimis eorum Episcopis excerpta „. Quorum similia sunt apud Benedictum Levitam *in praefat. ad tres libros posteriores Capitular. col.* 539. *et in praefat. lib.* 7. *col.* 689. Scilicet cum in id praesertim incumberet Carolus M. ut ubique integri servaretur christiana religio, moribusque, atque omni vitae ratione clerici eniterent, ex scriptis SS. Patrum, et canonibus Conciliorum ea praesertim colligenda curavit, quae ad eorum mores recte formandos, et ecclesiasticam disciplinam instituendam pertinebant. Ea certe de causa in Concilio Troslejano *can.* 3. *tom.* 11. *Concil. collect. Labbaei col.* 738. Francorum Regum capitularia *canonum pedissequa* appellantur. Ex canonibus quoque, ut reliqua mittam, sumptum est Capitulare VI. Caroli M. an. 806. *tom.* 1. *col.* 615., *quod* inscriptum est; *capitula excerpta de canone*; et huc etiam referendum est Capitulare Aquisgranense ejusdem Caroli M., seu Capitulare I. anni 789. *ibid. col.* 153., ejus quidem capitibus singulis synodorum canones, et Pontificum decreta adjunguntur. In quo animadvertendum in primis est, quam recte, ac diligenter Carolus *in praefatione* suam in imperium potestatem a suis in Ecclesiam officiis distinguat. Ait enim; „ Ego Karolus Rex, et Rector regni Francorum, et defensor „ S. Dei Ecclesiae, humilisque adjutor, omnibus ecclesiasticae pietatis or„ dinibus, seu saecularis potentiae dignitatibus salutem . . . . . . aliqua „ capitula ex canonicis institutionibus, quae vobis magis necessaria vi„ debantur, subjunximus etc. „ Quibus quidem verbis Carolus Imperator aperte profitetur, esse sese Ecclesiae *defensorem, humilemque Adiutorem*, sed nullam in res Ecclesiae, atque in exteriorem ejus disciplinam jurisdictionem obtinere. Pauca nunc addam de Missis Dominicis, hoc est legatis, quos Reges mittebant non tantum ut populorum querelas exciperent, sed etiam ut multa ecclesiastica negocia cognoscerent. Si quis ex eo colligere velit, laicos Principes in res ecclesiasticas jurisdictionem exer-

venisse, is profecto vehementer errat. Nam hi Missi Dominici erant plerunque Episcopi et Abbates, uti observat Muratorius *dissert.* 9. *sopra le antichità Italiane tom.* 1. *par.* 1. *pag.* 103. *edit. Romae* 1755., ac saepe a synodis postulati. et si aliquando Comites eo munere fungebantur, nihil siue Episcopi, aut Abbatum cousilio, et consensu agere poterant. Accedit, quod iidem haud sane mittebantur, ut novas leges, novamque disciplinam constituerent, sed ut observanda, atque ad exitum perducenda curarent, quae sacris canonibus sancita erant. „ Quibus ita constitutis, *inquit* Tho- „ massinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 92. *num.* 17. *tom.* 2. *pag.* 487. „ nullae jam possunt justae, solidaeque cujusquam in „ animo residere suspicioues de Missis Dominicis, quos Princeps in pro- „ vincias missitabat, ut excubias agerent in Episcopos; cum ea cura eo „ tantum conniteretur, ut statuta Episcoporum religiosissime servarentur „. De his Missis Dominicis praeter Thomassinum agunt Muratorius *cit. dissert.* 9., Du-Cangius *in Glossar. med. et infim. Latinit. verb. Missi*, et omnium latissime Franciscus de Roye in libro; cui titulus *de Missis Dominicis, eorum officio, et potestate.* Recte autem V. Cl. Stephanus Morcellius in nova editione laudatae dissertationis Muratorii, quae Romae prodiit an. 1790., monet, totam hanc tractactionem plane explicari, atque in lucem clarissimam proferri posse, modo ea, quae uterque scripsit, de Roye, et Muratorius, inter se conferantur.

§. XVIII. Necesse erat pauca haec dicere de legibus Justiniani, deque Capitularibus Regum Francorum (quoniam multi sunt, qui in iis insistunt) ut omnis ea de re scrupulus evellatur; nunc ad propositum revertamur. Omnium igitur, uti dicebamus, quae respiciunt religionem, cultum divinum, fidem, sacramenta, ecclesiasticam disciplinam, cura, et administratio propria Ecclesiae est. Quare si qua in iis rebus exoriatur quaestio, ea solius Ecclesiae judicio definienda est. Porro fidelium matrimonium contractus civilis est, sed cum illi Christus sacramenti quoque dignitatem attribuerit, sequitur, ut omnes, quae de eo sunt. controversiae ab Ecclesia noscendae, judicandaeque sint (1). Quod non ita universe intelligendum est, quasi in eo negocio nihil omnino sit, quod ab Ecclesiae judicio non pendeat. Sunt enim aliae de impedimentis, ac de vi, et firmitate matrimonii quaestiones, et has quidem ad Ecclesiam pertinere, inter catholicos omnes constat (2); ejusdemque Ecclesiae judicio obnoxia sunt etiam ea, quae spectant ad vim sponsalium; aut jus instituendi divortium quoad torum, seu cohabitationem. Nam utrumque matrimonii sacramentum attingit; propterea quod ex sponsalibus

oritur ejusdem obligatio, et per divortium ejus amittitur, quod uterque conjux ex matrimonio acquisivit. Ceterae quaestiones, quae ad illud quidem referuntur, sed tamen res mere temporales, civilesque comprehendunt, uti sunt dotes, donationes propter nuptias, alimenta, haereditariae successiones, cetera similia, eae civilis Magistratus judicio, et auctoritati subjiciuntur (3).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 24 *de matrim. can.* 12, „ Si quis, » *inquit*, dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasti» cos, anathema sit. » Quin etiam eadem Synodus *sess.* 24 *cap.* 20. *de reform.* matrimoniales causas uni Episcopo permittit. » Causae matrimo» niales, *inquit*, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum ju» dicio, sed Episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquantur ».

(2) Concilium Tridentinum *ibid. can.* 3. *et* 4. Non multis ab hinc annis pro declaratione, ac defensione Tridentinorum canonum de Ecclesiae auctoritate in causis matrimonialibus duo edidit opuscula Cl. Abbas Blasius Camaldulensis. Alteri titulus est: *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta Hierapoli* 1786, alteri vero: *nuova difesa de' canoni III. e IV. della sessione XXIV. del Concilio di Trento* 1788.

(3) Consule Bellarminum *de matrim. cap.* 32. *opp. tom.* 3. *pag.* 687. *edit. Venet.* 1721., Benedictum XIV. *de Synod. Diaeces. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 3. *seqq. tom* 1. *pag.* 491. *edit. Ferrariae.* 1764., ubi etiam ostenditur, quando his disputationibus supersedendum sit, si forte quaestio de vi matrimonii, puta de impedimento dirimente exoriatur, qua de se suo loco dicam commode, et opportune.

§. XIX. De reliquis ut rectum ferri possit judicium, ac justi ponantur fines ecclesiasticae, et civilis potestatis, illud mihi in primis observandum videtur, cujus auctoritate, et legibus ea res, de qua quaeritur, constituta sit. Neque enim dubitare quis potest, quin is, qui rem aliquam constituit, legesque tulit, cum quibus eadem administraretur, omnem in eam jurisdictionem, et auctoritatem habere debeat. Atqui ab Ecclesia instituta sunt beneficia, juspatronatus, decimae, jus funeris, et sepulturae, jura multa, et privilegia Episcoporum, jura Parochorum, cetera, quae aut spiritualia, aut spiritualibus annexa sunt, de iisque omnibus ab Ecclesia leges praescriptae sunt. Cuncta igitur ab ejus auctoritate pendere debent. Verum ex iis quaedam existunt, quae licet ad Ecclesiam suo jure spectarent, tamen sive privilegia, sive diuturna consuetudine civili Magistratui addicta sunt. Ita juspatronatus institutum,

de eoque omnes dictae ab Ecclesia leges. Ipsa enim beneficiorum, atque Ecclesiarum fundatoribus jus illud attribuit, ut sese iis gratam ostenderet, ceteri autem pari ad bene de ea merendum voluntate excitarentur (1). Hujus quoque juris ab se inducti eadem Ecclesia formam, modumque praescripsit; eaque idcirco totum hoc negocium moderari deberet. Quae a civilis Reipublicae praepositis imponuntur vectigalia, ea cuncta ab eorum legibus, voluntate, arbitrio pendent, neque ullas sibi Ecclesia sumit partes in eorum modo, gubernio, administratione. Quod etiam evenit in praemiis, quae virtutibus, in suppliciis, quae vitiis a civili Republica proposita sunt. An non finem, et modum transiret suae potestatis Ecclesia, si ea res tractaret, quae a civili Republica ordinatae sunt, quaeque ejus regendae sunt legibus? Pari ratione unius Ecclesiae judicio obnoxia esse deberet omnis de jurepatronatus disputatio; quoniam hoc est praemium ab ea sola collatum in illos, qui bene de ipsa meriti sunt, ipsaque hujus juris formam, legesque dedit; sed tamen in locis quibusdam receptum est, ut cum agitur de laicali jurepatronatus, omnis quaestio a civili Magistratu definiatur (2).

(1) Consule Franciscum de Roye *de Jurepatr. in prolegomen. cap.* 3. *pag.* 9. *edit. Neapol.* 1763.

(2) Franciscus de Roye *loc. cit. cap.* 29. *pag.* 99. Van-Espenius *Jur. Eccles. par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 4. *num.* 16. *tom.* 2. *pag.* 371. *edit. Lovan.* 1732. Alteserra *Eccles. jurisd. vindic. lib.* 6. *cap.* 11. *pag.* 229. *edit. Paris.* 1703. cujus haec verba sunt: „ moribus nostris causa jurispatronatus spectat ad „ judicem laicum; quia depravato fere rerum omnium sensu, jurispatro- „ natus ratione personarum, quae hujusmodi jure utuntur, vel praediorum, „ quibus cohaeret, magis spectatur ut temporale, quam ut spirituale „.

§. XX. Par et simile sit judicium de decimis, quae veteris Legis exemplo Ecclesiae ministris tribuuntur, ut ipsi ex iis habeant, quod est necessarium ad vitam honeste, ac decenter traducendam (1). Esset sane congruens, et conveniens rei naturae, quod Ecclesia decernat, quae suis ministris decimae debeantur, quidque eos habere oporteat, quod suppetat ad cultum, et ad victum. Omnis igitur ea de re disputatio solius Ecclesiae propria esse deberet, sive de jure capiendi decimas, sive de earum possessione quaeratur. Verum aut

expresso Apostolicae Sedis privilegio, aut diuturna, eaque ab Ecclesia tolerata consuetudine inductum est, ut causae hujusmodi, cum de possessione quaeritur, alicubi a saeculari judice, ab ecclesiastico autem cognoscantur, cum de jure controversia est (2). Quod etiam evenit in causis beneficialibus, aliisque similibus; quamquam beneficia sint praedia Ecclesiae propria, quae eadem clericis de se bene meritis impartit, exemplo praediorum fiscalium, quae Imperatores largiebantur militibus, qui cum hostibus Reipublicae fortiter bellum gesserant. Quemadmodum igitur fiscalia haec praedia a civilis Magistratus judicio, et auctoritate pendent, ita de beneficiis Ecclesia judicare deberet (3). Verum cum de iis rebus quaestio est, alicubi jus ipsum a possessione distinguitur, atque illud quidem ecclesiastico judicio relinquitur, possessio autem civili Magistratui committitur (3). Ecclesia suum jus initio firmissime retinuit, conatusque prohibuit illorum, qui eam possessione sua dimovere volebant; sed cum nihil proficeret, satius putavit tolerare patienter consuetudines, quae contra suam jurisdictionem inducebantur, quam excitatis dissidiis graviora mala importare, si in suis juribus vehementius insistendum existimaret. Quin etiam interdum Summi Pontifices *consultius duxere id ipsum privilegia Principibus concedere, quod propria auctoritate jampridem sibi usurpaverant* (5).

(1) Confer quae dicta sunt de decimis *in Inst. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 16. §. 2. *tom.* 2. *pag.* 421.

(2) Barbosa *Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 161. *seqq.*, Van-Espenius *Jur. eccles. univers. par.* 2. *tit.* 33. *cap.* 9. *num.* 14. *tom.* 2. *pag.* 531.

(3) Consule quae diximus *in Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 11 §. 1. *tom.* 2. *pag.* 381. *et seq.*

(4) Alteserra *Eccles. jurisd. vindic. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 123. *seqq.*

(5) Verba haec sunt Benedicti XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 11. *pag.* 497., quod integrum caput fac ut videas, quoniam in eo totum hoc argumentum diligenter pertractatur.

§. XXI. Hinc ortae sunt causae, quas mixtas dicimus, quae scilicet vel privilegio, vel diuturna consuetudine utrique judici laico, et ecclesiastico communes evaserunt; ita ut alterutri liceat priore loco negocium occupare. Nam hujusmodi esse arbitror causas, quas mixtas appellare decet, neque assentior iis, qui eo vocabulo designant causas temporales,

quae spirituale aliquid adjunctum habent (1), aut quae pertinent ad Ecclesiae, et Reipublicae tranquillitatem (2). Nam causae temporales, quibus spirituale annexum est, Ecclesiae judicio, et auctoritati obnoxiae sunt; et cum Ecclesiae, ac Reipublicae tranquillitati consulendum est, neutra potestas in utrumque jus exercet, sed utraque id curat quod sum est, Ecclesia Religionem, Respublica civilem administrationem, ac temporalem civium incolumitatem. Ita si qua erumpat haeresis, et Religionis integritas, et Reipublicae tranquillitas in discrimine versatur; verum Ecclesia providet Religioni, ut ea sancta inviolata sit. Civilis autem Reipublica videt, ne civium salus, atque tranquillitas aliquid capiat detrimenti. Non igitur mixtum appellari potest hoc negocium cum utraque Potestas, servatis finibus suae administrationis, id tantum curat, quod suum est.

(1) Consule Charlasium *de libert. Gallic. lib. 7. cap. 8. num. 8.*

(2) Sic Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec. 4. cap. 2. schol. 3. tom. 4. pag.* 195. Altesserra *jurisd. eccles. vindic. lib. 4. cap. 4. pag.* 154. *et lib. 5. cap. 1. pag.* 177. Fevretum reprehendit, quod crimen mixtum definiat, de quo Judex civilis in laicos, Ecclesiasticus in clericos animadvertit; ipse autem mixtum crimen vocat, de quo uterque Judex est competens in clericos, et in laicos adeout negocium absolvat, qui illud prior occupavit. Joannes Petrus Gibertus *in Prolegomen. ad Jus Canon. tit. 8. sect.* 3. inter causas mixtas referendum censet matrimonium, quod cum civilis contractus, et simul etiam sacramentum sit, et civilis Magistratus, et Ecclesiae auctoritati subjicitur. Verum omne fidelium matrimonium Christi lege sacramentum est, et ideo quidquid ejus naturam, leges, firmitatem attingit, unius Ecclesiae judicio noscendum est. Contra vero quaestiones omnes de dote, donatione propter nuptias, similibus mere civiles sunt, ac temporales, ideoque a saeculari Magistratu definiendae sunt, sicuti demonstratum supra est. Itaque matrimonii causa mixta haberi non potest: cum utraque potestas suam habeat distinctam, discretamque materiam que ejus unius judicio commissa est.

§. XXII. In his autem causis, quas mixtas vocari diximus, res omnis ex diuturna consuetudine aestimanda est. Quae divina expressa lege uni Ecclesiae sunt credita, ea numquam in laicorum potestatem venire potuerunt; sed illa, in quibus nulla hujusmodi lex est, quaeque habent temporale spirituali mixtum, ea longa consuetudine, ac tacito, sive expresso Ecclesiae consensu etiam a laicis acquiruntur. In quo tamen, ne qui forte detur errori locus, animadvertendum est, unam;

et eamdem rem habere posse quaedam jura, quae mere ecclesiastica sunt, quaeque Ecclesiae adimi nulla ratione possunt; quaedam vero, quae licet Ecclesiae sint propria, tamen vel ejus beneficio, vel consuetudine etiam ad laicos recte transferuntur. Sit exemplum in Episcopatibus, atque in ceteris ecclesiasticis beneficiis. Porro Ecclesiae est Episcopos creare, iisque missionem, et jurisdictionem tribuere in eos omnes, qui certo quodam regionis tractu comprehenduntur. Haec sane potestas suos constituendi Magistratus, atque Ministros divinitus Ecclesiae data est; propterea fieri non potest, ut laici homines ejus juris potestatem acquirant. Sed tamen ipsi Ecclesiae beneficio consequi possunt jus nominandi ad Episcopatus (1), quae nominatio nullam tribuit potestatem, sed tantum designat hominem, qui Episcopus creatur ab Ecclesia, sive ab ejus capite Romano Pontifice, modo dignus, atque idoneus sit; et postquam ita Episcopus creatus est tum demum talis esset incipit, et episopalem jurisdictionem adipiscitur. Ita Romani Pontifices jus nominandi Episcopos ditionum suarum potentissimis Europae Principibus concesserunt. Et cum sola Ecclesia Episcopis in certos subditos jurisdictionem attribuat, hinc sola potest eorum dioeceses, in quibus eadem jurisdictio exercetur, vel amplificare, vel angustioribus finibus circumscribere. Beneficia quoque, quibus Ecclesia suos sibi ministros constituit, eosque bene de se merito remunerat, ab ea conferenda sunt; verum laicis adscribi potest jus praesentandi, Ecclesiae autem semper propria est institutio, per quam vere confertur jus illud, quod spirituale est. Cetera, quae mere ecclesiastica, ac spiritualia non sunt, etiam a laicis acquiri possunt.

(1) Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 15. *et* 16. *dissert.* 11. *art.* 6. *num.* 7. *tom.* 9. *pag.* 527. „ Non prohibetur, *inquit*, Principibus, ne Epi„ scopos Ecclesiis designent, si id ipsis Ecclesia concesserit, vel permi„ serit; quod quidem eo casu praestabunt non jure imperii, sed praesi„ dii ad Ecclesiam juvandam, et nominatio regia vim electionis habebit, „ quatenus Rex, ut Ecclesiae defensor etc., et ut populi caput, seu ut per„ sona inter clerum et laicos media, utrumque ordinem in negotio ele„ ctionis Episcoporum repraesentat, sive utriusque jura exercet, Ecclesia „ concedente „. Consule inter ceteros Innocentium I. *ep.* 24. *ad Alexand. Episc. Antiochen.* *n.* 2. apud Coustantium *col.* 852., et Leonem M. *ep.* 104. *ad Marcian. cap.* 3. *col.* 1149. *et ep.* 105. *ad Pulcher. August. cap.* 1. *et seq. col.* 1157. *edit. Ballerin.*

§. XXIII. Cum unum, aut alterum eorum ab Ecclesia fuisse expresse concessum non constat, diuturna consuetudo, seu praescriptio omnem, si qua sit, expedit controversiam. Sed ea in re praescriptio requiritur, quae hominum memoriam superat, cujus initium in tenebris latet antiquitatis, eaque praescriptio est, quae *immemorabilis* appellatur. Nemo sane ignorat, quanta sit vis hujusce praescriptioni (1), quam nisi firmam, ratamque habeamus, magnae semper erunt inter Sacerdotium, et Imperium causae dissidiorum, unde mala complurima exoriantur necesse est. Si rerum origines investigare, et morosius persequi volumus, quod est proprium utriusque potestatis, erit forte aliquid, quod Ecclesiae alicubi demi videatur posse, sed certe multo plura sunt, quae civili Potestati, adimantur. Quid igitur dissidia excitamus tam infesta, ac tam perniciosa in re, quae ex praescriptione tuta, ac tranquilla est? Salutaris illa concordia, quae diu viguit inter Sacerdotium, et Imperium, per quam alterum alteri opem ferebat, et utrumque conjunctis studiis ad commune bonum procurandum mirabiliter conspirabat, fecit, ut neutrum momenta expenderet omnium officiorum, nec sibi perniciem aliquam inferri putaret, si quid alteri de suo jure concederet. Hinc de temporalibus quoque rebus interdum latae sunt ab Ecclesia leges, et vicissim cum Reges de rebus quibusdam Ecclesiae leges ediderunt, eadem non repugnavit. Neque Ecclesiae jus proprium, ac nativum est leges dicere in rebus temporalibus, neque laicis Principibus suo jure licet aliquid de rebus Ecclesiae constituere (2). Sed amica societas utriusque Potestatis alterius jura, quasi icto foedere, alteri concessit; neque nunc licet possessionem invertere tam longa aetate, et consensu firmatam.

(1) Praescriptionis titulum, praeter civilis, etiam Juris publici scriptores agnoscunt, quos inter numerandi sunt in primis Grotius *de jure belli et pac, lib, 2. cap. 4. §. 9.* ibique Barbeyracius *not. 2. tom. 1. pag.* 271, *edit. Basil.* 1746. et Pufendorffius *de jur. natur. et gent. lib. 4. cap.* 12. §. 9. *tom. 2. pag.* 482. *edit. Francofurt.* 1759. Hanc praescriptionem in re nostra urgent etiam Scriptores, qui certe civili potestati suspecti esse non possunt, Comes Christianus *dell'asilo sagro pag.* 41., Hotomannus, quem Petrus Puteanus initio Commentari ad Petrum Pithaeum *de Libert. Gallican. scientissimum* appellat earumdem Libertatum, apud eumdem Puteanum *de Libert. Gallican. tom. 1, num.* 40. *seqq. pag.* 133., *seqq.*, Jaco-

lius Josephus Duguet *de Instit. Princip. par.* 4. *cap.* 4. *art.* 1., Dupinius *de Eccles. disciplin. dissert.* 7. *cap.* 1. §. 5., Bossuetus *defens. declarat. Cler. Gallican. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. *opp. tom.* 17. *pag.* 464. Rectissime Thomassinus *Nov. et vet. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 65. *num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 442. » Multa, *inquit*, possunt, et jure suo possunt Prin» cipes terreni in causis, rebusque ecclesiasticis, quae tamen potestas non » aliter ipsis parta, quam longa consuetudine, et antiquissima possessio» ne. Sunt consimiliter Pontificibus, et Praelatis jura non pauca in res » civiles, et temporales, de quibus controversia illis fieri jam non po» test, ubi diutina illa possessione firmata sunt ».

(2) » Nempe utriusque potestatis, inquit Bossuetus *loc. cit.*, sancta » societas postulabat, ut altera alterius munia in speciem usurparet, eo » jure, quo amici amicorum rebus utuntur, his certe omnibus communi » societate, et consensione valitura ».

§. XXIV. Itaque si qua in rebus, quae mixtae dicuntur, controversia exoriatur, utraque potestas in illa antiquissima, in qua versatur, possessione retinenda est; cum utraque pacis studio, et mutuae societatis benevolentia de suo jure lubens decessisse videatur. Quae cum ita sint, ociosum est quaerere, divino ne, an humano jure inducta sit clericorum immunitas, per quam illi tantum ecclesiasticae, non item civili Potestati subjecti sunt. Nemo sane, qui catholicus sit, dubitare potest, quin Clerici in iis, quae spectant ad sacramentorum administrationem, sacros ritus, ecclesiasticam disciplinam, spirituale regimen populi Christiani, resque ceteras mere ecclesiasticas, unius Ecclesiae judicio, et auctoritati subjecti esse debeant; verum non ita exploratum est, num ea, qua fruuntur, immunitas in negociis civilibus, ac temporalibus a divino, an potius ab humano jure sit repetenda. Quae immunitas alia personas attingit, et *personalis* dicitur, alia autem bona clericorum, eaque *realis* appellatur. Ut ut sane utraque haec immunitas in rebus mere temporalibus divino jure minime constituta haberi velit (qua de re nolumus curiosius quaerere,) certe quod clerici utroque hoc privilegio fruantur cum divino, ac naturali jure congruit, atque illud omnes fere gentes suae Religionis ministris tribuerunt (1). Hinc qui clericorum, quam vocamus, *personalem* immunitatem humani juris esse arbitrantur, totum ejus juris fundamentum constituunt in illa, quam diximus, convenientia cum jure divino, et naturali (2). Jus autem humanum hoc loco est non tantum Jus ecclesiasticum, sed etiam civile; quia si clerici in rebus

temporalibus civili Magistratui subjecti habeantur, hujus quidem auctoritate, ac lege opus erat, ut eo vinculo soluti esse possent. Utrumque Jus in clericos contulit privilegium tam justum, tamque aequitati, ac juri divino consentaneum (3); et Ecclesia suis legibus curavit, ut quae inducta fuerant sive Principum constitutionibus, sive populorum consensu, longaque consuetudine, sarta tecta servarentur.

(1) Id etiam fatetur Bohemerus homo videlicet ex Protestantium numero, *Jur. public. univers. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. *in not.* " Pleraeque „ gentes, *ait*, hunc, Sacerdotibus suis praestant honorem; ut eos a qui„ buscumque oneribus publicis immunes reddant „. Tum enumeratis compluribus gentium exemplis pergit his verbis: „ et infinitum foret „ omnium populorum scita circa immunitatem Sacerdotum referre . . „ . . . . . Haec immunitas adscribenda est venerationi, et devotioni; quam „ erga Sacerdotes, utpote Ministros Dei, habuere „. Hinc recte, et sapienter S. Jo. Chrysostomus *hom.* 65. *in Genes. cap.* 47. *num.* 4. *tom.* 4. *pag* 626. „ Audiant, *inquit*, qui nunc vivunt, quantam olim Sacerdotum „ idolorum curam habuerint; et discant; ut vel saltem parem habeant „ honorem iis, quibus omnium Dei ministerium creditum, et qui Sacer„ dotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, et tantam idolorum curam „ habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, ita eorum ministros „ colebant, quanta non condemnatione digni, qui nunc minuunt, quod „ ad illorum spectat cultum? An nescitis honorem ad Deum ipsum tran„ sire „? Simili argumento utitur etiam Concilium Aurelianense IV. *can.* 13. *tom.* 5. *collect. Labbaei col.* 1366. „ Quod lex, *inquit*, saeculi etiam pa„ ganis Sacerdotibus, et Ministris ante praestiterat; justum est, ut erga „ Christianos specialiter conservetur „.

(2) Confer Altesarram *Jurisdict. eccles. vindic. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 5., Bellarminum *de cleric. cap.* 28. *opp. tom.* 2. *pag.* 162., Duvallium *de Pontific. Potest. par.* 3. *quaest.* 3. *in tom.* 3. *Biblioth. Pontif. pag.* 504., Covarruviam *pract. quaest. cap.* 31. *opp. tom.* 2. *pag.* 191. *edit. Genev.* 1762., Gonzalez *in cap.* 4. *de Immunit.*, Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec.* 5. *cap.* 6. *art.* 6. *in schol. tom.* 5. *pag.* 163.

(3) Constantinus M. apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 10. *cap.* 7. *pag.* 432. *edit. Taurin.* 1746.; *Leg.* 1. 8. 10. *et* 13. *Cod. Theodos. de Episc. Eccles. et Cleric.*, *Leg.* 21. et 22. *Cod. Theodos. de extraord. sive sordid. muner.*, *Leg.* 1. *Cod. Theod. de annon. et tribut.*, *Leg.* 22. *Cod. Theod. de Tyron.* Huc etiam referendae sunt *Leg.* 46., *et* 47. *eod. Cod. de Episc. Eccles. et Cleric.* Idem habet Codex Justinianus, uti patet ex *Leg.* 14. *Cod. de Episcop. audien.*, *Leg.* 16. *Cod. de sacros. Eccles.*, *Leg.* 1. *et* 2. *Cod. de Episc. et Cleric.*, Auth. *statuimus Cod. eod.*, Concilium Chalcedonense *can.* 9. *tom.* 4. *collect. Labbaei col.* 1686., Toletanum III. *can.* 3. *ibid. tom.* 6. *col.* 709., Agathense *can.* 32. *ibid. tom.* 5. *col.* 526., Cabillonense I. *ibid. tom.* 7. *can.* 11. *col.* 398., Matisconense I. *ibid. tom.* 6. *col.* 660. *can.* 8., Aurelianense III. *can.* 32. *ibid. tom.* 5. *col.* 1281., Antisiodorense *can.* 35. *ibid. tom.* 6. *col.* 645., Lateranense IV. *can.* 42. *ibid. tom.* 17. *col.* 975. *Cap.* 12. *de for. competen.* Mitto cetera, ne nimius videar. At enim Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 20. *de reform. inquit* „ Eccle„ siae, et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et

» canonicis sanctionibus constitutam » quibus quidem verbis videtur eamdem immunitatem a Jure Divino repetere. Verum cum haec dicit Concilium, haud statuit, hujusmodi immunitatem in rebus temporalibus proprie, et absolute esse Juris Divini, sed tantum consequenter; quia nimirum ea valde consona est iis, quae in Dei verbo consignata sunt, atque inducta est exemplo eorum, quae in sacris literis continentur; uno verbo, quia clericorum immunitas valde congruit cum Jure Divino, ac Naturali: quoniam spiritus Scripturarum, Ecclesiae institutum, mores populorum, Principum pietas suaserunt, ut qui divina institutione addicti sunt divinis officiis, et a reliqua plebe discernuntur, ecclesiasticae potestati subdi debeant, neque civilis Magistratus auctoritati subjiciantur. Hinc Tridentini Patres, quorum in delectu vocabulorum singularis cura, et diligentia est, usi non sunt vocibus *divino jure*, *divino praecepto*, *divina lege*, quas quidem adhibuerunt, cum de rebus per expressam Dei voluntatem certis loquuti sunt, ut de Confessione lapsi post Baptismum necessaria *sess.* 14. *cap.* 5. *de Confess.*, de obligatione Pastoribus imposita suas agnoscendi, pascendique oves *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*; de lege, qua Christiani vetantur plures simul habere uxores *sess.* 24 *can.* 2. *de matrim.*; sed vocabulum usurparunt *ordinationem Dei*, ut significarent, immunitatem hujusmodi non Divino expresso jure esse inductam, sed tantum *ordinante*, hoc est ita movente, omniaque ordinate regente Deo, a sacris canonibus fuisse institutam. Ita Emmanuel Gonzalez *in Cap.* 4. *de Immunit. num.* 8. verbis illis Tridentini Concilii descriptis aliisque etiam allatis canonibus, quibus haec immunitas Divino Juri adscribi videtur, nihilotamen minus respondet: „ cum communi Interpretum placito dicen„dum esse, exemptionem hanc vere Juris positivi esse: sed quia valde „ conformis est Juri Divino, Juris etiam Divini dici, et lato modo ad „ Jus Divinum eam spectare; hanc enim esse phrasin, seu usum loquen„di sacrorum Canonum, in quibus Jus Divinum appellatur, quod ha„bet originem a Jure Divino veteris testamenti. „ Confer etiam Bianchinum *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 4. *cap.* 3. §. 3. *tom.* 6. *num.* 3. *pag.* 297. *seqq.*

§. XXV. Atque hoc quidem privilegio personalis immunitatis certum est clericos fuisse potitos, statim ac Christiani Principes imperium obtinuerunt (1). Fuit haec rerum ratio Imperatore Constantino M., qui primus Christianam Religionem amplexus est (2); ac de illo retinendo, ac tuendo jure adeo soliciti fuerunt Episcopi, ut gravissimis quoque poenis animadverterent in clericos, qui se in criminali judicio civili Magistratui subjecerant (3). Jus hoc tam legitime quaesitum, ac tanta temporis diuturnitate firmatum nunc in discrimen revocare nefas est (4); et quemadmodum civilis Potestas nihil sibi adimi pateretur eorum, quae ipsa ab Ecclesia obtinuit, ita curare debet, ut semper integra apud illam sit possessio eorum, quae ab se concessa sunt. Neque

enim jus Divinum patitur aliquem ex jure quaesito, ac tamdiu retento exturbari (5). At aliquae interdum possunt esse causae publicae, propter quas clerici, eorumve bona civili Potestati subdenda videantur. Id vero cum evenit, communis utriusque Potestatis consilio, et consensu res omnis transigenda est. Scilicet roganda est Ecclesia, sive ejus caput Romanus Pontifex; ut ejus auctoritate clerici rite de suo jure decedant; sed illa ignara, non licet rem alienam occupare.

(1) Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 8. *tom.* 1. *pag.* 494. „ Non vocat hic, *inquit*, illam examinare quaestionem, quo jus „ re, Divino ne, an humano, clerici in causis mere temporalibus exem„ pti sint a jurisdictionis saeculari; superfluum quippe videtur indagare „ primigeniam originem ejus exemptionis, qua ceteroquin certo scimus „ clericos potitos, ubi primum Ecclesia, sedatis persequutionum procel„ lis Christianos Principes nacta est „.

(2) Eusebius *loc. cit.* et Nicephorus *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 46. *tom.* 1. *pag.* 516. *edit. Paris* 1630.

(3) Concilium Carthaginiense III. an. 397. *can.* 9. *tom.* 2. *collect. Labbaei col.* 1401. cujus verba sunt haec: » item placuit, ut quisquis » Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum, seu Clericorum, cum » in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit com» mota, si derelicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari vo» luerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. » Et hoc in criminali actione. In civili vero perdat; quod evicit, si locum » suum obtinere voluerit ».

(4) Consule Antonium Charlasium *in praefat. ad tom.* 3. *de Libert. Eccles. Gallican. pag.* 8., ubi etiam habes decretum Sac. Facultatis Theologicae Parisiensis.

(5) Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 15. *et* 16. *cap.* 7. *in schol.* 3. *ad artic.* 2. *tom.* 9. *pag.* 182. „ Immunitatem ecclesiasticam, *in„ quit*, quoad spirituales causas, et mere ecclesiasticas Juris esse Divini » fateor; sed quod spectat causas temporales, et profanas, ut solutiones » debitorum, et criminum, quae a viris ecclesiasticis, non quatenus cle» rici, sed quatenus homines sunt improbi, committuntur, ut furta, ho» micidia etc. eorum immunitatem esse Juris Divini concedere non pos» sum . . . . . Sed si quae sint negotiorum species, in quibus clerici, » conspirante Legum, et Canonum sententia, exempti sint a saeculari fo» ro, in Jus Divinum peccare fateor quicunque illa privilegia violaverit, » quia Jure Divino prohibetur, ne cuiquam jus legitime quaesitum au» feratur ». Confer etiam Duvalium *loc. cit.*, et Roncagliam *in not. ad Natalem Alexandrum loc. cit. pag.* 182. Errat igitur, vehementerque errat Van-Espenius de *Recurs. ad Princ. cap.* 1. §. 5. *pag.* 220. *part.* 6. *edit. Lovan.* 1732., dum clericorum exemptionem a Principe adimi putat posse arbitratu suo, propterea quod ab eo concessa est, ad eumque pertinet id agere, atque praescribere, quod Reipublicae bonum videtur postulare. Quod idem est, ac dicere, posse aliquem suo lubitu rem alter

datam, ab eoque legitime quaesitam, ac diu retentam adimere. Quod quid dici potest obtusius? Qui Reipublicae praepositus est habet quidem imperium in res privatorum, eaque de causa easdem convertere in publicam utilitatem potest; sed ei non subditur Ecclesia, quae summa potestas est, ideoque suo jure privari non potest, nisi eo sese abdicet voluntate sua.

§. XXVI. Quamquam autem clerici civili potestate soluti, atque ecclesiasticae subjecti sint, non ideo tamen cives esse desinunt, neque despicere impune possunt civiles leges, quae sunt pro Reipublicae incolumitate constitutae (1). Itaque iis obsequi debent, modo nihil sancitum sit, quod pugnet cum institutis, legibusque Ecclesiarum. Nam si quid tale jubeant civiles leges, itaut in res sacras, disciplinamque Ecclesiae, hoc est in alienam possessionem irruant; servandae sunt leges ejusdem Ecclesiae, cujus est iisdem de rebus judicare. Neque vero cum Paulus in literis ad Romanos omnem animam *sublimioribus potestatibus* subditam esse oportere monuit, Ecclesiam civili potestati subjecit; tantum voluit, ut omnes parerent legibus, quae de rebus civilibus a civili republica latae sunt. Nam quemadmodum eo loco his potestatibus, ita aliis in locis idem Apostolus Christianos etiam, atque etiam jubet obedire suis praepositis, hoc est Episcopis, iisque subjacere, cum ipsi pervigilent, quasi de cujusque operibus reddituri rationem Deo; atque eosdem non ab hominibus, sed a Deo ipso positos dicit *regere Ecclesiam Dei*. Itaque potestas, quam in rebus sacris, atque in Ecclesiae administratione exercent Episcopi, divina potestas est; quis eam humanae subjectam putet, itaut hujus legibus, despectis ecclesiasticis, parendum existimet? En igitur quid sibi voluerit Paulus, cum homines, qui et cives sunt, et christiani, tum Principibus, qui civilem rempublicam moderantur, tum Episcopis, quos Ecclesiae rectores Deus ipse constituit, subditos esse jussit: voluit nimirum, ut utrique potestati subderentur, unicuique in suo genere, hoc est in civilibus negociis Reipublicae moderatori, in ecclesiasticis Episcopis obedirent. Ex quo efficitur, ut ea, quae in res sacras uni Ecclesiae a Christo data potestas

est, a Principe occupari non possit; ideo quae leges divino mandato adversariae nullam habeant auctoritatem. Sed leges ceterae, quae sunt de rebus mere civilibus, clericos etiam obstringunt; hoc tantum discrimine, quod cum laicus in eas leges peccavit, a proprio judice poena allicitur, contra vero clericus nonnisi ab ecclesiastico puniendus est.

(1) Bellarminus *de Cleric. lib.* 1. *cap.* 28. *pag.* 161. *opp. tom.* 2. *edit. Venet.* 1721. „ Non sunt, *inquit*, exempti Clerici ab obligatione legum „ civilium, quae non repugnant Sacris Canonibus, vel officio Clericali. „ Loquimur hic potissimum de legibus Civilibus politicis, quae dirigunt „ actiones humanas in commerciis temporalibus, ut cum Princeps, vel „ Magistratus constituit pretia rebus venalibus, vel jubet noctu neminem „ incedere cum armis, vel sine lumine, vel non asportare frumentum „ extra provinciam, et his similia. Nec volumus dicere, his legibus teneri Clericos obligatione coactiva, sed solum directiva, nisi eaedem le„ ges ab Ecclesia approbatae fuerint. Quod si de iisdem temporalibus re„ bus disposuisset etiam lex Ecclesiastica, eam sequi deberent Clerici, et „ tunc legem civilem nec directive quidem observare tenerentur. Proba„ tur igitur, Clericos ad observationem civilium directive teneri in de„ fectum legis Ecclesiasticae. Nam Clerici, praeterquam quod Clerici „ sunt, sunt etiam cives, et partes quaedam Reipublicae politicae. Igi„ tur ut tales vivere debent civilibus legibus. Non sunt autem aliae, ut „ nunc ponimus, nisi quae a politico Magistratu sunt latae. Igitur illas „ Clerici servare debent: alioqui magna pertubatio, et confusio in Re„ publica oriretur, si Clerici non servarent civiles leges in commerciis „ civilibus, et humanis. Secundo probatur ex Confessione Pontificum „ et Imperatorum. Nicolaus Primus in Epistola ad Michaelem prope fi„ nem dicit: Deum divisisse Pontificiam auctoritatem ab Imperiali, ut et „ Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pon„ tifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus „ uterentur. Imperator Valentinianus in epistola ad Episcopos Asiae, quam „ refert Theodoretus *in lib. IV. hist. cap.* 8. scribit: „ probos Episco„ pos non solum Dei, sed etiam Regum legibus obtemperare „. Deni„ que S. Joannes Chrysostomus *in cap.* 13. *ad Rom.* dicit: Christi Evan„ gelio non tolli politicas leges, et ideo debere etiam Sacerdotes et Mo„ nachos eis parere „. Vide etiam Mamachium *origin. et antiquit. Christian. lib.* 4. *par.* 1. *cap.* 2. §. 3. *num.* 5. *tom.* 4. *pag.* 92. *seq.*

§. XXVII. Sed et bona ecclesiastica civili Potestati obnoxia non sunt, eaque gaudent immunitate, quam *realem* appellamus. Quae immunitas eadem habet initia, quae habere diximus *personalem* immunitatem clericorum. Nam quemadmodum Juri Divino, ac naturali consentaneum est, ut clerici tantum ecclesiasticae Potestati subdantur, ita eidem juri congruens et conveniens est, ut

simili privilegio fruantur bona ecclesiastica, ex quibus habent sacri ministri, et ecclesiae, quae sibi sunt necessaria, quaeque Deo consecrata appellantur (1). Revere omnia gentes mira omnium consensione hujusmodi bona sacra, et sancta habuerunt, ita ut qui ea distraheret, atque eriperet, sacrilegus haberetur (2). Consensus hic omnium gentium vox naturae putandus est; et si eo loco ab ethnicis habebantur bona suorum Deorum, quanto magis eo jure donanda sunt bona, quae a Christianis vero Deo, ejusque ministris donata sunt (3)! Qua in re singularis est imperitia quorumdam, qui Ecclesiae bona Deo sacra appellari posse negant, quoniam nulla in illis adhibetur consecratio, atque caeremonia, per quam desinant esse bona temporalia, quae videlicet fructus pariant. Nam illud vocabulum rectissime usurpatur, quod eadem bona ad Dei cultum proxime referuntur; quia scilicet ex iis Ecclesia, ejusque ministri sumunt omnia, quibus opus habent, aluntur pauperes, ea comparantur, quae sunt pro divinis officiis recte, ac decore celebrandis necessaria, plurima caritatis, ac pietatis officia exercentur. Itaque haec bona propter eorum usum, qui proxime ad Deum refertur, recte Deo consecrata dicuntur (4), eaque inviolata esse debent, atque ab hominum commercio remota, adeout quisque aedem auferre, atque in alios usus convertere ausus fuerit, sacrilegii reus judicetur (5).

(1) In canonibus Apostolicis Ecclesiae bona vocantur τὰ τοῦ θεοῦ *quae sunt Dei*, et τὰ κυριακὰ *res dominicae*, ut in *can.* 38. *et* 40. apud Beveregium *Synodic. seu Pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 26. *et* 27. Eademque utuntur loquendi formula Concilia Carthaginiense IV. an. 398. *can.* 31. *tom.* 2. *collect. Labbaei col.* 1440., Carthaginiense III. an. 397. *can.* 49. *ibid. col.* 1410., Romanum an. 504. sub Symmacho P. *ibid. tom.* 5 *col.* 511., Nicaenum II., quod est Generale VII., *can.* 12. *ibid tom.* 8, *col.* 1255., eadem etiam Capitularia Regum Francorum, et Gallicana Concilia complurima, ut videre est in libello edito an. 1750., cui titulus *Defense de l'Immunité des Biens Ecclesiastiques pag.* 22. *seqq.* Hanc veritatem ipsi etiam agnoverunt haeretici, quos magno numero describit Mamachius *del diritto libero della Chiesa lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. *num.* 7. *tom.* 3. *par.* 1. *pag.* 411. *seqq.*, qui videndus est etiam *eod. loc. lib* 2. *cap.* 1. *p.* 70. *seq.* et 91. *seqq.* et *lib.* 2 *par.* 2. *cap.* 3. *pag.* 45. *seqq.*.

(2) Plura ea de re exempla numerat V. Cl. Augustinus Valle *dissert. de bon. Eccles. pag. VII.*

(3) Confer S. Thomam *lect.* 1. *in cap.* 13. *ep. ad Roman.*

(4) Praeclare S. Thomas 2. 2. *q.* 99. *art.* 1. „ sacrum, *inquit*, di„ citur aliquid ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur. Sicut enim ex „ eo, quod aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni, ita „ etiam ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quod„ dam Divinum, et sic ei quaedam raverentia debetur, quae refertur in „ Deum. Et ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum „ pertinet; ad injuriam Dei pertinet, et habet sacrilegii rationem „. Et Joannes Gerson *de Potest. eccles. consider.* 4. consecrationem bonorum temporalium Ecclesiae sic describit : „ Ecclesiasticorum bona temporalia pro„ pter dedicationem, et applicationem ad eos, qui ministrant Ecclesiae, „ sicut panes Propositionis, Primitiae, et Decimae, vasa insuper templi, „ et similia dicebantur in lege veteri sacra, vel sancta, sic et nova lex „ hoc retinet „. Confer etiam Pomerium *de vit. contempl. lib.* 2. *cap* 16. *num.* 4. *col.* 38. *in append. opp. S. Prosperi edit. Paris* 1711.

(5) S. Thomas *loc. cit. art.* 3. tris distinguit rerum sacrarum genera. In primo, ac summo genere ponit sacramenta „ quibus homo san„ ctificatur. Post sacramenta autem, *ait*, secundum locum tenet vasa „ consecrata ad sacramentorum susceptionem, et ipsae imagines sacrae, et „ reliquiae sanctorum, et ea, quae pertinent ad ornatum Ecclesiae, et mi„ nistrorum : deinde ea, quae sunt deputata ad sustentationem Ministro„ rum, sive sint immobilia, sive mobilia. Quicunque autem contra quod„ cunque praedictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit „. Ejusdem criminis sacrilegii eos, qui bona Ecclesiae occupant, aut distrahunt, reos judicant S. Joannes Chrysostomus *in* 2. *epist. ad Timoth. cap.* 1 *hom.* 2. *num.* 3. *tom.* 11. *pag.* 670., S. Hieronymus *epist.* 52. *ad Nepotian. opp. tom.* 1. *col.* 269., S. Ambrosius *de poeniten. lib.* 2. *num.* 85. *opp. tom.* 3. *col.* 549., Concilium Vareuse an. 442. *can.* 4. *tom.* 4. *collect. Labbaei col.* 717., Romanum an. 504. *tom.* 5. *col.* 511., Troslejanum anni 909. *ibid. tom.* 11. *cap.* 4. *col.* 740. Recte Bossuetus *Politique tirée etc. de l'Ecriture sainte liv.* 7. *art.* 5. *prop.* 8. *opp. tom.* 8. *pag.* 503. his verbis Principes alloquitur : „ O Princes! Suivez ces exemples. Prenez en votre garde tout ce „ qui est consacré à Dieu; et non seulement les Personnes, mais enco„ re les lieux, et les biens, qui doivent être employes à son service. „ Protegez les biens des Eglises, qui sont aussi les biens de pauvres. „ Souvenez-vous d'Heliodore, et de la main de Dieu, qui fut sur lui, „ pour avoir voulu envahir les biens mis au dépot dans le Temple. Com„ bien plus faut il conserver les biens non seulement déposés dans le „ Temple, mais donnés en fonds aux Eglises „.

§. XXVIII. At saepe ita ferunt Reipublicae necessitates, ut commune malum avertendum, bonumque curandum etiam Ecclesiae bona iisdem subjicienda oneribus, quibus reliqui cives premuntur, vel etiam distrahenda sint. Quod cum evenit, aequum certe, ac justum est, quod Ecclesia, quae suas opes in pauperum levamen conferre debet, societati universae subveniat; atque id semper, cum opus fuit, ab Ecclesia factum fuisse traditum est monumentis historiarum (1). Verum, ut id

rite, ac recte fiat, opus est auctoritate Summi Pontificis, qui tamquam Ecclesiae caput summam, atque praecipuam habet administrationem, et curam rerum ecclesiasticarum (2). Si particulares Ecclesiae, et Loca Pia tamquam mera collegia, et universitates habeantur, rerum suarum dominium habere debent eodem jure, quod sibi cum reliquis civibus commune est (3). Atqui etiam cum dura, et imperiosa necessitas, totiusque populi salus cogit Reipublicae praepositum ad rem alienam occupandam, non id tamen facere statim licet vi adhibita, et contra Domini voluntatem; sed antea precibus, aut alio simili modo impetranda res ipsa est, antequam sancta dominii jura violentur (4). Cur igitur vi, et injuria rapientur bona Ecclesiae, quae cum consensu, et auctoritate illius, qui his rebus praeest, Reipublicae calamitatibus et saepe opem tulit, et cum opus est, ferre non rennit?

(1) Propter publicas calamitates, pauperumque levamen, et captivos redimendos sacra etiam vasa ab Ambrosio, Augustino, aliisque sanctissimis Episcopis vendita fuisse constat. Ambrosius *de offic. Ministror. cap.* 28. *num.* 136. *tom.* 3. *col.* 122. „ Hoc maximum, *inquit*, incentivum mise„ ricordiae, ut compatiamur alienis calamitatibus; necessitates aliorum, „ quantom possumus, juvemus, et plus interdum quam possumus. Melius „ est enim pro misericordia causas praestare, vel invidiam perpeti, quam „ pratendere inclementiam; ut nos aliquando in invidiam incidimus, quod „ confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus. Aurum Ecclesia „ habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necesitatibus. Quid „ opus est custodire quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum auri, „ atque argenti de Templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius con„ flant Sacerdotes propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, „ quam ut sacrilegus contaminata asportet hostis „? Idem ab Augustino factum testatur Possidius in ejus vit. *cap.* 3. *opp. S. Augustin. tom.* 15. *col.* 230. Quantum autem in omnibus Reipublicam calamitatibus a Clero tributum sit, ostendant Veremundus Gust *Demonstrat. Jur. Stat. Ecclesiast. circ. temporal. par.* 1. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *num.* 357. *seqq. pag.* 240. *seqq. edit. Ratisbon.* 1757., Desing *delle richezze del Clero utili, e necessarie alla Republica esame* 14. *vers.* 55. *seqq.*, Mamachius *del diritto libero della Chiesa etc. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 14. *pag.* 136. *seqq. tom* 3. *par.* 1. *et cap.* 2. §. 2. *num.* 6. *pag.* 404. *et lib.* 3. *par.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 22. *seqq. pag.* 245. *seqq. tom. ult.*, Auctor Libri *de l'autorite des deux puissances par.* 4. *chap.* 2. §. 5. *tom.* 3. *pag.* 377. *et not.* 294. *seqq. pag.* 507.

(2) Confer Concilium Lateranense III. *can.* 10. *tom.* 13. *col.* 427. et Lateranense IV. *can.* 46. *tom.* 13. *col.* 979. Videndi sunt etiam Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 15. *et* 16. *dissert.* 9. *art.* 6. *num.* 13. *tom.* 9. *pag.* 498., Mamachius *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 87. *seq. tom.* 2.

et lib. 2. *par.* 2. *cap.* 3. §. 23. *pag.* 295. *tom.* 3. *et. lib.* 3. §. 3. *num.* 5. *pag.* 461. *tom.* 4. et Gufflius *loc. cit. sect.* 2. *cap.* 2. §. 4. *num.* 133. *seqq. pag.* 85. *seq.* Recte autem Bonifacius VIII. Philippo Pulchro Galliarum Regi apud Rainaldum *ad an.* 1296. *num.* 28. *tom.* 23. *pag.* 212, *edit. Lucae* ajebat : *Objicias , si quando per te , vel progenitores tuos pro necessitatibus regni ad Apostolicam Sedem sit habitus recursus , et inanis transierit petitio aures ejus, quin fueritis efficaciter exauditi , ubi nempe gravis necessitas regni immineret.*

(3) Ita uno omnium consensu docent Juris Publici Scriptores Bohemerus *Jur. publ. univers. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. §. 7. *in not. et lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. *in. not.*, Heineccius *Elem. jur. secund. Instit. lib.* 2. *tit.* 2. §. 327. *opp. tom.* 1. *pag* 77. *edit. Neapol.* 1759. *et de jur. natur. et gent. lib.* 2. §. 176. *in schol. tom.* 8. *pag.* 221. , Mascovius *Princip. Jur. Publ. German. lib.* 5. *cap.* 4 §. 3., Struvius *Syntagm. Jur. Feudal. cap.* 5. §. 6. Hinc merito Eleuryus *discour. quartiem. sur l'Histoir. Ecclesiast. num.* 9. *tom.* 16. *Histoir. Eccles. pag. XII. edit. Paris* 1691. de Ecclesiae possesione disputans „ Tous ces droits , *inquit* , sont legitimes il n' est „ non plus permis de les contester à l' Eglise, qu' aux laiques „ . Late hoc argumentum persequitur Auctor libri *de Finibus utriusque. Potest. cap.* 14. *pag.* 196. *seqq. edit. Lugani* 1779.

(4) Pufendorffius *Jus Natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 6. §. 5. *tom.* 1. *pag.* 218. *edit. Francofurt.* 1769. Est porro , *inquit* , ea dominii vis , » ut dominus res suas ipse possit dispensare , etiam ad quas alteri tra- » dendas obligatur. Ex quo consequitur , quod res ab altero sibi debi- » tas non statim ipse quia inviolare queat , sed dominum , ut sibi eas tra- » dat , poscere debeat » *et* §. 6. *pag* 220. Ex dictis quoque clare appa- » ret ratio exceptionum illarum , quas Grotius assertioni suae subjungit. » Nam cum inevitabilis tantum necessitas indulgeat per vim vindicare, quod » ex obligatione imperfecta debetur , manifestum est, prius omni modo ten- » tandum , an alia ratione , quam per vim , aut clanculum, necessitas pos- » sit evadi , puta adeundo Magistratus , preces adhibendo , promissa resti- » tutione , ubi fata mollius finere caeperint , operam offerendo » . Quod etiam tradit Zallinger *Jus natur. privat. lib.* 1. §. 98. *pag.* 209. *edit. August. Vindelic.* 1784.

§. XXIX. Verum Ecclesiae bona non eo censenda sunt jure, quo censentur bona reliquarum universitatum , et collegiorum , quae in hominum commercio versantur , quaeque civili potestati obnoxia sunt. Nam illa sane pertinent ad solam Ecclesiam , neque in ea civilis potestatis ullum imperium est. Itaque utut ratum firmum habeatur eminens illud dominium , quod primum ab Hugone Grotio excogitatum ferunt (1), quodque in summa nihil est aliud , quam ipsum imperium (2) , id quidem cum certis legibus propter communem utilitatem in bonis civium obtinere potest (3) , sed ad bona Ecclesiae traduci nequit. Nam ea subjecta non sunt civili Potesta-

ti (4); idcirco nullum in eadem eminens dominium, sive imperium exerceri posse manifestum (5).

(1) Grotius *de jure belli et pacis lib.* 1. *cap.* 1. §. 6. *tom.* 1. *pag.* 42. *edit. Basilicae* 1746.

(2) De eminenti dominio plura fuere dissidia, et contentiones; sed omnes de vocabulo disputationes erant. Quodvis autem vocabulum usurpare placeat, summa rei est, quod dominium eminens idem est, ac *jus Majestaticum*, sive imperium ipsum, quod Princeps habet in res singulorum civium propter communem utilitatem, uti ostendunt Pufendorffius *de jur. natur. et gent. lib.* 8. *cap.* 5. §. 7. *tom.* 3. *pag.* 251. et Bohemerus *Introd. in jus public. part. special. lib.* 1. *cap.* 4. §. 28.

(3) Cum privato civi, aut collegio onus aliquod est imponendum propter Reipublicae necessitatem, ea praesertim servanda lex est, ut damnum ali eo contractum resarciatur, ne unus tantum onus perferat universum. Nam, ut inquit Samuel Pufendorffius *loc. mox indicato tom.* 3. *pag.* 251. „ naturalis est aequitatis, ut si ad communem quampiam rem conservandam „ ab iis, qui de eadem participant, conferendum quid sit, singuli ratam „ dumtaxat partem conferant, nec unus supra ceteros graviter oneretur „. Quod etiam tradunt, praeter ceteros, Hugo Grotius *de Jur. bel. et pac., lib.* 2. *cap.* 14. §. 7. *tom.* 1. *pag.* 467., et Gronovius *in not.* Heineccius *praelection. in Grotium lib.* 3. *cap.* 20. §. 7. *opp. tom.* 9. *pag.* 384., Waltel *droits des gens liv.* 1 *chap.* 243. 244.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.* „ Si quem „ clericorum; *inquit*, vel laicorum, quacumque is dignitate etiam impe„ riali, aut Regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupi„ ditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiae, seu cujusvis saecularis, vel re„ gularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum juris„ dictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, et emphyteutica, fru„ ctus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum, „ et pauperum necessitates converti debent . . . . . quocumque quaesito „ colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit . . „ . . is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, „ jura, fructus, et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomo„ documque etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, Eccle„ siae, ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit, ac de„ inde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Clericus vero, qui „ nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens „ fuerit, eisdem poenis subjaceat „. Videndus est etiam Benedictus XIV. *Const.* 90. *tom.* 1. *Bullar. pag.* 187. *edit. Romae* 1754., sunt videnda Acta Cleri Gallicani *tom.* 1. *col.* 649. *seqq. edit. Paris.* 1768. *et tom.* 6. *col.* 88. 89. Confer praeterea auctores, quos paulo ante laudavimus.

(5) Eminens hoc dominium in bona ecclesiastica Majoribus nostris plane ignotum fuit, uti ostendit Mamachius *del diritto libero etc. lib.* 3. *par.* 1. *cap.* 2. *pag.* 272. *seqq. et pag.* 423. *seqq.*; imo ipsi Supremi Principes plus semel professi sunt, nullam se habere in ecclesiastica bona potestatem. Quin ipse Grotius, qui primus hujus inventi Auctor habetur *in not. ad Consult. Cassandri art.* 16. *pag.* 622. *tom.* 3. *opusc. edit. Londin.* 1679., negat licere Principi quidquam statuere de rebus ecclesiasticis. Ait enim „ quod hic dicit Cassander, Imperatorum, et Regum hoc quo„ que esse officium, ut leges divinas, et canonicas conservent, verissi„ mum est. Debent enim Christo servire etiam qua Reges, sed cavere

„ sibi debent, ne schismati dent causam : sed ita se noverint Ecclesiarum „ sui regni esse tutores, ut simul meminerint Ecclesiae universalis se es- „ se filios. Pessime autem officium hoc implent Principes, qui ea, quae „ olim Deo, idest piis usibus data sunt, ad suos, et quidem profanis- „ simos, saepe usus convertunt, hoc obtentu, quod nimis multa possi- „ deant Episcopi. Si nimium multa habent Episcopi, detur quod supe- „ rest Presbyteris, et Diaconis ; detur Ecclesiis aedificandis, aut instau- „ randis ; detur pauperibus popularibus ; et si hi desunt, externis ; sic „ ut olim ab Achaja, et Macedonia missae sunt in Judaeam pecuniae ; „ redimantur, qui apud barbaros sunt, captivi ; quam ob causam mul- „ ti Episcopi vasa Ecclesiae etiam jam consecrata vendidere ; quidam se- „ metipsos dedere pignori. Miror non terreri eos, qui vetus testamentum „ legunt, Achanis ; qui novum, Ananiae exemplo. Et haec vel praecipua „ causa est, cur tamdiu bella durent, non tantum quia propter ista utrin- „ que bellatur ; verum etiam quia Deus contemtum sui ulciscitur „. Confer etiam Gustium *Defens. Jur. Stat. Eccles. par.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1. §. 8. *tom.* 2. *pag.* 220.

§. XXX. Eadem ratio, quae vetat civilem Potestatem Ecclesiae bona distrahere, est etiam impedimento, quominus eadem ab ipsa in alios usus convertantur. Itaque retinendae sunt leges, cum quibus ea bona vel testamento, vel contractu inter vivos concessa sunt. Quod si necessitatis, aut publicae utilitatis ratio postulat, ut alius esse debeat eorumdem bonorum usus, Summi Pontificis est uti auctoritate, quam habet in res Ecclesiae ; reique cum alia commutandae facultatem tribuere. Id autem fit ex cognitis, justisque causis, quoniam servanda diligenter est voluntas eorum, qui rerum suarum dominium ad Ecclesias transtulerunt (1).

(1) Copiose, ac diligenter in hoc toto argumenti genere versatur Auctor libri *De finibus utriusque Potestatis cap.* 17. *pag.* 245. Ceterum cum aliqua de jurisdictione inter utramque potestatem disputatio est, tria praesertim ab Episcopo diligenter observanda monet Benedictus XIV. *de Synod. dioecesan. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 11. *pag.* 498. „ Primo, ne Princeps saecularis sibi umquam arroget jus sacrorum ; hoc est, ne in ullo rerum „ eventu se immisceat in causis primi generis, mere scilicet spiritualibus, „ et ecclesiasticis. Secundo, ne Judex laicus eam quoque partem ecclesia- „ sticae jurisdictionis invadat, quae hactenus perseverat intacta . . . . . . „ Tertio denique, ubi aut privilegio, aut legitima consuetudine fori ec- „ clesiastici limites ultra juris communis sanctiones ampliati sunt, quod „ ceteroquin perquam raro contingere scimus, curabit Episcopus, ne sua „ incuria, aut conniventia contrahantur „ . .

§. XXXI. Sed quamquam nulla sit in res Ecclesiae

civilis Potestatis auctoritas, ejus tamen officium est nobile, et praeclarum eamdem tueri, ac juvare auxilio suo; ut quae ab ipsa sancita, mandataque sunt exitum habeant faciliorem (1). Quod Principis officium tantum pertinent ad Ecclesiae praesidium, ac defensionem, nullam vero in ipsam Ecclesiam potestatem attribuit (2); uti filio nulla potestas est in matrem, quam cogit defendere vox ipsa naturae. Itaque sola Ecclesia curat res ecclesiasticas, et spirituales, ac ceteras, quas paulo ante descripsimus, de iisque leges condit, atque easdem exequitur; Princeps autem suam etiam adhibet, auctoritatem, ut Ecclesiae decreta ab omnibus observentur. Exemplo sint dies festi, quos Ecclesia praescribit, poenisque etiam animadvertit in eos, qui eosdem dies profanos habent (3). Ut huic Ecclesiae mandato facilius omnes parere cogantur, suas quoque Princeps emittit leges, quibus aliis constitutis poenis coerceantur, qui his diebus aliquod committunt facinus, quod committere nefas est. In hoc toto negocio Princeps Ecclesiae praesidium tribuit, quoniam sua quoque utitur potestate, ut illius legibus omnes obtemperent; sed non ideo, quod his praesidio est, earum lator evadit, ita ut ipse constituere dies festos possit suo arbitratu. Alia etiam proferri possent exempla generis ejusdem; sed uno cognito facilis est de reliquis conjectura.

(1) S. Leo M. *ep.* 156. *cap.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 1323. *edit. Fratr. Ballerin. Venet.* 1753. „ Debes incunctanter advertere, ajebat Leoni Augusto, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas „. Eadem vox est totius antiquitatis.

(2) Hugo Grotius *de Imper. Summar. Potest. circa sacra cap.* 1. *pag.* 8. *seqq. edit. an.* 1652. loca Patrum, et Conciliorum, quae pertinent ad defensionem, atque praesidium, quod Principes Ecclesiae praestare debent, trahere conatus est ad damnatas opiniones Protestantium, qui Summis Potestatibus imperium circa sacra attribuunt; quo nihil absurdius dici potest.

(3) Videndus Domatus *le Droit public. liv.* 1. *tit.* 19. *princ. tom.* 2. *opp. pag.* 137. *edit. an.* 1745.

§. XXXII. Si homines ita essent comparati, ut omnes sua sponte, non autem poenarum metu coacti Ecclesiae

legibus parerent, ea profecto civili Potestatis auxilio non indigeret. Sed ita saepe quorumdam obduruit animus, ut nisi cogantur temporalibus illis poenis asperioribus, quibus crimina a Principe coercentur, Ecclesiae leges contemnant, ejusque lenitate abutantur. Id ne impune fiat, praesto est imperium, et auctoritas Principis, qui despici a nemine leges Ecclesiae permittit, poenisque gravioribus, quae in ejus manu sunt, et quarum formidine oderunt peccare mali, coercet hominum pervicaciam (1). Quo in munere continere se Princeps intra fines constitutos debet; scilicet ejus est curare, ut Ecclesiae decreta observentur, sed ultra eorum decretorum sententiam producere officium nequit (2). Atque hujus quidem auxilii, et praesidii, quod Princeps Ecclesiae tribuit, exemplum habemus fere quotidianum, cum ea saeculare brachium implorat, ut iis, quae ab se mandata sunt, nemo impune refragetur. Ea in re Princeps neque legem aliquam condit, neque ullam in res Ecclesiae potestatem exercet, sed ei tantum fert opem, ut quod ipsa sua vi praestare non posset, id alterius auxilio, et societate consequatur. Huc etiam referendae sunt antiquae illae petitiones Episcoporum, quos saepe Imperatores rogasse constat, ut quae in Conciliis ab se decreta fuerant, ab iis confirmarentur (3). Id autem ab Episcopis factum est, non ut Conciliorum decreta, quae per semetipsa vim omnem habent, eam consequerentur, postquam ab Imperatore confirmata fuissent; sed ut ipse Imperator suam quoque auctoritatem, et imperium adjungeret Ecclesiae decretis, ita ut iis, civilium quoque poenarum metu, omnes parere cogerentur. Hinc leges Concilii, in quibus ea res stabilita est, ecclesiasticae dicuntur, leges autem ab Imperatore latae tantum civiles sunt (4); quia nimirum per eas nulla res ecclesiastica definitur, sed solum civiles infliguntur poenae adversus eos, qui ausi fuissent despicere id, quod ab Ecclesia definitum fuerat.

(1) Egregie S. Isidorus Hispalensis *Sentent. lib.* 3. *cap.* 51. *alia* 53. *pag.* 686. *edit. Paris.* 1601. „ Principes saeculi, *inquit*, nonnumquam in-
» tra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eamdem potesta-
» tem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam po-
» testates necessariae non essent, nisi, ut quod non praevalet Sacerdos ef-
» ficere per doctrinae sermonem, potestas hoc imperet per disciplinae
» terrorem. Saepe per regnum terrenum caeleste regnum proficit, ut qui

» intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam Ecclesiae agunt, ri-
» gore Principum conterantur; ipsamque disciplinam, quam Ecclesiae hu-
» militas exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principa-
» lis imponat, et ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiat.
» Cognoscant Principes saeculi, Deo debere se rationem reddere propter
» Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax,
» et disciplina Ecclesiae per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis ra-
» tionem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit „ Quem
Isidori locum integrum descripsere Patres Concilii Parisiensis VI. an. 829. *lib.* 2. *cap.* 2. *tom.* 9. *Concil. Labbaei col.* 751. Atque huc referendum est etiam Capitulare anni 823. *tom.* 1. *Capitular. col.* 429., quo Ludovicus Pius Episcopos alloquitur, ac se curaturum promittit, ut „ quod vestra
» auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra, perficere
» valeatis »

(2) Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. et Imper. in prolegom. pag. LVII.* » Tuitio enim, *inquit*, canonum sententiam aliquo pacto egredi non
» debet. Alioquin irritum est; inane quodcumque Principis edictum ad-
» versus canones in rebus ecclesiasticis latum ».

(3) Concilii Constantinopolitani I. Patres datis ad Theodosium literis significant, tum ab se Nicaenam fidem confirmatam, atque obortas haereses fuisse damnatas, tum etiam » ad recte constituendum, et ordinandum
» statum „ et disciplinam Ecclesiarum certos se canones statuisse » rogantque Imperatorem, ut suae potestatis imperio ab omnibus observanda curet, quae ab se fuerant constituta *tom.* 2. *Concil. col.* 1124. Similia occurrunt in Synodo Ephesina in literis ad Theodosium Jun. *col.* 1098. 1183. 1295. *tom.* 3. *Concil.*, atque etiam in Synodo Chalcedonensi, cujus decreta promulgato ab se edicto confirmata Marcianus Imperator tradit *tom.* 4. *Concil. col.* 1783.; Sed qualis haec confirmatio sit, ipse declarat his verbis » Sa-
» cro nostrae Serenitatis edicto venerandum Synodum confirmantes admo-
» nuimus universos, ut de religione disputare desinerent . . . . . . in futu-
» rum a prohibitis omnes abstineant, nec conventicula colligant super re-
» ligione certantes; quia in hujusmodi perversitate, et vanitate detecti et
» statutas dudum suscipient poenas, et judiciario motu, prout religiosis
» temporibus convenit, punientur ». Itaque cum Imperatores latis ab se legibus curant, ut synodalia decreta rata firma sint, et poenis etiam animadvertunt in eos, qui his decretis non obsequantur, merito dicuntur synodos confirmare; non quod aliquid de rebus Ecclesiae constituant, sed quod ejusdem Ecclesiae leges etiam civilibus indictis poenis ab omnibus observari praecipiunt. Quod etiam deprehendi potest ex sermone prosphonetico Concilii Constantinopolitani III. ad Constantinum Pogonatum, in quo Patres ajunt. » Benignissime Domine, his, quae a nobis definita sunt, si-
» gnaculum tribue, vestram in scripto imperialem confirmationem (ἐπισφραγισ-
» μὸν) et per edicta divalia, atque per pias constitutiones ex more eorum
» omnium firmitatem, quatenus nullus his, quae gesta sunt, aut contradi-
» cat, aut novam quaestionem machinetur » *tom.* 7. *Concil Labbaei col.* 1091. Quibus verbis Patres contra fidei hostes tantum regium auxilium postulant, quod revera a piissimo Imperatore concessum est, promulgato edicto, quod ibi describitur *col.* 1119., quo Synodus confirmatur, civilesque poenae indicuntur adversus eos, qui Concilii decretis parere noluissent. Initio quidem Edicti, commemoratis Patrum definitionibus, habentur haec:
» ideirco et nos quae ab eis definita sunt, corroborare, atque firmare cu-
» pientes, praesens pium edictum edidimus » sed prope finem haec adduntur, » His omnibus ita a Sancto hoc, et universali sexto Concilio con-
» stitutis, et per subscriptionem nostrae fortitudinis firmatis, sancimus, ut

» nullus quoque omnino aliud quidquam de fide satagat, vel novi dogmatis adinventione machinetur, aut penitus de una voluntate, et una operatione docendi indicium, vel sermonem commoveat.... Si quis vero » hominum praesentem nostram piam constitutionem non recipit » poenas perferet, quae in Edicto describuntur. In eadem actione XVIII. ejusdem Constantinopolitani Concilii III. Imperatorem his verbis laudarunt Patres » orthodoxam fidem tu confirmasti » *ibid. col.* 1082., quia scilicet Imperator sua lege curaverat, ut nemo Synodi decretis adversaretur. Recte igitur Petrus de Marca *de concord. Sacerd. et Imper. in prolegom.* §. 6. *pag.* 39. oecumenica concilia ab Imperatoribus confirmata fuisse inquit, quia scilicet suam adhibebant auctoritatem, ut Ecclesiae decreta expeditum haberent exitum, poenisque gravioribus coercerentur, qui eis non obtemperarent. Apposite etiam Bossuetus *Dissertat. sur Grotius num.* 24. *opp. tom.* 3. *pag.* 272. » Quand l'Empire, *inquit*, fut devenu Chrétien, les Empereurs publioient des Loix ou la foi étoit confirmée; c'est que ces Princes » Religieux venoient à l'appui des Jugements ecclésiastiques ». Itaque Episcopis regiminis, ac jurisdictionis potestate spiritualis, atque ecclesiastica definiebant, Imperator autem tamquam Ecclesiae defensor sua auctoritate, legibusque curabat, ut illius decreta ab omnibus sancta, et inviolata haberentur. Quo spectat etiam epistola Leonis II. P., quae extat *cit. tom.* 7. *Concil. col.* 1147., qua ipse Constantino Pogonato gratulatur de Synodo Constantinopolitana III. ab eo confirmata, aitque „ Synodali igitur sen» tentia, et Imperialis Edicti censura, tamquam ancipiti Spiritus gladio, » novae pravitatis error expunctus est, et qui auctores falsitatis exti» terunt, cum suae blasphemiae labe prostrati sunt „. Ea nimirum gesta sunt a Synodo tamquam judice in re propria, ab Imperatore tamquam Defensore sententiae synodalis. Quod aperte significat ipse Leo *ibidem* „ O sancta » mater Ecclesia, exurge, depone pallium moeroris, et induere stolam ju» cunditatis tuae. Ecce filius, tuus, defensor tuus, adjutor tous, ne com» movearis...., En propugnator tuus, confide, ne metuas etc „.

(4) Cum leges illae, quarum est facta mentio, tantum urgeant observantiam eorum, quae ab Ecclesia decreta sunt, nihil autem de rebus Ecclesiae constituant, profecto evidens, apertumque est, eas non ecclesiasticas, sed civiles, atque politicas esse habendas, quo nomine ipsi etiam Romani Imperatores, et Galliarum Reges easdem appellarunt. Revera civile munus est officium tuitionis, quod habent laici Principes, et cujus gratia illae de observandis Ecclesiae decretis leges emittuntur. Consule Domatum *Le Droit Public, liv.* 1. *tit.* 19. *opp. tom.* 2. *pag.* 136., Natalem Alexandrum *Histor. saec.* 5. *cap.* 3. *art.* 13. §. 17. *tom.* 5. *pag.* 75., et V. Cl. Innocentium M. Liruitum *Apparat. ad Jurispr. dissert.* 3. §. 3. *tom.* 1, *pag.* 19. *edit. an.* 1793., *et dissert.* 13. §. 3. *pag.* 228., qui copiose in primis ostendit, praesidium hoc, quod Princeps ecclesiasticis legibus praestat, non ad jus publicum ecclesiasticum, uti Febronio, aliisque visum est, sed ad civile esse referendum.

§. XXXIII. Quibus constitutis facile est judicare, defensionem, seu tuitionem Ecclesiae, ejusque Canonum, quam Princeps ei tribuit, nihil aliud esse, quam munus nobile, et praeclarum, quo ipse fungi debet, ut omni ope tueatur Ecclesiam, cujus est filius, eique auctoritate, qua pollet,

opituletur. Et certe Ecclesia ab his tantum, quos tamquam filios sibi opem laturos perspicit, auxilium postulat, non ab iis, quos minime filiorum nomine honorat, et cum quibus nulla ei communio est. Quod autem Christiano Principi officium, Ecclesiae beneficium, ac privilegium est; idque ipsi detrimentum esset, si ea de causa subjiceretur Potestati, cui a Christo Domino subjecta non fuit (1). Recentiori tamen aetate visum est quibusdam, latius posse explicari, atque ad res Ecclesiae produci laicorum jurisdictionem, invento novo genere appellationis, quam vocant *ad abusu*, cujus gratia negocium aliquod ab ecclesiastico judice transfertur ad saecularem propter abusum, quem ille in jurisdictione exercenda fertur admisisse (2). Sed quae paulo ante de ecclesiastica jurisdictione diximus, ostendunt, quo hujusmodi appellationes habendae sint loco. Scilicet si negocium ecclesiasticum est, atque Ecclesiae judicio reservatum, irrita est omnis appellatio ad laicos, quibus nulla est in res Ecclesiae potestas, et jurisdictio. Si quis finem modumque transierit, quem, integra canonum disciplina, diligenter servare, ac retinere oportebat, suaque auctoritate abusus fuerit, sui sunt ab Ecclesia constituti Magistratus, quorum est videre, ne quid tale accidat, et omnes, si qui sunt, hujusmodi abusus removere (3). Quod si ab Ecclesiastico Judice de re, in quam civilis quoque Magistratus suam exercere jurisdictionem potest jure legitimo, latum est judicium, recte quidem dabitur appellatio, sed ea dabitur propter sententiae injustiatim, non propter abusum jurisdictionis (4). Qua in re ille, quem Jus constituit, retinendus est ordo appellationis. Abusus jurisdictionis tum ab ecclesiastico, tum a laico admitti potest, cum alteruter sese infert, et intrudit in ea quae suae non sunt. Tunc autem quid opus est appellatione, quae proprie eo sit vocanda nomine cum ipso jure irritum sit quidquid ab alterutro sine jurisdictione gestum est?

(1) Consule Bianchium *Della potestà e della polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. *num.* 5. *tom.* 4. *pag.* 410.

(2) Harum appellationem, quae *ab abusu* dicuntur, origo XV. saeculo antiquior non est, uti ostendunt Alteserra *Ecclesiast. Jurisd. vindic. lib.* 8. *cap.* 8. *pag.* 296. *seqq.*, et Auctor libri *de l'autorite des deux puissances par.* 3. *chap.* 5. §. 5. *tom.* 3. *pag* 252. *seqq.* Ipse Petrus de Marca *de*

Concord. Sacerdot. et Imper. in prim. praefat. seu prolegom. num. 8. *pag. XXIX.* fatetur:, *harum appellationem formulam esse novitiam*, sed tamen appellatione ipsas ad regiam tuitionem referendas putat. Verum regia tuitio, uti demonstratum est, hoc tantum efficit, ut Rex Ecclesiae canones, sua quoque adhibita potestate, ab omnibus observandos curet, non ut de ipsorum vi, et auctoritate judicium ferat. Quod etiam fatetur de Marca *ibid. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 2. *pag.* 173., cum ait,, Maxime vero cavere de- » bent Judices, ne patrocinium ultra, quam par sit, in detrimentum ec- » clesiastirae jurisdictionis proferant. Quod varie accidere potest, scilicet, » si non solum se canonum exactores praestent, sed etiam executores; idest » si pronuntiantes de abusu admisso, eo gradu non haereant, sed etiam de negotio ecclesiastico judicium ferant ,,. sed nisi quis canonum vim, auctoritatemque cognoscat, ac de ea judicium ferat, quomodo judicare potest, num aliquis contra canones abusus irrepserit? Et qui vel adesse, vel abesse hunc abusum judicat, nonne fit canonum *executor*, quod officium de Marca ad laicum hominem negat pertinere? Verum de his appellationibus alius erit in decursu hujus operis agendi locus. Confer interim librum *Rendete a Cesare ciò, che è di Cesare, ma si a Dio rendete quel che è di Dio* §. 23. *pag.* 232. *seqq.*, ubi de illarum origine, ac natura copiose disseritur.

(3) Vide-sis Bianchium *loc. cit. num.* 10. *pag.* 422., Charlasium *de Libert. Gallican. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 7., Thomassinum *Nov. et Vet. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 92. *num.* 14. *tom.* 2. *pag.* 486. *seq.*, Roncagliam *animadvers. in Natalem Alexandrum dissert.* 21. *Histor. Eccles. IV. saec.* §. 1. *seqq. tom.* 4. *pag.* 422. *seqq.*

(4) Videndus Alteserra *loc. cit. cap.* 9. *pag.* 300., et Auctor libri *de l'autorité des deux puissances loc. cit. pag.* 257. *seqq.*

DE ECCLESIAE CANONE

CAPUT XIII.

I. Ecclesiae canones.
II. Traditio, et Scriptura.
III. Regula credendi, et agendi, alteram hanc comprehendit Jus Canonicum.

§. I.

Hactenus de Ecclesiae institutioue, natura, potestate, deque ejus regendae ratione, ac Magistratibus, sive rectoribus a Christo constitutis disseruimus; nunc rerum ordo postulat, nt de legibus, quae pro recta omnium administratione ab ea sunt latae, disputemus. Neque enim ambigi potest, quin Ecclesia, cui summa in rebus sacris, atque divinis a Christo Servatore concessa potestas est, iis de rebus leges condere non potuerit solum, sed etiam debuerit, ut bene, atque ordine hominum societas regeretur. Jam vero Ecclesiae leges canones appellantur. Proprie canon est regula, quae rectum ab obliquo, et curvo discernit (1); atque ab ejus similitudine nomen invenit quidquid nobis certa regula, ac norma esse debet. Hinc antiqui Patres, atque etiam Apostolus *canonem*, seu *regulam* vocant doctrinam in verbo Dei traditam, aut Sacris Bibliis comprehensam (2); et hinc Ecclesia suis quoque constitutionibus canonis nomen attribuit. Alii hoc vocabulum ab Ecclesia usurpatum putant, quod ea suis decretis, quae omnia sunt plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis, minime convenire intelligeret imperiosum legis nomen, quod violentam continet corporis coercitionem; alii vero, quod cum legis vocabulum apud Hebraeos legi Mosaicae plane haereret, visum est alio nomine appellare constitutiones Ecclesiae, quae Sinagogae succedebat, et in quam per Christum translatum fuerat Sacerdotium. Mihi rem omnem explicare, atque aperire videtur ipsa vocabuli significatio. Cum enim Ecclesiae decreta rectam et credendi, et agendi regulam, seu normam contineant, merito dicuntur canoues, seu regulae, ad quas omnia dirigenda sunt.

(1) Confer Svicerum *Thesaur. Eccles. verb.* Κανών.

(2) Apostolus *ad Galat. cap. VI. vers.* 16. *et ad Philippen. cap. III. vers.* 16., Chrysostomus *in ep. ad Philippen. Homil.* 12. *num.* 2. *tom.* 11. *opp. pag.* 193., *in et Genesim. homil.* 58. *num.* 3. *tom.* 4. *pag.* 566., Clemens Alexandrinus *Stromat.* 6. *tom.* 2. *pag.* 803. *edit. Venet.* 1757., Isidorus Pelusiota *lib.* 4. *ep.* 114. *pag.* 318. *edit. Venet.* 1745. Sunt et aliae hujus vocabuli significationes, quas describunt ipse Svicerus *loc. cit.* et Du-Cangius *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. canon. et conones.*

§. II. Initio tantum verbum traditum canone comprehendebatur; ac sane Christus Evangelium docuit, sed nihil scripto mandavit (1), misitque Apostolos in orbem universum, data iis lege, ut Evangelium praedicarent, non autem ut aliquid scriberent. Hinc quae ipsi a Christo ore acceperant, ea similiter ore gentibus tradiderunt, quaeque ipsi tradiderant retinenda, servandaque curarunt diligenter (2). Itaque dicendum est, primos illos Christianos, qui recenti tempore fidem susceperant, non aliam agnovisse credendi, et agendi regulam, quam quae ipsis ore nuntiata erat, ac signis praecipue comprobata. Sed postea, data occasione, sese operae pretium facturos putarunt Apostoli, si etiam ad scribendum animum adjicerent, atque ita Evangelium, ac ceteri, qui *canonici* vocantur, novi testamenti libri conscripti sunt. Haud tamen ipsi his libris universam Christianae Religionis doctrinam complecti voluerunt. Nam Matthaeus Evangelium scripsit, ut Judaeis, qui Hierosolymis morabantur, traditae fidei monumentum relinqueret, cum ab eis esset discessurus (3); Marcus, ut morem gereret illis, qui vehementer cupiebant mandari literis doctrinam, quam a Petro audiverant (4); Lucas, ut audaciam, erroresque repelleret eorum, qui alia omnia docebant, ac quae Paulus, ceterique Apostoli docuerant (5); Joannes denique, Asiae Episcopis auctoribus, ut contra Cerinthum; et Ebionem Christi divinitatem ostenderet (6). Idem quoque dictum sit tum de libris Actum Apostolorum, quos literis mandavit Lucas Pauli comes, et auditor, ut Ecclesiae incunabulo, fidemque ab Apostolis propagatam describeret, tum de ceteris canonicis epistolis, quibus vel Fideles adversus gliscentes haereses muniuntur, atque firmantur (7); vel ad certa quaedam fidei capita accuratius informantur (8), vel

a domesticis turbis, atque dissidiis removentur (9), vel denique ad propria munera rite obeunda, atque ad fovendam caritatem, fidemque servandam excitantur (10). Hinc intelligimus, quanta sit auctoritas, ac necessitas traditionis, cum multa sint Christianae Religionis capita, quae scripto mandata non sunt, sed tantum Majorum nostrorum voce, et consensu tradita ad nos pervenerunt. Sed ea de re alius erit agendi locus.

(1) Hieronymus *in Ezechiel. lib.* 13. *cap.* 44. *opp. tom.* 5. *col.* 555. » Salvator, *inquit*, nullum volumen doctrinae suae proprium dereliquit, » quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt „. Narrat autem Eusebius *Histor. Eccles lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 36. Abgarum Edessenorum Regem literas ad Christum dedisse, ipsumque alias ab eodem Christo accepisse, quas et ibidem refert. Verum hae literae omnium intelligentium hominum judicio commentitiae habentur; quod multis ostendit Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 3. *tom.* 1. *pag.* 68. *edit. Venet.* 1776., et Ceillierus *Histoire General. des Auteurs Sacrés et Ecclesiast. l. v.* 3. *chap.* 2. *art.* 1. *tom.* 1. *pag.* 474. *seqq. edit. Paris.* 1729. Alios quoque libros, quibus arcana continentur miraculorum per magiam edendorum, olim Ethnici Christo adscribebant, quos merito ridet Augustinus *de consens. Evangelist. lib.* 1. *cap.* 9. *opp tom.* 4. *col.* 9.

(2) Itaque Apostolus eum in rebus compluribus ad fidem spectantibus Corinthios voce instituisset, eos praesertim laudat, quod tradita retinerent *I. ad Corinth. cap. XI. vers.* 2. „ Laudo autem vos fratres, quod per » omnia memores mei estis: et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis „. Et paulo post ea recolens, quae de Christi corporis sacramento docuerat, ait *vers.* 23. „ Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis „. Et ad Timotheum scribens habet haec *II. ad Timoth. cap. III. vers.* 14. „ Tu » vero permane in iis, quae didicisti, et tradita sunt tibi „ et ad eumdem Timotheum *I. cap. XI. vers.* 20. „ O Timothee depositum custodi „ quem in locum videndus Vicentius Lirinensis *Commonitor. cap.* 27. apud Card. Thomasium *Theolog. Instit. tom.* 1. *pag.* 141. *edit. Romae* 1769.

(3) Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 103. „ Soli nihilomi- » nus ex cunctis, *inquit*, Domini discipulis Mattheeus, et Joannes scripta » nobis rerum commentarios reliquerunt. Quos quidem necessitate quadam » ad scribendum impulsos fuisse perhibent. Nam Matthaeus cum Hebraeis » fidem primum praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus » Evangelium suum patrio sermone conscribens etc. „

(4) Eusebius *ib. lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 59. » Tantus autem, *inquit*, ve- » ritati fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut pa- » rum haberent, semel audisse, nec contenti essent caelestis verbi doctri- » nam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse, sed Marcum Petri se- » ctatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent, ut doctri- » nae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud » se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, au- » ctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii » extitissent ».

(5) Eusebius *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 104.„ Lucas, *inquit*, in ipso Evangelii sui exordio, quae scribendi sibi causa esset, exposuit. „ Ait enim multos temere, atque imprudenter aggressos fuisse narrationem „ earum rerum, quas ipse exploratas haberet: ac proinde se necessitate „ adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam, ac fi- „ delissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex „ Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hau- „ serat, Evangelio suo tradidisse „.

(6) Quare ipse Joannes *cap. XX. vers.* 31. „ Haec autem, *inquit*, scri- „ pta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei „. Confer eumdem Eusebium *loc. cit.*

(7) Hujusmodi sunt Ephesii, et Colossenses, qui a Paulo, Christiani Ponti, et Bythiniae, qui a Petro, Judaei in dispersione degentes, qui a Jacobo circa emergentes haereses monita acceperunt.

(8) Romani ea, quae ad justificationem, Hebraei, quae ad Christi Sacerdotium pertinent, a Paulo docentur.

(9) Huc spectant duae ad Corinthios Epistolae.

(10) Huc referuntur epistolae, quae a Paulo ad Timotheum, ad Titum, atque ad alios datae sunt.

§. III. Canon et credendi, et agendi regulam complectitur, cum hominem in terris degentem duo maxime deceant et de Deo digna sentire, et de eo digna similiter agere (1). Quod ut homines recte praestarent, Deus in nova lege nobis per filium suum unigenitum loquutus est. Quae Divinus Praeceptor Apostolis, Apostoli ipsi verbo sive tradito, sive scripto ceteris credenda tradiderunt, eaque omnia ad fidem pertinent; quae facienda praescripserunt, ad mores, atque ad disciplinam referenda sunt; ut scilicet actiones ad Evangelii praecepta componantur, atque in Ecclesia sit externa gubernatio, qua regatur societas Christianorum. Utramque regulam et credendi, et agendi comprehendit Theologia; sed Jus Canonicum de iis praesertim agit, quae disciplinam, moresque respiciunt; quo etiam spectat pars illa Theologiae, quam *moralem* appellamus. Ex illis autem legibus, quibus constat Jus Canonicum, partim ex divino, partim ex humano jure procedunt, quodque in eo continetur ex parte scriptum est, ex parte vero non scriptum.

(1) Hinc Hormisdas Summus Pontifex in Formula subscriptionis fidei, quam ad Orientales subscribendam misit apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 582., ita exorsus est.» Prima salus est, regulam rectae fidei » custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare ». Et Nicolaus I. *respon. ad Consult, Bulgar.* apud eumdem Labbaeum *tom.* 9. *Concil. col.* 1534. » In fide, *inquit*, et bonis operibus lex Christianorum subsistit „.

DE JURE DIVINO

CAPUT XIV.

I. Jus divinum naturale, et positivum.
II. Amor in Deum, et in homines.
III. Jus gentium.
IV. Eo jure omnes obstringuntur.
V. Jus positivum, et supernaturale; continetur libris SS. Scripturarum.
VI. Horum librorum divina auctoritas.
VII. Idiomata SS. Scripturarum, earumque versiones.
VIII. In veteri testamento praecepta moralia, caeremonialia, judicialia; duo haec postremo Christi adventu sublata sunt.
IX. Moralia praecepta in nova lege a Christo Servatore confirmata.

§. I.

Jus Divinum a Deo ipso procedit, idque vel *naturale*, vel *supernaturale*, et *positivum* est. Naturale per rectam rationem datum est a Deo, qui in omnium animis impressit regulas justi, et injusti, ad quas omnes natura ducimur, et quibus perpetuo adhaereremus, nisi abstraheremur vitiis, pravisque cupiditatibus (1). Quidquid hoc jure prohibetur, malum est per sese, quidquid jubetur, bonum; proinde jus naturae mutari non potest. Quod si aliqua interdum fit mutatio in rebus, quae ad Jus naturae pertinent, ea res ipsas attingit, de quibus jus est constitutum, non ipsum jus, quod semper firmum immotumque esse debet. Ita homini vitam adimere homicidium est, et est furtum res alienas subripere, quae vocabula vitium, et crimen continent; verum si Deo jubente et vita impio, et avaro bona auferantur, neque homicidium, neque furtum erit; quoniam haec Dei consilio fiunt, qui vitae auctor, ac dominus rerum omnium est. Hinc, ut Scholastici loquuntur, quidam actus ita jure naturae sunt vetiti, ut honestari numquam plane possint, uti sunt mendacium, perjurium, prava in Deum, aut homines voluntas, aliaque his similia; quidam contra sunt, qui aliquando vitiosi esse desinunt, uti furtum, homicidium, cetera generis ejusdem. Qua quidem ratione haud vitia permittuntur, sed potius quae vitia essent, non amplius crimi-

num, ac vitiorum habentur loco; atque ita non lex, sed legis materia, jurisque objectum, non forma mutatur.

(1) Cicero *de Legib. lib.* 2. *num.* 4. *tom.* 3. *pag.* 189. *edit. Oliveti Genevae* 1743. Haec lex, *inquit*, est » ratio profecta a rerum natura, et » ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans: quae non tum de- » nique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est; orta » autem simul est cum lege divina ». Nemo hinc, qui peccat adversus juris naturae praecepta communiter cognita excusare se potest juris ignoratione, ut ait Apostolus *ad Roman. cap. II. vers.* 14. *et* 15.

§. II. Fundamentum ejusdem juris est ordinatus amor erga Deum, nosmetipsos, ceteros homines; unde profluunt officia omnia naturalis ordinis, quibus tenetur hominum genus, et quae vel justitiae sunt, sive *absoluta* et *perfecta*, vel humanitatis, et beneficentiae, sive *imperfecta*; vel interdum justitiae, interdum beneficentiae, uti res ipsa sese offert, quae *hypothetica* appellantur. Notionem Dei rerum omnium effectoris, immortalis, praepotentis, cuncta regentis, providentis, cogitantis, animadvertentis in hominum animis impressit ipsa natura, neque fieri potest, ut qui semetipsum considerat, non cognoscat, primum illum parentem omnium ab Ente necessario, aeterno, creatore cunctarum rerum fuisse procreatum. Hinc omnes intelligunt, qua pietate, obsequio, religione colendus sit Deus, qui nos creavit, qui omnium opifex, aedificatorque est, a quo commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, nobis datum, atque impartitum videmus. Quare primum Juris naturae praeceptum est, ut Deum prae omnibus diligamus, eumque cultu interno, et externo veneremur. Proximum est praeceptum, quo alios homines tamquam nosmetipsos diligere, ac suum unicuique tribuere debemus, atque alteri, nostri etiam commodi causa, nocere prohibemur.

III. Ex jure naturae efficitur Jus Gentium, quod ipsum est jus naturae, quo reguntur homines societati conjuncti. Hoc tantum inter jus utrumque discrimen est, quod purum, simplexque jus naturae officia complectitur, quae homini ab homine in statu naturali debentur; jure autem gentium naturalia comprehenduntur officia gentium in gentes, quae in

civitates; resque publicas, nationesque, et regna convenerunt. Itaque probari non potest jus illud gentium positivum, et voluntarium, quod a quibusdam excogitatum est (1), quodque repetitur ex pactis, et conventis populorum. Erit quidem hoc jus proprium earum gentium, a quibus sancitum est; sed certe universale non erit, ita ut omnes, quotquot sunt, homines adstringat. Ac fieri profecto non potest, ut omnes omnino Principes, ac populi toto orbe diffusi in re aliqua, quae juris naturae non sit, statuenda, vel praescribenda consentiant; cum vix omnes consenserint vel in praecipuis juris naturae praeceptis, sine quibus nulla hominum societas integra esse potest. Dissimilitudo morum, consuetudinum, civitatum, regionum varietatem juris habet maximam, hominesque dissociat, ideoque extra jus naturae, jus aliud esse non potest universale, in quod omnes populi uno animorum consensu conspiraverint (2). Itaque commercia, jura belli, et Legatorum, cetera similia ad Jus naturale gentium, non ad aliquod jus positivum, et voluntarium referenda sunt. Rerum autem privata dominia facto hominum inducta sunt, quoniam societatis commodum, atque tranquillitas postulavit, ut talia fierent aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello politi sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte. Hinc rerum ab se acquisitarum unusquisque dominus evasit; et quemadmodum jure naturae sancitum est, ut neminem laedamus, ita eodem jure traducto ad commoda societatis, quod est jus gentium, cautum est, ut injuria rem alienam non occupemus.

(1) Jus hoc gentium voluntarium agnoverunt Hugo Grotius *de Jur. bell: et pac. lib.* 1. *cap.* 1. §. 14. *tom.* 1. *pag.* 56. *edit Basil.* 1746. Joannes Seldenus *Mar. claus. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 6. *tom.* 4. apud Coccejum *Grotius Illustrat. tom.* 4. *edit. Wratislav.* 1752., Leibnitius *in praefat. ad Cod. Jur. Gent. Diplom.* §. *praeter aeterna edit. Hannover.* 1693. aliique.

(2) Late ea de re disputant Finettus *de princip. jur. natur. lib.* 12. *cap.* 4. *tom.* 2. *pag.* 283. *seqq. edit. Venet.* 1764., Innoc. Lirutius *Apparat. ad jurispr. eccles. tom.* 1. *lib.* 1. *dissert.* . *pag.* 50. *seqq. edit. Patav.* 1793. Quod etiam antea tradiderunt Pufendorffius *de jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 3. §. 23. *tom.* 1. *pag.* 164. *seqq. edit. Francofurt.* 1759., Heineccius *elem. jur. natur. et gent. lib.* 1. *cap.* 1. §. 21. *et* 22. *opp. tom.* 8. *pag.* 8. *edit. Neapol.* 1759., Vattel *le Droit des Gens lib.* 1. *num.* 88., Cujacius *in lib.* 2. *Cod. tit.* 3. *de pact. opp. tom.* 9. *col.* 50. *edit. Venet.* 1758.

§. IV. Quod si jus gentium idem est ac jus naturae, consequens est, ut omnes homines nullo discrimine eo teneantur, tum privati, tum Principes, qui summo potiuntur imperio, gentesque omnes, et civitates. Itaque in jus naturae, aut gentium pari modo peccant et privati, et Principes, atque integrae nationes, quae rem alienam occupant, quae aliis gentibus damnum inferunt, quae bellum injustum movent, aut aliquid agunt eorum, quae eodem jure fieri prohibentur. Revera Juris gentium, ac naturalis auctor est Deus, qui universum humanum genus iisdem legibus subjectum esse voluit, ideoque penes omnes homines utriusque juris sancta, et inviolata auctoritas esse debet. Itaque vehementer errant, qui majores societates, veluti Respublicas, et Imperia, juris naturae legibus solutas putant, atque omnia, quae utilia sunt, Imperantibus justa esse arbitrantur (1).

(1) Sic Burlamaquius *Elem. Jur. natur. par.* 2. *cap.* 6. §. 10. *pag.* 204. *et* 205. *edit. Genev.* 1754., Heinheccius *Elem. Jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 1. §. 21. *opp. tom.* 8. *pag.* 157., Finettus *Princip. jur. natur. lib.* 12. *cap.* 3. *tom.* 2. *pag.* 280.

§. V. Jus positivum, et supernaturale a Deo traditum est, quoniam homines ope tantum rationis illud assequi, ac tenere non poterant. Hoc jus sapientissime a Deo datum est humano generi, quod sine eo cognitas, atque exploratas habere non potuisset veritates, quae sunt ad aeternam salutem necessariae; hoc idem Deus edocuit Adam; et hoc etiam in lege naturae Prophetae viva voce hominibus tradiderunt. Se labentibus annis, quod multo post diluvium evenit, neglecta majorum traditione, uti supra narravimus, magnis sese homines implicuerunt vitiis, et erroribus, Deique veri cultu posthabito, turbam illam inanium, fictorumque Deorum venerati sunt. Ut tantis humani generis miseriis, et calamitatibus opem ferret Deus, scripto dedit Moysi in veteri Testamento leges, quibus hominum in eumdem Deum, atque in alios homines officia explicavit. Hae leges, quae sunt praecepta Decalogi, Christus Dominus in novo Testamento confirmavit; et utroque sane, veteri scilicet, ac novo Testamento, comprehenditur Jus Divinum, quod nimirum ab expres-

sa Dei voluntate procedit, quodque Ecclesiae traditione explicatur. Nam ejus tantum est de vero, ac germano sacrarum Scripturarum sensu judicare, neque cuiquam licet eas explicare suo arbitratu, atque ad suos sensus contorquere (1). Veteris Testamenti libri *quadraginta quinque* numerantur, novi *viginti septem*; qui licet divino afflante Spiritu scripti fuerint, eosque tales habuerit perpetua traditio, semper quidem sacri, non tamen semper omnes canonici habiti sunt (2). Nam de quibusdam aliquamdiu ab aliquibus dubitatum est. Sed re a Tridentina Synodo quaesita, et expensa diligenter, excussaque Traditione, scriptisque SS. Patrum merito definitum est, universos ad divinorum librorum canonem pertinere (3). Quare Scripturarum libri duplicis generis esse dicuntur. Alii nimirum sunt *Proto-Canonici*, quorum fides, et auctoritas numquam in discrimen revocata est, quique principio in Hebraeorum canone referebantur; alii vero *Deutero-Canonici*, quos quidam initio vel non divinitus inspiratos, vel aliqua ex parte vitiatos putabant, sed qui nunc ab Ecclesia, cujus in re certum est, ac falli nescium judicium, in Canonem relati sunt (4).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 4. *in Decret. de edition.* et *us. sacr. libror.*

(2) Hujusmodi sunt in veteri testamento libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch, epistola Jeremiae, duoque Machabaeorum. In novo autem testamento quaestio ferme eadem existit de epistola Pauli ad Hebraeos, de epistola Jacobi, de secunda Petri, duabusque posterioribus Joannis, de epistola Judae, de libro Apocalypsis, praeterea de paucis singularibus quorumdam librorum locis. Confer Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 2. *cap.* 5. *et seq. pag.* 17. *et seq. edit. Patav.* 1727., et Doujatum *praenot. canon. lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 27. *et seqq. edit. Venet.* 1735.

(3) Concilium Tridentinum *sess. in decret. de canon. scriptur.*

(4) Vide-sis S. Irenaeum *contr. haeres. lib.* 2. *cap.* 2. *seqq. tom.* 1. *pag.* 174. *seqq.*, et S. Augustinum *de doctrin. christian. lib.* 2. *cap.* 8. *opp. tom.* 3. *col.* 30. *et contr. Faustum lib.* 13. *cap.* 4. *et lib.* 28. *cap.* 2. *et* 4. *col.* 304. 527. *et* 528. Est etiam ejusdem Augustini omnium sermone trita sententia *contr. epist. Manichaei cap.* 5. *tom.* 10. *col.* 184. » Ego » vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret » auctoritas ».

§. VI. Re igitur ab Ecclesia definita, eadem cunctis esse debet divina auctoritas librorum omnium S. Scripturae, qui

ab illa inter canonicos numerantur. Neque in iis tantum, quae fidem, moresque respiciunt S. Scripturae universim divina constant auctoritate, sed singulae ejus particulae, ac non modo graviora, verum etiam quae sunt levioris momenti Spiritu Sancto assistente scripta sunt (1). Nam si in sacro quovis libro aliqua falsitas reperiatur, totius sane libri fides, et veritas in discrimen revocari posset. Itaque sacrorum librorum labefactaretur auctoritas; quo uno argumento satis demonstratum putat Augustinus (2), omnem a Prophetarum, et Apostolorum scriptis abesse falsitatem non solum eam, quae mentiendo promitur, sed et eam, quae obliviscendo. Accedit, quod si in rebus levioribus falsitas aliqua inesse credatur, facile cuique liceret res vel leves, vel graves suo arbitratu, ingenioque aestimare, atque ita dubiae, et incertae fieri possent etiam res gravissimae, quae sacris literis continentur.

(1) Consule Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 2. *cap.* 17. *pag.* 73. *edit. mox indic.*

(2) S. Augustinus *de consens. Evangelist. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 29. *tom.* 4. *opp. col.* 57., quem vide etiam *epist.* 82. *ad Hieronym. num.* 3. 21. *et* 24. *opp. tom.* 2. *col.* 251. 252. 262. *seq.*

§. VII. Non uno omnes idiomate sacrae Scripturae libri scripti sunt. Vetus testamentum, si Danielem, Tobiam, Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, Judith, et I. Machabaeorum librum, qui Chaldaice, et horum alterum, qui Graece, totum Hebraice primum editum est. Novum autem (praeter Matthaei Evangelium, quod Hebraice (1), vel Syriace a multis creditur exaratum (2), Graece scriptum fuisse fertur. Plures exinde versiones confectae sunt. Inter Latinas, quae plures numero sunt (3), principem locum obtinet *vulgata*, cujus omnia, quae ad Vetus Testamentum pertinent, ab Hieronymo ex Hebraeo exemplari elaborata sunt, exceptis tamen libris Psalmorum, Job, Ecclesiastae, et Proverbiorum, qui ex Graeca versione Latine redditi sunt; quae vero ad Novum, castigata sunt ad Graecum Textum, cum jam ante ipsius aetatem antiquior quaedam Latina *Itala* versio in Occidente obtineret (4). Vulgata, qua nunc utimur, eadem fere est ac versio Hieronymi, sed non ubique

eadem omnino; neque ipse Hieronymus in Latinum sermonem convertit libros Sapientiae, Ecclesiastici, et Machabaeorum, quorum tunc auctoritas, fidesque satis explorata non erat. Atque haec versio est, *vulgata* scilicet, qua utimur, quaeque pro authentica habenda est (5). Ex Graecis autem versionibus, quae similiter multae sunt (6), ceteris illustrior est versio, quae *septuaginta* appellatur, quamque duo, et septuaginta Seniores Judaei jussu Ptolomaei Philadelphi Aegyptiorum Regis ab Eleazaro Judaeorum Pontifice ad eum missi ediderunt, quique non solum Pentatheucum, ut quibusdam visum est, sed omnes proto-canonicos Hebraeorum libros in Graecum sermonem converterunt.

(1) Sic Hieronymus *in proaem Comment. super Matthaeum ad Euseb. Cremonen. opp. tom. 7. col.* 3. *et de Scriptor. Ecclesiast. tom.* 2. *col.* 833. *et in praefat. Evangel. ad Damasum P. tom.* 10. *col.* 661. Vallarsius tamen in notis ad Hieronymum *de viris illustr. in Matth. opp. tom.* 2. *col.* 834. *et in cit. praefat.*, aliique etiam Matthaei Evangelium graece conscriptum putant. Illud traditum quoque est ab Eusebio *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 103. ab Irenaeo *lib.* 3. *cap.* 1. *contr. haeres. tom.* 1. *pag.* 174. ab Augustino *de consens. Evangelist. lib.* 2. *cap.* 66. *num.* 128. *opp. tom.* 4. *col.* 109., aliisque compluribus.

(2) Hebraici, vel patrii sermonis nomine haud immerito intelligi potest lingua Syriaca, qua Hebraei Christi aetate utebantur. Illi enim Hebraicum sermonem, quo veteres Patriarchae usi fuerunt, usque ad captivitatem Babylonicam retinuerunt: sed cum Babylone morarentur, patrii sermonis oblivisci, et Chaldaicam linguam sensim arripere caeperunt: atque ita orta est tertia lingua ex Hebraica antiqua, et Chaldaica mixta, quae a regione Syriaca dicta est, quaeque deinceps Hebraeis vulgaris esse caepit. Itaque cum dicimus Matthaei Evangelium Hebraice fuisse conscriptum, recte intelligitur Syriace, cum mixta illa lingua ex Hebraico, et Chaldaico sermone confecta, Hebraice sive Syriaca appellaretur. Confer quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 3. §. 56. *not.* 2. *pag.* 107. *et* 108. *tom.* 2.

(3) Augustinus *de doctr. Christ. lib.* 2. *cap.* 11. *tom.* 3. *col.* 32. de his Latinis versionibus scribit haec. » Qui enim Scripturas ex hebraea lin» gua in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes » nullo modo ».

(4) S. Hieronymus bis testamentum vetus latine reddidit. Primam versionem absolvit ex graeco septuaginta, sicuti ipse testatur *contr. Ruffin. lib.* 2. *num.* 24. *et lib.* 3. *num.* 25. *opp. tom.* 2. *col.* 518. *et* 555. *et* 71. *ad Lucinium num.* 5. *col.* 434. *tom.* 1., deinceps alteram ex Hebraico exemplari ceteris praestantiore exaravit Quid vero in novo testamento factum ab se fuerit, explicat ipse Hieronymus *in cit. praefat. Evangel. ad Damasum.*

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 4. *in decret. de edition. et usu sacror. libror.* Vulgatam post Sixtum V. diligentius emandatam edendam curavit Clemens VIII.

(6). Waltonius in suis ad S. Scripturam prolegomenis novem ejusdem Scripturae graecas versiones extitisse testatur. Prima est versio septuaginta celebrior cunctis; altera Aquilae, qui primum ethnicus fuit, deinde Christianus, postremo Judaeus, quique anno Christi 129. vitae usura fruebatur; tertia Theodotionis secta Ebionitae, sive, ut visum est Epiphanio *lib. de mensur. et ponder. cap. 12 tom 2. pag. 172. edit. Coloniae 1682.*, Marcionistae, qui in exitu secundi saeculi Commodo Imperatore vivebat. Haec versio alicujus ponderis fuit, eamque in Ecclesia lectam fuisse testatur Hieronymus *praefat. in Daniel. tom. 5. col. 619.* Quarta versio est Symmachi Ebionis haeresi infecti, qui Severo Imperatore in exitu secundi, et initio tertii saeculi vitam traducebat. Quintae et sextae versionis ignoti auctores sunt; alteram in urbe Jericho; alteram vero Nicopoli in doliis, in quibus utraque latebat, ab Origene inventam narrant Epiphanius *loc. cit. cap. 18. pag. 174.*, et Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 16. pag. 39.*, quem in locum videndus Valesius *in not.* Septima tribuitur Origeni, non quod ipse Hebraeum textum graece reddiderit, sed potius quia versionem septuaginta corruptam, et depravatam ita emendavit, ut quasi novam fecerit. Octava est S. Luciani Martyris, qui Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus martyrium pertulit. Is novam edidit versionem, emendatis omnibus, quae antea in manus hominum pervenerant. Nona auctorem habet Hesychium alicujus in Aegypto Urbis Episcopum, quem Maximino Imperatore martyrem occubuisse ostendit Eusebius *Histor. Eccles. lib. 8. cap. 13. pag. 346.* Is versionem septuaginta correxit, ac novam in lucem emisit. Hanc in Aegypto, alteram vero Luciani Martyris in Urbe Antiochena, et Constantinopolitana, Origenis denique versionem in iis provinciis, quae inter illas regiones mediae intercedunt, in usu fuisse testatur Hieronymus *contr. Rufinum lib. 2. num. 27. opp. tom. 2. col. 522.* Praeter has versiones sunt aliae Orientales, Syriaca nimirum, Arabica, Aethyopica, Armena, Persica. Ex illis autem graecis versionibus, quarum supra est facta mentio, una cum Textu Hebraico ea volumina composuit Origenes, quae *tetrapla*, *exapla*, et *octapla* appellantur. *Tetrapla* nihil aliud sunt, quam volumen, in cujus singulis paginis quatuor columnae describuntur, quarum prima continet versionem Aquilae, altera versionem Symmachi, tertia versionem septuaginta Interpretum, quarta versionem Theodotionis. *Exapla* habent in unaquaque pagina columnas sex, quarum in prima describitur textus Hebraicus Hebraicis litteris, altera idem textus litteris Graecis, tertia versio Aquilae, quarta Symmachi, quinta septuaginta Interpretum, sexta Theodotionis. Denique *Octapla* comprehendunt in singulis paginis columnas octo, quarum sex priores eadem habent, quae in *Exaplis* comprehensa diximus; postremae, septima scilicet, et octava, versiones sunt in Urbe Jericho, et Nicopoli repertae. Opus hoc temporum injuria deperditum feliciter restauravit Bernardus Montfauconius e Congregatione S. Mauri. Ita Origenes ceteris facem praetulit in exarandis Bibliis *Polyglottis*, quae scilicet multas continent versiones, easque diversis linguis absolutas. Plures autem hujusmodi Biblia celebrantur. Prima, quae Biblia Complutensis vocatur, edita est an. 1515. a Cardinali Ximenio, eaque continet textum hebraeum, versionem septuaginta, versionem latinam S. Hieronymi, et Targum Onkelos in Pentateucum, seu paraphrasim chaldaicam. Altera curante Aria Montano Antuerpiae impressa est an. 1572. eaque dicitur Biblia regia Philippi II. Hispaniarum Regis, quoniam ab eo necessariae pro edendo opere impensae factae sunt. Habet haec, praeter ea, quae in Biblia Complutensi continentur, paraphrasim chaldaicam veteris testamenti librorum;

praeterea latinam versionem literalem textus hebraici; et antiquam versionem syriacam novi testamenti hebraicis, syriacisque literis scriptam. Tertia est Parisiensis, quae anno 1645, cura, et expensis Lejay publici juris facta est. Complectitur ea, quae in duabus superioribus editionibus referuntur; habet praeterea versionem syriacam, et arabicam. Pentateucum samaritanum cum versione samaritana. Quarta dicitur Anglicana, quae a Waltonio, homine e numero Protestantium, an. 1657. Londini in lucem emissa est. Quaedam habet peculiaria supra ceteras editiones. Nam continet versionem septuaginta excerptam ex Bibliotheca Vaticana, Vulgatam secundum editionem Sixti V., et correctionem Clementis VIII., praeterea versionem syriacam, et arabicam, quae in Biblia Parisiensi desideratur. Ibi etiam describitur Targum Jerosolymitanum; et Targum Jonathan cum versione persica in Pentateucum, tum et alia persica in novum Testamentum. Extant in hac editione prolegomena in universam Scripturam, chronologia, variae lectiones aliarum editionum: eique adjungitur dictionarium septem linguarum, quod tomis duobus constat. Sunt et aliae Polygluttae, de quibus omnibus singillatim dicere longum esset, ac non necessarium. Totum hoc argumentum copiose pertractavit P. Lélong Presbyter Oratorii in libro, cui titulus *discour. sur les Bibl. Polyglot. et leurs edition.* Videndae sunt etiam, praeter Bellarminum *de Scriptor. Ecclesiast.*, Ceillerium *Histoire general. des auteurs sacrés, et ecclesiastiq.*, aliosque, *Bibliothecae sacrae*, altera ejusdem P. Lelong; altera Augustini Calmeti, quae praemissa est *Dictionario Biblico*, ubi omnes recensentur, qui Sacram Scripturam, vel aliquam ejus partem interpretati sunt, aut commentariis illustrarunt. Nec praetereundus Jo. Baptista Faure in libello Romae edito an. 1751. cum titulo *Apparatus brevis ad Theologiam et Jus Canonicum etc.*, cujus pars, quae ad hoc nostrum argumentum pertinet, descripta est tom. 1. *Dionysii Petavii de theolog. dogmat. pag. 26. seqq. edit. Venet.* 1757.

§. VIII. Jamvero in Veteri Testamento alia sunt praecepta moralia, quae ad mores pertinent, alia *caeremonialia*, et *judicialia*, quae caeremonias, legesque praescribunt, ac ritus judiciorum (1). *Judicialia*, et *caeremonialia* praecepta Christi adventu sublata sunt, et si qua adhuc vigent, ea servantur, quod ab Ecclesia recepta sunt, non tamquam Mosaicae Legis reliquiae, sed tamquam Apostolorum, atque Ecclesiae mandata. Nam judicialia praecepta tantum pro Hebraeis lata sunt, ut apud eos illa esset constituta judiciorum ratio; unaquaeque autem gens suam habet peculiarem methodum, qua judicia exercere debet. Jus *caeremoniale* futurorum umbra, atque imago, orto jam Justitiae Sole, evanescere debuit, Christus ipse licet minutos, singularesque ritus non instituerit, quos Ecclesiae constituendos reliquit, praecipuos tamen, et *essentiales* praescripsit, qui adumbrata

exprimerent, et explicarent; sic aqua, et certa verborum formula in Baptismo ablutionem fieri voluit, manuum impositione Ecclesiae Ministros initiari, panem, et vinum secundum Melchisedechi Sacerdotium in Eucharistico Sacrificio adhiberi, aliaque pauca Christus ipse constituit. Ex illis vero caeremonialibus praeceptis Hebraeorum quaedam ab Ecclesia renovata sunt, eaque de causa Christianos etiam obstringunt (2), quaedam neque sunt renovata, neque renovari potuerunt, quoniam nunc mortifera evaserunt. Hujusmodi sunt leges caeremoniales, et *typicae*, uti est circumcisio, et similes, quae tamquam venturi Messiae typi ejus adventu defecerunt (3).

(1) Confer S. Thomam *Sum.* 1. 2. *quaest.* 99. *art.* 1.

(2) Pluribus id ex causis factum est, potissimum quod Ecclesia Apostolorum vestigiis insistens quaedam adoptavit, quae ad rectum Christianae Reipublicae regimen conducere videbantur. Ac multae quidem sunt hujusmodi caeremoniales leges, quarum origo ab Hebraeis repetitur, et huc referenda dedicatio Templorum, Pontificum consecratio, sacrae vestes, thus, lampades, cantus, aliaque similia. Cuncta haec Ecclesia adoptavit, sed tamen alio fine, et alia, quam quae esset in lege veteri, significatione, uti monet Augustinus *cont. Faust. lib.* 20. *cap.* 23. *opp. tom.* 10. *col.* 418. Pertinet etiam ad hunc locum *Cap.* 1. *et seq. de injur. cap.* 1. *et* 2. *de adulter. cap.* 1. *de furtis cap.* 1. *de homicid.*, ubi renovantur poenae, quae sancitae fuerant in Exodo *cap. XXI. et XXII.* contra homicidii, stupri, furti, injuriarum reos.

(3) Vide Amphilochium *orat. in Dominic. Circumcis. in Biblioth. PP. tom.* 5. *pag.* 1060. *edit. Lugdun.*, et Calmetum *de circumcis. effect. inter dissertationes ejus Latinas tom.* 2. *pag.* 187. *seqq. edit. Lucae* 1739. Sane caeremonialia, seu legalia hujusmodi praecepta Christi morte, cum humanae redemptionis mysterium consummatum fuit, intercidisse, satis compertum, exploratumque est, Paulus *ad Colossen. II.* 16., *et ad Hebr. VIII.* 13. Quaesitum tamen est, quo primum tempore eadem praecepta ita sublata fuerint, ut ea non amplius sine peccato servare licuerit. Hieronymus *ep.* 112. *ad Augustin. opp. tom.* 1. *col.* 736. *seqq. edit. Venet.* 1766. duo solum tempora distinguenda existimabat; alterum ante Christi mortem, quo caeremonialia neque erant mortua, neque mortifera cum vim haberent, ac sine crimine servarentur; alterum post Christi mortem, quo quidem tempore tum mortua, tum mortifera evaserunt. Quod si Petrus, Paulus, Jacobus etiam post Christi mortem judaicas caeremonias observarunt, id ab iis factum putat, non quod de iisdem caeremoniis a Christo sublatis dubitarent, sed ne Judaeos ad fidem properantes offenderent. Contra Augustinus *ep.* 82. *ad Hieronym. opp. tom.* 2. *col.* 250. *seqq. edit. indic.* tria distinguit tempora; primum scilicet ante Christi mortem, quo haec caeremonialia praecepta mortua non erant, neque mortifera; alterum, quod Christi mortem sequutum est, antequam Evangelium satis late diffusum, ac propagatum esset; et hoc quidem temporis intervallo eadem

praecepta mortua quidem erant, non tamen mortifera; postremum cum satis diffusum, ac promulgatum Evangelium fuit, et tunc praecepta illa non mortua tantum, sed etiam mortifera evaserunt. Itaque medie illo tempore Apostoli non simulate, sed religiose haec praecepta observarunt, et ideo Paulus circumcidit Timotheum natum ex matre Hebraea, non item Titum, qui ex ethnicis parentibus ortum habuerat. Augustini sententiam sequitur S. Thomas 1. 2. *quaest.* 103. *art.* 4., et in eamdem postea concessisse videtur ipse Hieronymus *contr. Pelagian. lib.* 1. *num.* 22. *col.* 718. *tom.* 2., quod et Augustinus indicat *ep.* 180. *ad Ocean. col.* 826. Confer etiam ipsius Augustini *epist.* 28. *et* 40. *col.* 61. *et* 112.

§. IX. Moralia tamen praecepta perpetuo manent, cum ea sint mandata ipsa juris naturae (1), quae cum vulgo obscurata essent pravis hominum cupiditatibus, Deus ipse restituit, lapideis tabulis a Moyse propositis, quibus ea continebantur. Et vero si certos tollamus dies festos potissimum Dei cultui dicatos, qui lege Mosaica ad Sabbata pertinebant, cetera moralia praecepta Hebraeorum ab ipsis naturae legibus nequaquam differunt. Praecepta haec Christus Dominus in Lege nova explicavit, et confirmavit (2). Non enim praecipua Christianae legis mandata nova sunt vincula novi juris (3), sed vel ipsius juris naturae explanationes sunt (4); vel solida, et divina adjumenta, quibus facilius exequimur, quae sunt ab eo jure constituta (5); vel certi fines, quibus ea praecepta regenda sunt, et quibus ad pristinam integritatem revocantur, quae pravis interpretationibus laxata, et labefactata fuerant (6); vel denique abrogationes eorum, quae Moyses permiserat, ut pervicaces Hebraeos contineret (7).

(1) S. Thomas 1. 2. *quest.* 100. *art.* 1. » Sic igitur, *inquit*, patet, » quod cum moralia praecepta sint de his, quae pertinent ad bonos mo» res, haec autem sunt, quae rationi conveniunt, omne autem rationis » humanae judicium aliqualiter a naturali ratione derivatur, necesse est, » quod omnia praecepta moralia pertineant ad legem naturae; sed diver» simode ».

(2) Atque huc referendum illud Christi apud Matthaeum *cap.* V. *vers.* 17. » Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas; non veni » solvere; sed adimplere . . . . . . jota unum, aut unus apex non prae» teribit a lege ». Hinc Tertullianus *advers. Marcion. cap.* 36. *pag.* 453. » Rescidit ne Christus, *inquit*, priora praecepta non occidendi, non ad» ulterandi, non furandi, non falsum testandi, diligendi patrem, et ma» trem? An et illa servavit, et quod deerat adjecit »? Et Catechismus Romanus *par.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. *de Dei praeceptis* habet haec » certissi-

» mum est non propterea his praeceptis parendum esse, quod per Moy-
» sen data sunt, sed quod omnium animis ingenita, et per Christum Do-
» minum explicata sunt, et confirmata ».

(3) Consulendus prae ceteris est S. Thomas 1. 2. *quaest.* 107., a quo lex vetus cum nova copiose, diligenterque comparatur, atque ostenditur, in quo lex vetus a nova differat, et quomodo haec illam impleverit, atque in altera contineatur. Ait autem *art.* 2. *ibid.* » Lex nova comparatur ad
» veterem, sicut perfectum ad imperfectum. Omne autem perfectum ad-
» implet id, quod imperfecto deest: et secundum hoc lex nova adim-
» plet veterem legem, in quantum supplet illud, quod veteri legi de-
» erat ».

(4) Hujusmodi est praeceptum caritatis erga Deum, et homines, quod vanis, et falsis interdum Hebraeorum traditionibus implicatum Christus Dominus ad rectum finem direxit. Huc etiam spectant pleraeque Evangelii parabolae, quibus Servator noster uti consuevit, ut divinae legis indolem planius explanaret, eamque in hominum animos insinuaret.

(5) Huc referuntur sacramenta a Christo instituta ad virtutes omnes; ac praesertim spem, fidem, caritatem non philosophico supercilio, et fastu, sed christiana humilitate excitandas, firmandas, atque fovendas, quibus veluti quibusdam aliis ad invisibilia futura aeterna animum intendamus.

(6) Sic pristinae integritati a Christo Domino restituta sunt praecepta illa de diligendis parentibus, de non occidendo, de non moechando, de non furando, in quibus observandis Hebraei vehementer a veritate discesserant.

(7) Ita libellus repudii, quem Moyses permiserat ob duritiem cordis Hebraeorum, a Christo sublatus est.

DE JURE HUMANO SCRIPTO

CAPUT XV.

§. I.

Ut a Deo procedit jus divinum, ita humanum ab hominibus, idque vel civile, vel canonicum est. Jus civile a Cajo J. C. definitur (1). „ Jus, quod quisque „ populus sibi constituit, et cujusque civitatis proprium est „. Nam unaquaequae civitas suum habet jus civile peculiare, et ideo tot civilia sunt jura, quot civitates. Verum cum Roma κατ' ἐξοχὴν dicatur *Urbs*, hinc jus a Romanis constitutum κατ' ἐξοχὴν jus civile appellatur. Accedit quod cum Romanus Populus innumeras prope gentes suo subegisset imperio, iis porro jus suum communicavit; atque hoc pacto quemadmodum ex pluribus populis, et civitatibus una veluti gens, unaque civitas facta est, ex iisque omnibus conflatum Romanum imperium, ita quoque abrogatis peculiaribus juribus aliarum gentium, jus Romanum commune omnibus esse coepit; quo factum est, ut jus ipsum, quo totus orbis regebatur, jus civile appellaretur. Sed nobis propositum non est de hoc jure agere; nostra tantum est tractatio eorum, quae ad jus canonicum pertinent.

(1) *Instit. lib. 1. ex tit. de jur. nat. gent. et civ.* apud Schultingium *Jurispr. vet. ante-justinian. tom. 1. pag. 2. edit. Lipsiae* 1737.

§. II. Jus canonicum a canone nomen accepit; dicitur etiam sacrum, et ecclesiasticum, quoniam agit de personis, rebusque sacris, et ecclesiasticis; item quod sacra, sive ecclesiastica potestate sancitum est; praeterea Pontificium, tum quod magna ex parte auctores habet Romanos Pontifices, tum ut a caesareo, seu civili jure distinguatur. Jus hoc constitutum est ab Ecclesia ad Christiani populi institutionem. Illa quidem non aliis regitur, quam sui Sponsi legibus; sed idem Sponsus ab se constitutos Pastores sui Vicarios esse voluit, ut ejus loco Ecclesiam gubernarent. Itaque Christi Vicarii dicuntur quibus ille suas vices commisit, hoc est Apostoli, ac prae ceteris Petrus omnium caput, ac Romanus Pontifex, qui tamquam Petri successor Primatum obtinet, et ideo κατ' ἐξοχὴν Christi Vicarius appellatur. Sunt autem in hoc jure decreta, quae jus Divinum explicant, eaque sunt omnia, quae ad fidem, plurima, quae ad disciplinam, moresque pertinent; et alia sunt, quae ad jus Divinum magis fovendum, regendosque mores Christianorum Ecclesia sancivit. Olim qui Theologus, idem et Juris Canonici peritus erat, neque Theologia ab hujus scientia Juris discernebatur. Qui populis ut Pastor, et Doctor praeerat, eosque debebat ad rem Christianam erudire, utramque et credendi, et agendi regulam edocebat. Sed postea Jus Canonicum a Theologia discerni coepit; haec retinuit utramque provinciam, quae scilicet ad credendum, quaeque ad agendum pertinet; illud sibi maxime proposuit agendi regulam, ejusque periti in hac tractatione, quam in abstractarum rerum consideratione versari maluerunt, Plures autem sunt viri docti, a quibus Jus Canonicum *Teologia Practica*, *et Theologia Rectrix* appellatur. Pertinet hoc jus, uti dicebamus, ad rectam Christiani populi institutionem, quoniam eo solum tenentur, qui per Baptismum inter Ecclesiae filios cooptati sunt. Itaque ejus sunt expertes Hebraei, Ethnici, similes; non ita tamen Haeretici, Schismatici, Apostatae, Excommunicati, qui licet extra Ecclesiam sint, tamen ejus clavibus subjiciuntur, quoniam baptismum susceperunt, ejusque charactherem in animo impressum perpetuo retinent.

§. III. Est autem ut Civile, ita etiam Jus Canonicum ex parte scriptum, ex parte vero non scriptum. Illud praecipue constat Summorum Pontificum constitutionibus, Conciliorum canonibus, et dictis, atque sententiis SS. Patrum. Romanam Ecclesiam matrem, et magistram Ecclesiarum omnium, et Summum Pontificem caput Ecclesiae universae Christus ipse constituit. Quare si quid ab eo decernitur in commune bonum, id tamquam a D. Petro decretum (1), retinendum ab Christianis est, atque apud omnes veritatis loco esse debet. Leges autem ob commune bonum Ecclesiae a Pontifice emittuntur vel nutu ipsius, vel adhibito consilio Cardinalium, et Episcoporum, aut motu proprio, aut aliquo rogante. Quovis modo lata sit Pontificia lex, ea parendi affert necessitatem.

(1) Saepe illud, quod Petrus per suos successores loquitur, apud Concilia, et Patres occurrit. Ita Philippus S. Caelestini Legatus in Concilio Ephesino, probantibus ejusdem Concilii Patribus, dixit haec » Petrus . . . . , . ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus » vivit, et judicium exercet ». Concilium Ephesinum *act.* 3. *tom.* 3. *Concil. Labbaei col.* 1154. *edit Venet. Coleti.* In Concilio Chalcedonensi cum lectae sunt literae a S. Leone ad Flavianum datae, Patres omnes una voce clamarunt, Petrus per Leonem ita locutus est ». Concilium Chalcedonense *act.* 2. *col.* 1235. *tom.* 4. *ibid.* Eadem haec formula usurpatur a Patribus Concilii Constantinopolitani III., *act.* 18. *col.* 1090. *tom.* 7. *ibid.* » Per Agathonem Petrus loquebatur ». Similiter S. Prosper *contr. collat. cap.* 5. *num.* 3. *pag.* 184. *edit. Venet.* 1754. » Sacrosancta, *inquit*, B. Pe- » tri Sedes per universum orbem Papae Zosimi sic ore loquitur » et S. Petrus Chrysologus *in ep. ad Eutichet. pag. XVI. edit. August. Vindelic.* 1758. scribit haec » B. Petrus, qui in propria Sede vivit, et praesidet, » praestat quaerentibus fidei veritatem ». Mitto ceteros, ne longus sim.

§. IV. Vetustiori quidem aetate Romani Pontifices generales regulas plerumque in Conciliis emittere solebant (1); sed saepe etiam peculiares dabant literas ad certas Ecclesias, quae illas ad reliquas mittere debebant, atque ita omnibus communia fiebant mandata, ac leges, quae a Sede Apostolica latae fuerant (2). Quod praesertim fiebat, cum graviora essent negocia, de quibus Summi Pontifices consulti fuerant, quaeque iisdem literis definiebantur (3); et has quidem literas semper Christiani omnes ea, qua par est, reverentia susceperunt. Ge-

nerales sanctiones Pontificum Romanorum comprehensae literis ad Episcopos, Christianosque omnes datis a sigillo, quod conjunctum habent, nunc *Bullae* appellantur (4). Hodie Pontifex si quid pro universa Ecclesia praescribit, aliquando Bulla utitur, aliquando literis *in forma Brevis*, aliquando etiam decreto alicujus Sac. Congregationis Cardinalium, quod ipse probaverit. Eadem est rei gerendae ratio in privatis quoque negociis, quae simili fere modo expediuntur.

(1) Duos unoquoque anno Episcoporum conventus haberi consuevisse, ut de gravioribus rebus ageretur, constat ex Leone M. *ep.* 16. *cap.* 7. *tom.* 1. *col.* 724. Confer etiam Cornelium P. *ad Cyprian. ep.* 49. *inter Cyprian. pag.* 235., et Julium I. *epist. ad Orient.* apud Athanasium *opp. tom.* 3. *pag.* 601.

(2) Multa ea de re scripsi *in Inst. Jur. Canon. in prologomen. cap.* 3. §. 35. *not.* 2. *tom.* 1. *pag.* 31. *edit. Romae* 1792.

(3) Confer easdem Institutiones *loc. cit. not.* 3.

(4) Videndi sunt Du-Cangius *Glossar. med. et infim. latinit. verb. Bulla*, et Doujatus *Praenot. canon. lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 424. *seqq. edit. Venet.* 1735.

§. V. Leges, seu constitutiones Pontificum vel generales sunt, vel speciales, quae scilicet ex certa causa, persona, loco, tempore emissae sunt; hae illos attingunt, pro quibus prodierunt, illae vero ad omnes pertinent universe (1). Generales constitutiones proprie vocantur decreta, et decretales, quae causa diligentius, ac diutius perspecta, et expensa editae sunt; quemadmodum ea, quae a Magistratu causa cognita datur, possessio bonorum, decretalis possessio appellatur (2). Verum dicuntur etiam responsa, ac generali rescriptorum nomine comprehenduntur; quia saepe etiamsi privatam causam respiciant, tamen evulgantur, ut certam in re simili normam, ac regulam praebeant, et vim universalis legis obtineant. Sed proprie rescriptorum nomine nunc appellamus genus illud literarum, quibus Pontifex postulantium gratia aliquid fieri jubet. Atque haec rescripta, quae aliquo rogante emittuntur, eam semper habere censentur tacitam conditionem, modo vera narrata, cunctaque ingenue patefacta sint (3). Quare per subreptionem, aut obreptionem irritum est rescriptum, cum nimirum aliquid falsi narratum est, aut praetermissum veri, quod omni-

no narrare oportebat (4). Sunt autem rescripta vel *justitiae*, quae ad justitiam recte administrandam pertinent, vel *gratiae*, quae ex Principis beneficio, et liberalitate procedunt, atque huc referenda privilegia, quae jus singulare concedunt vel certo homini, vel hominum certo generi, modo ad tempus, uti sunt privilegia personalia, modo in perpetuum, quo spectant privilegia realia, vel quae certo personarum generi perpetuo tribuuntur (5).

(1) *Can* 3. *dist.* 3.

(2) Decretum est, quod causa cognita emittitur *L.* 1. *ff. de offic. adsessor.*, quodque causae cognitionem desiderat. *L.* 1. §. 1. *ff. de offic. Procons.* Sane Theophilus §. 6. *Inst. de jur. nat. gent. et civ.* decretum interpretatur ἀπόφασιν βασιλέως, μεταξὺ δύο μερῶν παρ' αὐτῷ δικαζομένων ἐκφερομένην » Sententiam Principis, inter duas partes, quarum ipse de causa » cognovit, et judicavit, pronunciatam.

(3) *Cap.* 2. *de rescript.*

(4) *Cap.* 6. 8. 10. 20. *de rescript.*, *Cap.* 5. *de offic. Vicar.*

(5) Proprie privilegium est; quod in singulas personas fertur: quia veteres pro *singulis* dicebant *privi*, unde *privatus*, et *privilegium*, quasi *lex de privatis*, *lex de singulis*. Confer A Gellium *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 20. *pag.* 546. *edit. Lugdun. Batav.* 1666., et hoc sensu Cicero *lib.* 3. *de legib. cap.* 19. *pag* 249. *et paradox.* 4. *pag.* 506. *opp. tom.* 3. *edit. Oliveti Genovae* 1743. privilegii vocabulum usurpavit, idque opponitur legi, quae scitum est, et jussum in omnes. Itaque accuratiores a *privilegiis* recte distinguunt *beneficia legis*, cum *generalia*, veluti restitutionis in integrum, inventarii, ordinis, divisionis, tum *specialia* quibusdam hominum generibus, et mulieribus, studiosis, fisco, collegiis, et corporibus data, quae et nonnumquam *jura singularia* appellantur. Non enim haec in privatam personam, sed in certum hominum, aut negociorum genus concipiuntur. Sed jam usu obtinuit apud Jurisconsultos, ut privilegii nomen latius pateat, eoque comprehendantur etiam, quae juris singularis sunt. Consule Cujacium *observ. l.* 15. *c.* 8. *opp. tom.* 3. *col.* 397. *edit. Venet.* 1758., Gravinam *Orig. Jur. lib.* 2. *c.* 74. *pag.* 141. *edit. Neap.* 1722., et librum nostrum *de notis. in jur. legib. lib.* 1. *par.* 34. *edit. Florent.* 1796.

§. VI. Partem alteram juris canonici scripti conficiunt canones Conciliorum. Concilii, vel synodi nomine (eadem quippe res est, et nos tam Latino Concilii, quam Graeco synodi vocabulo sine discrimine utimur) intelligimus conventus Episcoporum, et Sacerdotum, qui unum in locum convenerunt, ut ea definiant, quae ad fidem, atque ad disciplinam pertinent. Jam inde ab Apostolorum aetate existimatum est, bene Ecclesiae futurum, si graviora negocia, si controversiae, disceptationesque componerentur, ac defi-

nirentur ab Episcopis in unum congregatis. Quod non semel fecerunt Apostoli, quos inter se convenisse constat, ut alius sufficeretur Apostolûs Judae proditori, ut eligerentur Diaconi, curarenturque viduae, atque ut Christiani Mosaica lege, et circumcisione soluti declararentur (1). Apostolorum exemplum sequuta Ecclesia saepe Conciliis est usa, cum magna Christianae Reipublicae utilitate.

(1) Actus Apostolorum *cap. I. vers.* 26. *seqq.*

§. VII. Concilia vel oecumenica, aut generalia, vel topica, aut particularia sunt (1). Generalia sunt, quae omnium catholicorum Episcoporum convocatione celebrantur; qua in re quaesitum est a quibusdam, num satis sit generalis convocatio, an etiam necessaria sit omnium congregatio, ita ut non omnibus Episcopis congregatis generale Concilium haberi nequeat. Certe si adeo pauci fuerint congregati, ut major, meliorque provinciarum pars relicta videatur, praesertim si Episcopi justa de causa ad synodum non accesserint, ea profecto non est cur generalis habeatur. Verum si una, et altera item provincia, vel si aliquot Episcopi desint, imo si ex aliquibus etiam magnis regiobus nulli nec per se, nec per legatos adsint, non ideo generale Concilium sui nominis jacturam faciet (2). Ea de causa antiquae generales synodi habitae sunt legitimae, et oecumenicae, licet fere a solis Orientalibus fuerint celebratae; pauci autem, vel fera nulli adfuerint ex Occidentalibus, in quibus tamen semper Romanus Pontifex vel per se, vel per Legatos interfuit.

(1) S. Augustinus *de Baptism. contr. Donatist. lib.* 2. *cap.* 3. *opp. tom.* 12. *col.* 127. *Venet.* 1767. tres Conciliorum species distinguit, nimirum quae per singulas regiones, quae per singulas provincias habentur, quae ex toto orbe congregantur. Quartam addidit speciem Concilium Toletanum IV. *cap.* 3. *tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 1450. mentionem faciens Concilii, quod ex unius regni, aut nationis Episcopis conflatum est.

(3) Consule Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 5. *cap.* 3. *p.* 149. *edit. Patav.* 1723.

§. VIII. Unius Romani Pontificis auctoritate generale Concilium cogendum est; nam ejus indicendi causas co-

gnoscere, omnesque vocare Episcopos ex toto orbe ille unus potest, qui Ecclesiae universae a Christo praepositus est. Quisquis in totam Ecclesiam expers jurisdictionis est, quomodo totam vocare, hoc est indicere synodum generalem potest? Ac plane magnus est error Lutheri, Calvini, Molinaei, Magdeburgensium, aliorumque similium, qui jus convocandi generale Concilium Imperatori attribuunt, eaque de causa rejiciunt Concilium Tridentinum, quod ab illo convocatum non fuit. Non enim Imperatori, sed Petro Ecclesiae Principatus a Christo Domino commissus est, atque huic omnes creditae sunt oves, neque in rebus ecclesiasticis ulla est potestas, et jurisdictio eorum, qui nullam divinitus missionem acceperunt. Atque hoc quidem jus Romani Pontifices semper omnes agnoverunt (1), factoque probatum est, cum omnia oecumenica Concilia, quae post illa antiquissima Orientalia posteriori aetate habita sunt, a solis Romanis Pontificibus convocata fuerint. Quod si antiquiores illae generales Synodi ab Imperatoribus, quorum ditioni olim subjectae erant pene omnes totius Ecclesiae partes, fere indictae fuerunt, id minime factum est ex jure proprio clavium Ecclesiae (2), quae illis nusquam datae sunt, sed ex studio consulendi rebus Ecclesiae, ut generalis Concilii auctoritate omnia tuta, ac tranquilla esse possent, omnisque error depelleretur. Hinc sumptuum subsidium praebebat Imperator, dabatque operam, ut Episcopi ad synodum convenirent; Summus autem Pontifex Imperatoris consilium probabat, et concilii indictioni assentiebatur, mittebatque legatos, qui synodo praeessent, atque ita omnis de legitima convocatione dubitatio tollebatur (3). Sic ex. gr. Chalcedonensis Synodus a Marciano Imperatore, minime consulto Leone M. Pontifice, indicta est; sed cum hic rei certior factus fuit, statim assensus est, legatosque misit, ne optimo Imperatoris consilio adversari videretur.

(1) Consule literas PP. Concilii Constantinopolitani I. ad Damasum apud Theodoretum *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 180. *seqq. edit. Taurin.* 1748.; ceteros, quos laudavi in *Instit. Jur. Canon. in prolegomen. cap.* 3. §. 38. *not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 35. Sed id potissimum Chalcedonenses Patres professi sunt contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, qui Ephesi pro restitutione, et absolutione Entychetis Archimandritae jussu Theo-

dosii Concilium habuerat, quod latrocinium Ephesinum appellatum est. Sic enim inquiunt *Act. I. tom.* 4. *col.* 866. » judicii sui necesse est eum dare » rationem, quia cum personam judicandi non haberet, subripuit, et sy- » nodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae; quod num- » quam licuit: numquam factum est ». Confer testimonia, quae laudat Natalis Alexander *Hist. eccles. saec. IV. dissert.* 11. *art. unic. prop. unic. tom.* 4. *pag.* 358. Merito igitur Leo X. *in Constit. Pater aeternus sess.* 11. *Concilii Lateranen. V.* sacro approbante Concilio edita *tom.* 19. *Concil. Labbaei col.* 967. declaravit » solum Romanum Pontificem pro tempore » existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem . . . . . » conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum » jus, et potestatem habere, nedum ex S. Scripturae testimonio, dictis SS. » Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum . . . . . sacrorumque cano- » num decretis, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione con- » stare ». Videndus est etiam V. Cl. Thomas M. Soldatus Sacr. Indicis Congregationis Secretarius *Exercit. de Rom. Pontif. suprem. potestat c.* 4. §. 3. *pag.* 86. *seqq.*

(2) Valentinianum Episcopis Hellesponti, et Bythiniae veniam cogendae synodi postulantibus, ita respondisse scribit Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 7. *pag.* 209. *edit. Taurin.* 1747. » mihi quidem in laicorum or- » dine constituto fas non est hujusmodi negocia curiosius scrutari. Sacer- » dotes vero, quibus id curae est, seorsim ubicunque voluerint, conve- » niant ». Quem sexto ineunte saeculo imitatus Rex Theodericus, cum schismatici synodum postularent, ut ageretur causa Symmachi Pontificis, qui graviorum criminum reus ferebatur, respondit, synodos ab Ecclesia esse indicendas; non debere Romanae Sedis Antistitem inferiorum subdi judicio; posse synodum convocari, quoniam sibi idem Symmachus de hac re voluntatem suam literis significaverat, quae omnia constant ex actis Concilii Romani III. habiti in causa Symmachi, ex libello apologetico Ennodii Ticinensis *tom.* 5. *Concil. Labbaei col.* 457. Quidquid igitur in Conciliorum convocatione ab Imperatoribus gestum est, pertinet uti diximus, ad officium, quo illi funguntur, defendendae Ecclesiae, sed nullum ipsi in ejus res imperium exercuerunt. Atque eo quidem sensu intelligendus est Socrates *Histor. Eccles. lib.* 5. *in prooem. pag.* 223. *edit. Taurin.* 1747. cum scribit » Ex quo tempore Principes Christiani esse coeperunt, ex illis » pependerunt res ecclesiasticae, et maxime quaeque concilia eorum arbi- » trio tum facta sunt antea, tum hodieque fiunt ». Nam ibi Socrates agit de publica fide, in quam christiana sacra recepta sunt.

(3) Confer Natalem Alexandrum *loc. cit. pag.* 359., Serryum *de Concil. disp.* 4. *praelect.* 1. *tom.* 4. *opp. pag.* 308. *edit.* 1770., Boucat *Teolog. Patrum de Summo Pontif. dissert. un. art.* 6. *tom.* 5. *pag.* 51. *seqq. edit. Venet.* 1765., Bianchium *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 3. §. 9. *tom.* 4. *pag.* 515. *seqq.*

§. IX. Neque solum indicendum a Summo Pontifice sed etiam confirmandum est Concilium (1), eique ipse, per sese, vel per legatos suos praeesse debet (2). Cum enim Concilium Ecclesiam referat universam, ei profecto non alius praesidere potest, quam qui ejus caput, et prin-

ceps divinitus est constitutus. Quod si aliquando etiam Imperatores praefuisse Conciliis proditum memoriae est, id factum fuit non ut ipsi aliquid de religione, aut de rebus Ecclesiae decernerent, sed ut praesentia, et auctoritate sua omnes in officio continerent, quaeque a Patribus sancita fuerant, ab omnibus diligenter observanda curarent (3). Nam omne judicium tantum ad Episcopos pertinet, quique ex eo numero est, cum Capite Ecclesiae conjunctus, tametsi nullos habeat subditos, in quos jurisdictionem exerceat, uti sunt Episcopi, quos *Titulares* vocamus, is tamquam unus ex judicibus sacrarum, divinarumque rerum a Deo constitutus suum habet in oecumenico concilio locum. Jure ecclesiastico suffragium quoque in oecumenis Conciliis ferunt S. R. E. Cardinales, quod quidem in Conciliis Lugdunensibus I. et II. factum fuisse certum est, itemque Moderatores, sive, ut vocant, Generales Ordinum Regularium, et Abbates ab Episcopo benedicti. Principes quoque, et Imperatores uti nunc diximus, Conciliis interesse consueverunt, ut subsidio sint Ecclesiae, et ea quae decreta sunt, per amicam Sacerdotii, et Imperii concordiam exitum habeant expeditiorem. Saepe etiam ad Concilium vocatos constat Presbyteros, et Diaconos, aliosque clericos, praesertim ut adversus haereticos disputarent (4).

(1) Hinc Damasus *ep.* 3. *ad Episc. Illyric. num.* 1. apud Constantium *col.* 483. *seqq.* Ariminensem synodum, Gelasius *ad Episc. Dardaniae cap.* 4. *tom.* 3. *opp. S. Leonis M. col.* 352. Ephesinam adversus Flavianum habitam, Stephanus Junior, qui Constantino Copronymo Imperatore martyrium pertulit, *Analector. Graecor. tom.* 1. *pag.* 481., jactatam ad Iconoclastis synodum rejecerunt, propterea quod earum nulla a Romano Pontifice confirmata fuisset. Hinc canon. III. Concilii Constantinopolitani I., quo post Romanum Pontificem primos honoris locus Antistiti Constantinopolitano datus est, licet a Synodo Chalcedonensi *can.* 28. *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1691. *seqq.*, ac Trullana *can.* 36. *tom.* 7. *col.* 1363. adprobatus fuisset, robore caruit, donec Romani Pontificis consensus non accessit. Confer Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. *can.* 5. *tom.* 13. *col.* 937. *collect. ejusd.* Quin et ea, quae adversus Eutychen in Concilio Chalcedonensi fuerant definita, ab omnibus rata firma habita sunt, posteaquam a S. Leone M. fuerunt confirmata. Quare Marcianus Imperator datis ad eum literis *inter Leonianas num.* 110. *tom.* 1. *opp. Leonis col.* 1182. *seqq.* eumdem vehementer rogat, ut quam cito mittat literas „ per quas „ omnibus Ecclesiis, et populis manifestum fiat, in S. Synodo peracta a „ tua Beatitudine rata haberi „ et in fine *col.* 1184. scribit haec „ Quamobrem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat, quo

» confirmare ipsam Chalcedonensem Synodum manifestissima ostendit, ut » ii, qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem de » judicio tuae Sanctitatis ». Vide etiam Gelasium I. *in tom. de anathem. vinculo tom.* 5. *Concil. col.* 357., Gregorium I. *epist.* 68. *lib.* 9. *opp. tom.* 2. *col.* 984. *edit. Paris.* 1705., Nicolaum I. *ep.* 8. *ad Michael. Imper. tom.* 10. *concil. col.* 1333. *collect. ejusd.*, literas PP. Synodi VI. ad Agathonem P. datas *ibid. tom.* 7. *col.* 1114., in quibus fidem Patres confirmationem postulant eorum, quae ab se acta, et decreta fuerant. Alia dedimus ejusdem rei monumenta in *Instit. Jur. Canon. in prolegomen. cap.* 3. §. 38. *tom.* 1. *pag.* 35. *seqq. edit. Romae* 1792., et multa etiam affert Bianchius *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 2. *cap.* 3. §. 11. *tom.* 4. *pag.* 552. Et quemadmodum Summus Pontifex Concilii acta, et decreta confirmat, ita eadem, cum opus est, infirmat, et reprobat. Sic S. Basilius *ep.* 69. *ad Athanasium opp. tom.* 3. *pag.* 162. Romanum Pontificem rogandum scribit, ut in Graeciam aliquos mittat, qui ejus nomine e medio tollat ea, quae in Ariminensi Concilio gesta sunt. Eodem spectant Damasus Pontifex *ep.* 6. *ad Episc. Illyric.* apud Labbaeum *tom.* 2. *concil. col.* 1032., Leo M. *ep.* 105. *ad Pulcher. Aug. opp. tom* 1. *col.* 1157., et Gregorius M. *cit. ep.* 68., ac ceteri, quos nunc indicavi. Omnia haec complectitur Hincmarus Rhemensis, quem certe nemo suspicabitur Sedi Apostolicae plus aequo favere voluisse. Haec autem habet *de divort. Lothar. tom.* 1. *pag.* 686. *q.* 2. *edit. cit.* » Quibus omnibus demonstratur, quia synodus comprovincialium epi» scopalia judicia, generalis autem synodus comprovincialium dijudicatio» nes, sive discussiones vel probet, vel corrigat. Apostolica vero Sedes et » comprovincialium, et generalium retractet, refricet, et confirmet judi» cia, sicut epistola Leonis, atque Gelasii, ceterorumque Pontificum Ro» manorum, et Sardicensis synodus evidenter demonstrant ».

(2) Eam ob rem Nicoena Synodus II generalis VII. *act.* 5. *tom.* 8. *Concil. col.* 1457. Pseudo-Synodo Iconomachorum Episcoporum 338. auctoritatem abrogavit, propterea quod non habuerat » cooperarium, ut ea, » quae nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, ne» que per vicarios, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum fieri » in synodis debet ». Quod quidem jus Sedis Apostolicae et Greci agnoverunt, ac diserte confessi sunt in professione Mennae, Theodori, aliorumque Orientalium Episcoporum, quae descripta est *tom.* 5. *Concil. col.* 1317. *et* 1318. Sane Nicoenae Synodo praefuisse constat nomine Sylvestri Pontificis Hosium Cordubensem Episcopum, et Vitum, seu Vitonem, et Vincentium Romanos Presbyteros, atque ita deinceps factum est in omnibus Conciliis oecumenicis usque ad Tridentinum. Consule Baronium *ad an.* 325. *num.* 19. *seqq.*, ibique Pagium *num.* 11. *tom.* 4. *pag.* 92. *seqq.*, Bertium *Histor. Eccles IV. saec. cap* 21. *tom.* 3. *pag.* 35. *seqq. edit. Bassani* 1769. Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. saec. IV. diss.* 12. *tom.* 4. *pag.* 361. *seqq. edit. Venet.* 1776., Ceillierum *Histoir. general. des auteurs sacr. et ecclesiast. chap.* 17. *num.* 4. *pag.* 571. *tom.* 4. *edit. Paris.* 1733., Boncarum *Theolog. Patr. de Summ. Pontif. dissert. un. art.* 7. *tom.* 5. *pag.* 60. *seqq. edit. Venet.* 1765.

(3) Sic Honorius *ep. ad Arcadium tom.* 3. *collect. Labbaei col.* 71., sic item Marcianus *in allocut. ad Synod. Chalcedon. act.* 6. *tom.* 4. *collect. ejusd. col.* 1473. » Nos enim, *inquit*, ad fidem confirmandam, non » ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constan» tini, synodo interesse voluimus ». Sic denique Theodosius, et Valentinianus Imperatores datis ad Synodum Ephesinam literis, quae descriptae sunt *par.* 1. *Concil. Ephesin. cap.* 35. *tom.* 3. *Concil. Labbaei col.* 990.

declararunt, sese ad eamdem synodum misisse Candidianum tantum ordinis servandi causa, non ut partes haberet ullas in iis, quae ad res sacras, divinasque pertinerent. Inquiunt enim » igitur Candidianum praeclarissi-» mum sacrorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abi-» re jussimus; sed ea lege, et conditione, ut cum quaestionibus, et con-» troversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune » habeat. Nefas est enim, qui SS. Episcoporum catalogo adscriptus non » est, illum ecclesiasticis negociis, et consultationibus sese immiscere ». » Vide et nostras Institutiones *in prolegomen.* §. 40. *pag.* 38.

(4) Consule easdem *Instit. loc. cit. not.* 2. *pag.* 39.

§. X. Concilium oecumenicum, quod legitime congregatum, atque a Summo Pontifice confirmatum est, in omnibus, quae ad fidem, moresque pertinent, certam habet auctoritatem, neque fallere, aut falli potest. Sed et canonum de disciplina, qui in oecumenico Concilio editi sunt, sancta est auctoritas; tum quod hi Canones *spiritu Dei* conditi habentur, tum quod ecclesiasticam disciplinam moderari semper Pastorum fuit proprium, et praecipuum munus. Verum hujusmodi canones, qui de disciplina sunt, uti postulat ratio temporum, non raro immutantur, quo spectat illud Augustini (1) „ Concilia plenaria priora po-„ sterioribus immutari „. Concilia autem oecumenica, quae a Summis Pontificibus approbata, atque ab universa Ecclesia recepta sunt, decem et octo numerantur, scilicet Nicaenum I., Constantinopolitanum I., Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II., Constantinopolitanum III., Nicaenum II., Constantinopolitanum IV., Lateranense I., Lateranense II., Lateranense III., Lateranense IV., Lugdunense I., Lugdunense II., Viennense, Florentinum, Lateranense V., Tridentinum. Constantiense tantum est receptum in iis, quae Martinus V. confirmavit.

(1) S. Augustinus *Confess. lib.* 3. *cap.* 7. *tom.* 1. *col.* 107. *et de Baptism. lib.* 2. *cap.* 3. *tom.* 12. *col.* 127.

§. XI. Particularia, seu topica Concilia alia a Patriarchis, alia a Metropolitis, alia ab Episcopis convocantur.

Patriarcha omnes sui Patriarchatus, Metropolita omnes provinciae Episcopos vocat; atque lex Patriarchalis Concilii omnes afficit Patriarchatus Ecclesias, Concilii autem provincialis Ecclesias omnes provinciae. Si Metropolita, aut Primas, aut Patriarcha concilio, totique nationi praesit, Concilium nationale appellatur. Hujusmodi Concilia, quibus Primas totius nationis praeerat, in Africanis Ecclesiis frequentissima fuerunt (1); atque etiam sunt in Ecclesia Orientali antiquissima, et eorum meminit Tertullianus (2), qui secundo, ac tertio Ecclesiae saeculo floruit. Ea forte obtinebant, antequam provinciales synodi instituerentur; et vero per ea temporis intervalla multa hujusmodi Concilia habita fuisse constat; verum synodorum singularum provinciarum nulla usquam mentio est (3). Forma earumdem synodorum repetenda videtur a Concilio Constantinopolitano I., a quo majores dioeceses vel institutae, vel confirmatae sunt (4).

(1) De his Africanis conciliis late agit Emmanuel Schelestratius *Ecclesia Africana etc, dissert.* 3. *pag.* 116. *seqq. edit. Paris,* 1679.

(2) Tertullianus *de jejun. cap,* 14. *pag,* 552. *edit, Venet.* 1744. „ aguntur, *inquit*, praecepia per Graecias illas (scilicet per Orientalis Imperii provincias, quae, cum diu Graecorum imperio paruissent, Graeco sermone utebantur) certis in locis concilia ex universis Ecclesiis, per quae et altiora quaedam in commune tractantur, et ipsa repraesentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur „.

(3) Confer Thomassinum *Vet, et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *num.* 1. *et* 2. *tom.* 2. *pag.* 408. *edit. Venet.* 1773.

(4) Concilium Constantinopolitanum I, *can.* 2. *et* 3. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col,* 1125. Consule Thomassinum *loc. cit. cap,* 49. *num.* 1. *pag.* 414.

§. XII. Graviora quaeque negocia, quae ad fidei, vel disciplinae sanctitatem pertinebant, in his Conciliis perpendebantur; et huc sane spectant Concilia, quae Victore Pontifice de celebrando Paschate, quaeque Pontifice Stephano de haereticorum baptismo habita sunt. Ex eodem genere sunt Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum ejus Urbis Episcopum, aliaque tum in Occidente, tum in Oriente celebrata adversus Novatianos, praeterea quod in Hispania Leo M. haberi jussit in Priscillianistas (1), quodque in Galliis jussu Hilarii Summi Pontificis Leontius Episcopus Arelatensis ex provinciis Viennensi, et Narbonensi contra Arianos convocavit. Causae etiam Episcoporum, qui a provinciali con-

cilio provocabant, in his synodi cognoscebantur, latisque legibus cavebatur, ut omnes Episcopi ad Synodum provincialem accederent (2). In Africa haec concilia annua fuerunt (3); sed alibi nullum certum eorum tempus erat definitum.

(1) Leo M. *ep.* 15. *ad Turibium Episc. Asturicen. tom* 1. *col.* 697.

(2) Hinc in Concilio Turonensi an. 576. *can.* 1. *tom.* 6. *Concil. col.* 535. sancitum est » si quis Episcopus ad synodum venire distulerit, » usque in majorem synodum a Metropolitano, et comprovincialibus ma» neat excommunicatus ».

(3) Ea de causa in Concilio Carthaginiensi III *cap.* 2 *et* 7. *tom.* 2. *col.* 1399. cautum est, ne dies, qua haec synodus habenda erat, convocatione provincialis Concilii impediretur.

§. XIII. Provinciale concilium olim velut ordinarium erat provinciae tribunal, in quo graviora quaeque ejus negocia expediebantur. In eo scilicet de confirmandis Episcoporum electionibus, de eorum consecrationibus, translationibus, cessionibus, depositionibus, causisque etiam criminalibus, de recipiendis, promulgandisque decretis Concilii generalis agebatur; tum pro eodem generali Concilio res necessariae praeparabantur, denique quidquid gravius in provincia eveniret, in synodo provinciali exquirebatur. Quare bis unoquoque anno haec concilia habebantur, plerumque ante Quadragesimam, et Autumni tempore (1); sed postea semel tantum in annis singulis convocari coeperunt (2). Nunc tertio quoque anno cogenda sunt a Metropolita (3), eove impedito, aut vacua Sede, ab Episcopo provinciae antiquiore (4); convenireque ejus jussu debent omnes provinciae Episcopi, Abbates, et quotquot venire consueverunt; quin etiam Episcopi exempti, quibus eligendus est vicinus aliquis Metropolita, ad cujus provinciae synodum accedant (5) Omnes hi Concilio interesse, aut mittere procuratorem, et excusationem debent, si qua justa causa impediti sese sistere praesentes nequeant (6).

(1) Concilium Nicaenum *can.* 5. *tom.* 2. *col.* 35., Antiochenum *can.* 20. *tom. eod. col.* 594., Chalcedonense *can.* 19. *tom.* 4. *col.* 1790.

(2) Vide Concilium Toletanum IV. *cap.* 3. *tom.* 6. *col.* 1450., Lateranense IV. *can.* 6. *tom.* 13. *col.* 939., Gregorium M. *epist.* 17. *lib.* 14. *ad Felic. Messanens. tom.* 2. *col.* 1281.

(3) Concilium Lateranense V. *sess.* 10. *tom.* 19. *col.* 911., et Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*

(4) Consule Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 2. *cap.* 9. §. 8. *pag.* 61. *tom.* 1. et Fagnanum *in cap.* 25. *de accusat. num.* 16.

(5) Concilium Tridentinum *cit. sess.* 24. *cap.* 2. Vocandos quoque esse Canonicos cathedralium Ecclesiarum, non tamen invitos cogendos esse ad veniendum, ostendit Benedictus XIV. *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 4. §. 1. *p.* 97. *t.* 1.

(6) Can. 9. *et* 10. *dist.* 18.

§. XIV. Quae in provinciali concilio sancita sunt, antequam promulgentur, mittenda sunt ad Sac. Congregationem Concilii, ut emendetur, si quid minus recte decretum fuerit (1); quin etiam interdum a Summo Pontifice confirmantur. Quae confirmatio non efficit, ut peculiares illae leges, quae pro ea provincia latae sunt, in aliis quoque provinciis observari debeant (2); sed tamen provinciale concilium Romanis Pontificis auctoritate firmatum in fide errare non potest (3). Est haec regula sane vetus, quod sine consensu, vel auctoritate Summi Pontificis nullum concilium habeatur; ut proinde bilem, et stomachum moveant, qui ejus originem a falsis decretalibus Isidori Mercatoris repetendam putant. Nam hanc regulam diserte memorant Julius I. P. (4), ac memorant etiam Socrates (5), et Sozomenus (6), qui certe Isidoro multo antiquiores sunt. Quod si vetusta regula haberi Concilium vetat sine Romani Pontificis consensu, vel auctoritate, profecto secundum hanc regulam merito sancitum est, ut in provincialibus conciliis idem consensus, et auctoritas requiratur (7).

(1) Sixtus V. *Constit. Immensa* 117. *tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 396. *edit. Rom. Mainardi.*

(2) Consule Benedictum XIV. *loc. cit. lib.* 13. *cap.* 3. §. 4. *pag.* 209. *tom.* 2., ubi etiam aliquot provincialia concilia a Summo Pontifice approbata recensentur.

(3) Confer Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 153.

(4) Julius I. *ep.* 1. *ad Eusebianos* §. 22. *pag.* 386. apud Coustantium *epist. Rom. Pontif.*

(5) Socrates *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 8. *et* 17. *pag.* 73. *et* 83.

(6) Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 98.

(7) Videndus Petrus Ballerinus *Vindic. Auctorit. Pontif. contr. Febronium cap.* 8. §. 7. *pag.* 240. *seqq. edit. Augustae Vindelicor. an.* 1770. Van-Espenius *Jus Ecclesiast. univers. part.* 1. *tit.* 20. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 164. *edit. Lovanii* 1732. a falsis Decretalibus Pontificum Siricio antiquiorum repetendam putat disciplinam, qua utimur, quaque receptum est, ut a Sede Apostolica Concilia provincialia confirmentur Sed, ut in aliis bene multis, ita in hoc egregie fallitur. Nam amplius quatuor saeculis, an-

tequam Isidorus suam collectionem evulgaret, nimirum an. 416., Patres Concilii Carthaginiensis, et Milevitani post damnatos Pelagii, et Coelestii errores, quod a se gestum fuerat Innocentio I. Summo Pontifici significarunt, rogantes, ut ab eo Concilii statuta confirmarentur. » Hoc itaque gestum, *inquiunt*, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut » statutis nostrae mediocritatis, etiam Apostolicae Sedis adhibeatur, aucto» ritas » uti constat ex epistola synodali ad eumdem Innocentium apud Labbaeum *tom.* 3. *col.* 375. Pontifex autem eosdem laudat, quod *antiquae traditionis exempla servantes, et scientes, quid Apostolicae Sedi debeatur*, Concilii acta ad suum retulerint judicium, eaque confirmat, uti patet ex ejus *epist.* 24. *ibid. col.* 44. Eamdem quoque confirmationem contra Pelagianos a Zosimo P. duo Africana Concilia postularunt, uti testatur Prosper *contr. nullator. cap.* 21. » Quando, *inquit*, Africanorum Conciliorum » decretis beatae recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium » armavit Antistitum » idque etiam ostendit epistola ejusdem Zosimi apud Baronium *ad an.* 417. *num.* 19. *seq. tom.* 7. *pag.* 96 *seqq.* Confer praeterea S. Augustinum *de gratia et peccat. original. lib.* 2. *cap.* 8. *seqq. tom.* 13. *col.* 319. *seqq. et ep.* 225. *num.* 2. *tom.* 2. *col.* 1033. Ab Apostolica vero confirmatione provinciale concilium certam, ac falli nesciam auctoritatem accipere, ostendunt praeter Melchiorem Canum, cujus paulo ante indicavi locum sumptum *ex libr. de loc. theolog.*, Bellarminus *de Conc. lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 29. *opp. tom.* 2. *ed. Venet.* 1721., et Thomassinus *diss.* 6. *in Concil. Carthag. et Milevitan.* Revera nisi res ita se haberet, ajunt Canus, et Bellarminus, certo Ecclesiae judicio haud sane proscripti haberi possent errores Helvidii, Pelagii, et Priscilliani, quorum primus damnatus est a Concilio Telensi confirmato a Siricio, alter ab Africanis Conciliis, quorum nunc est facta mentio, confirmatis ab Innocentio, et Zosimo, postremus a Concilio Toletano, quod Leo M. confirmavit. Atque haec omnia provincialia concilia fuerunt. Adde his, quae paulo ante diximus.

§. XV. Concilia Episcopalia, sive dioecesana, uti nunc vocantur (nam olim dioecesis plures provincias comprehendebat, atque ex pluribus earum Episcopis coacta concilia dioecesana dicebantur) omnium antiquissima fuisse videntur. Nam in prima illa Ecclesiae nascentis aetate, et in illis sane fluctibus, atque procellis, quibus res Christiana jactabatur, facilius erat per Episcopum unius civitatis convocari clerum, quam multos cogi Episcopos ex una, pluribusve provinciis, aut etiam ex orbe universo, cum praesertim singularum metropoleon fines nondum satis essent explorati. Itaque Episcopus cum Presbyteris, et Diaconis, qui ejus Senatum conficiebant, concilium habebat, eorumque consilio decernebatur quidquid recta pareciae, sive uti nunc dicimus, dioeceseos administratio flagitabat. Saepius antiquiori aetate haec concilia habebantur, tum bis, ac deinde etiam semel annis singulis haberi coeperunt, exemplo conciliorum pro-

vincialium, quae semper Episcopale Synodi consequebantur, ut in his ab unoquoque Episcopo in suo Episcopatu promulgarentur, quae in illis fuerant constituta (1). Quam consuetudinem convocandi quotannis synodum episcopalem, vel dioecesanam Concilium Lateranense (2), ac Tridentinum confirmarunt (3). Nunc igitur habenda sunt ea Concilia annis singulis, eorumque decretis parere cogitur dioecesis universa. Ea vero jure indicit Episcopus electus, et confirmatus, quamvis nondum sit consecratus, haud vero Archiepiscopus, antequam Pallium acceperit (4), neque Episcopus *Titularis* (5), neque Vicarius generalis, nisi ea de re peculiarem facultatem ab Episcopo obtinuerit (6), neque Vicarius capitularis, nisi post annum ab proxime habita Synodo (7), neque demum Vicarius Apostolicus, nisi ejus rei potestas a Summo Pontifice facta sit (8).

(1) Concilium Toletanum XVI. *an.* 663. *cap.* 3. *tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 60. Consule Thomassinum *de vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 37. *num.* 1. *tom.* 2. *pag.* 392.

(2) Cap. 25. *de accusat.*

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*

(4) Vide Benedictum XIV. *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 5. *et* 6. *tom.* 1. *pag.* 46. Sunt vero quidam Episcopi, qui a Sede Apostolica pallii usum obtinuerunt; sed eos habere synodum posse, etiam ante acceptum pallium, quod in ipsis tantum honoris insigne est, ostendit ipse Benedictus *loc. cit. cap.* 6. §. 1. *pag.* 46.

(5) Benedictus XIV. *loc. cit. cap.* 7. §. 1. *pag.* 50.

(6) Benedictus XIV. *ibid. cap.* 9. §. 1. *pag.* 55.

(7) Idem *cap.* 9. §. 7. *pag.* 59.

(8) Id vero obtinet, cum in literis, quibus Vicarius Apostolicus est constitutus, nulla est expressa facultas, quae ut plurimum exprimi solet, habendi synodum: nam cum ea facultas expressa est, dubitari non potest, quin et synodum liceat convocare. Quod si Vicarius Apostolicus sit praepositus Ecclesiae, quae vacua est propter Episcopi obitum, aut translationem, is in cogenda synodo utitur eodem jure, quo Vicarius capitularis. Vide Benedictum XIV. *loc. cit. cap.* 10. §. 10. *pag.* 65.

§. XVI. Vocantur ad synodum Dioecesanam Archipresbyteri, Archidiaconi, et ceteri, qui Dignitatem habent, Personatum, Officium, Vicarius generalis, et Vicarii foranei (1), Parochi, et omnes, nemine prorsus excepto, qui curam habent animarum (2), praeterea Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et Canonici Collegiatarum (3), Abbates saeculares, atque etiam Regulares, qui generalibus Capitulis non

subduntur (4), omnesque exempti, qui alioquin, sublata exemptione, ad synodum venire deberent (5). Si qui eorum ad synodum vocati accedere nolint., ecclesiasticis censuris ab Episcopo coercendi sunt, nisi impedimento sit justa causa, quae per procuratorem synodo patefacienda est. Pari modo a synodo provinciali impune absunt Episcopi, *quibus cum imminenti periculo transfretandum esset* (6). In synodo Dioecesana de iis agitur, quae ad Dioecesim pertinent, Examinatores Synodales saltem numero sex eliguntur (7), Missarum honorarium, quod vulgo dicitur *Taxa synodalis*, praefinitur, rectae sacramentorum administrationi consulitur, tolluntur abusus, qui in mores, atque in disciplinam irrepserunt.

(1) Consule Benedictum XIV. *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 92. *seqq.* Quin etiam interdum simplicia quoque beneficia obtinentes, aliosque e clero, qui nullum obtinent beneficium, ad synodum venire oportere ostendit Benedictus XIV. *loc. cit. cap.* 6. *pag.* 101. *seqq.*

(2) Sic Regulares, omnesque exempti ab Episcopi jurisdictione, cum habent curam animarum, synodo interesse debent: Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*, eademque lege tenentur etiam Capellani Religionis Jerosolymitanae, uti decretum est a S. Pio V. *Constitut. Etsi cuncta* 104. §. 7. *tom.* 4. *par.* 3. *Bullar. Roman. pag.* 50., et a Gregorio XIII. *Const. Cum alias* 125. §. 5. *eod. loc. pag.* 456.

(3) Videndus Benedictus XIV. *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 97. *seqq.*

(4) Abbates saeculares, licet exempti, qui intra Episcopi dioecesim sunt, ad synodum ire debent, uti observat Benedictus XIV. *loc. cit. cap.* 1. §. 6. *pag.* 83., sed qui plane separatum habent territorium eadem lege non obstringuntur. Quaerit autem ipse Benedictus *eod. loc.* §. 16. *pag.* 87. *et* 88., num hujusmodi Abbates, cum non habent ipsi cogendae synodi facultatem, viciniorem aliquem debeant eligere Episcopum, ad cujus synodum accedant, exemplo Episcoporum, qui cum nulli Metropolitae subjecti sunt, propinquiorem sibi eligunt, ad cujus synodum provincialem ire coguntur.

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*

(6) Concilium Tridentinum *ibid.*

(7) Idem *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

§. XVII. Scripta quoque, ac sententiae SS. Patrum Juris Canonici partem efficiunt (1). Non hi quidem latores legis sunt, sed tantum interpretes, atque doctores; neque si singuli seorsim spectentur, quod ab uno, aut altero eorum dictum, scriptumve est, haberi debet veritatis loco. Plures unius, alteriusve Patris sententias Romani Pontifices in corpus juris canonici retulerunt; sed hae pontificia auctoritate,

non per semetipsas, vim legis obtinent. Verum scitum est, SS. Patres fidem probabilem facere, si complures, certam vero, si plerique omnes in eadem sententia conveniant (2). Appellantur autem hoc nomine viri illi doctrina, ac pietate praestantes, qui in fide, et communione catholica sancte, sapienter, constanterque viventes usque ad duodecimum praesertim Ecclesiae saeculum res divinas scriptis illustrarunt, quorumque opera ab Ecclesia approbata sunt, et magna ex parte ad nos pervenerunt (3.) Qui ab Ecclesiae fide, et unitate defecerunt, inter Ecclesiae Patres referri non possunt, atque ipsorum habenda tantum ratio est in iis, quae a communi aliorum, qui in fide persistiterunt, doctrina non dissentiunt; maxime si de scriptis agatur post defectionem evulgatis (4).

(1) Hi enim, ut inquit S. Augustinus *lib. 2. contr. Julianum Pelagian. cap.* 10. *tom.* 13. *col.* 679. *et* 682. » quod invenerunt in Ecclesia, » tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, » hoc filiis tradiderunt . . . et his post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit «.

(2) S. Vincentius Lirinensis *Commonit. cap.* 39. *tom.* 1. *Instit. Theolog. Card. Thomasii pag* 154. *edit. Romae an.* 1769. » Quidquid vel omnes, » *inquit*, vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseve» ranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipien» do, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato certo, ratoque » habeatur «. Concilium Tridentinum *sess.* 4. *in decret. de canon. script.* In Concilio Lateranensi habito a S. Martino V. an. 649. adversus Monothelitarum errores, canones priores undecim, sive fidei undecim definitiones ita incipiunt omnes » si quis secundum SS. Patres non confitetur « *tom.* 7. *concil. Labbaei col.* 250. Sanctorum Patrum auctoritatem contra Helvidium, qui perpetuam Dei Genitricis virginitatem impudentissime negabat, urgebat S. Hieronymus *contr. Helvidium tom.* 2. *col.* 205. *num.* 2., et eamdem proferebat S. Augustinus, ut catholicam sententiam de peccato originali contra Julianum Pelagianum confirmaret *lib.* 1. *et* 2. *contr. Julian. Pelagian. tom.* 13. *col.* 639. *et seq.* Mitto ceteros, ne multus sim. Quae a Barbeyracio, Dallaeo, Rivetto, Moshemio, aliisque haereticis contra SS. Patres exeogitata sunt stultitiae, et impudentiae plena, late a Theologis refutata sunt multaque etiam ea de re peculiaria opera edita sunt, quae laudantur *in Dizionario di Teologia di M. Berger verb Padri della Chiesa tom.* 4 *par.* 2. *pag.* 368. *seqq. edit. Romae* 1797. In hoc etiam argumenti genere magna cum laude versatur Vincentius Lupolus Episcopus Telesensis *Jur. eccles. praelection. cap.* 13. *tom.* 1. *pag.* 280. *seqq. edit. Neapol.* 1777.

(3) S. Vincentius Lirinensis *loc. cit.* » Eorum dumtaxat Patrum, *in» quit*, sententiae conferendae sunt, qui in fide, et communione catholi» ca sancte, sapienter, constanter viventes, docentes, et permanentes, » vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter merue» runt «. Recte autem observat P. Bonaventura de Aragonia *De optim.*

legend. Eccles. PP. methodo cap. 1., quod haeretici, qui patrum auctoritatem, et numerum imminuere conantur, eos tantum, qui usque ad sextum saeculum floruerunt, Patrum loco habendos putant; sed revera communis sententia est, Patres esse appellandos illos etiam, qui usque ad saeculum XII. vixerunt; horum autem postremus est S. Bernardus Claravallensis.

(4) Inter Ecclesiae Patres numerandi non sunt Tertullianus, Origenes, duo Eusebii alter Caesariensis, alter Nicomediensis, ceterique similes scriptores, quorum opera errores continent ab Ecclesia damnatos. Tertullianus multa quidem recte scripsit, sed multa item pessime, primum schisma fecit, deinde haereticus evasit, postremo haeresiarca decessit, ac proinde de illo S. Hilarius Pictaviensis *in Matthaeum cap.* 5. *num.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 689. merito scripsit » consequens error hominis detraxit scri» ptis probabilibus auctoritatem ». Itaque cum Helvidius S. Hieronymo contra se disputanti Tertulliani auctoritatem objiceret, idem respondit *lib. adver. Helvidium* §. 17. *opp. tom.* 2. *col.* 225. » De Tertulliano nihil am» plius dico, quam Ecclesiae hominem non fuisse ». Origenes etiam multos habet errores, ejusque opera tantum *ob eruditionem* legi posse, *non* autem *ad fidei veritatem* confirmandam scribit S. Hieronymus *ep.* 62. *ad Tranquil. num.* 2. *tom.* 1. *col.* 352. Duo etiam Eusebii Ariani fuisse perhibentur, immo a S. Hieronymo *lib.* 1. *adversus Ruffinum tom.* 2. *col.* 464. *num.* 8., et in *Chronic. ad an.* 351. *opp. tom.* 8. *col.* 395. *Arianae signiferi factionis* nuncupantur. Nihil attinet de reliquis hujusmodi hominibus plura dicere.

§. XVIII. Quaedam etiam civiles leges, eductae praesertim ex Codicibus Theodosiano, et Justinianeo, in corpore Juris Canonici referuntur. Verum hae non suo jure pertinent ad ecclesiasticam jurisprudentiam, quae tota propria est Ecclesiae; sed tantum legem faciunt, quoniam a Romanis Pontificibus sui juris corpore comprehensae sunt, omnibusque propositae, ut legis loco habeantur (1).

(1) Romani Pontifices civilibus saepe legibus utuntur ad definiendas controversias, atque inter illos saepissime S. Gregorius M. easdem leges ecclesiasticis judicibus proponit, ut secundum earum scita judicium exerceant. Quod videri potest praesertim *in lib.* 1. *ep.* 9. *lib.* 3. *ep.* 38. *lib.* 6. *epist.* 37. *lib.* 7. *epist.* 23. *et* 39. *lib.* 9. *epist.* 6. *et* 7. *lib.* 13. *epist.* 3, 4. 11. *col.* 496. 652. 821. 867. 887. 930. 931. 1216., *et seq.* 1225. *opp. tom.* 1. Illarum plures in decretalium collectionibus referuntur, et hinc Pontificia auctoritate Canonici Juris partem efficiunt. Totum hoc argumentum late persequitur Jo. Baptista Bartholus *Instit. Jur. Canon. cap.* 43. *seqq. pag.* 371. *seqq. edit. Ausugii* 1749.

DE JURE NON SCRIPTO

CAPUT XVI.

I. Traditionis auctoritas.
II. Ejusdem divisiones.
III. Quae sit vis Divinae, quae Apostolicae, quae Ecclesiasticae Traditionis?
IV. Apostolicae Traditiones ab Ecclesiasticis quomodo distinguantur?
V. Consuetudo, ejusque vis.
VI. Quid requiritur, ut consuetudo vim legis habeat?
VII. Consuetudo, vel generalis, vel specialis.

§. I.

Pergimus ad jus non scriptum, quod conficitur ex traditione, et consuetudine. Traditionis autem nomine intelligimus mandata, quae non scripto, sed viva voce populis nunciata sunt, et Ecclesiae observata consensu quasi per manus tradita ad nos pervenerunt. Maxima semper vis, et auctoritas traditionis fuit; et certe Christiana Ecclesia, ac Religio primum substitit traditione, non literis, quae deinceps accesserunt. Imo cum verae Religioni necessaria sit revelatio, ea quidem stabilis, ac firma permanere sine literis potest, sine traditione non potest (1). Itaque Synodus Tridentina eos, qui traditionem despiciunt, poena anathematis merito plecti jubet (2). Apostolus verbum tum traditum, tum scriptum aperte distinguit, et utrumque ab omnibus observari, ac legis loco haberi praecipit (3). Revera non omnia, quae ad doctrinam christianam pertinent, in sacris literis expressa sunt, sed multa ad nos delata sunt majorum traditione, et usu Ecclesiae quotidiano. Hujus rei causas viri docti copiose, ac diligenter explicarunt (4).

(1) Non traditio Scripturam, sed contra Traditionem Scriptura consequuta est; uti demonstravimus *cap. XIII.* §. 2. *pag.* 287. Antequam Matthaeus primus omnium scriberet Evangelium, quod ab eo factum videtur octavo circiter post Christi Ascensionem anno, ut ostendit Ceillerius *Histoir. gener. des auteurs sacr. et ecclesiast. liv.* 2. *chap.* 2. *art.* 2. *tom.* 1. *pag.* 343. *edit. Paris.* 1729., Christi doctrina tradita jam erat, ac pervulgata. Quare non Traditio a scriptura, sed haec contra a Traditione vim, et auctoritatem accepit. Apertum ea de re est Lucae testimonium

cap. I. vers. 1. *et* 2. » Quoniam quidem multi conati sunt ordinare nar- » rationem, quae in nobis completae sunt, rerum: sicut tradiderunt no- » bis, qui ab initio ipsi viderunt etc. » Hinc Papias Hierapolitanus Episcopus, qui etiam cum Apostolorum auditoribus versatus est, apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 39. *pag.* 118. » Si quis interdum, *inquit*, mi- » hi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sci- » scitabar, quaenam essent Seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, » quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Mat- » thaeus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent? quidnam Ari- » stion, et Joannes Presbyter discipuli Domini praedicarent. Neque enim » ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, » quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce ». Confer etiam S. Polycarpum *ep. ad Philippen. num.* 7. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 187., S. Ignatium M. apud Eusebium *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 36. *pag.* 114., S. Clementem I. *ep.* 1. *num.* 44. apud Constantium *Epist. Rom. Pontif. pag.* 30., S. Irenaeum *contr. haeres. lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 175.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 4. *in decret. de canon. scriptur.*

(3) Paulus II. *ad Thessalon. cap. II. vers.* 14.,, Itaque, fratres, sta- » te, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per » epistolam nostram ». Quem in locum S. Joannes Chrysostomus *tom.* 11. *pag.* 532. *Homil.* 6. *num.* 2. scribit haec » Hinc est perspicuum, quod non » omnia tradiderunt per epistolam sed multa etiam sine scriptis; et ea » quoque sunt fide digna: quamobrem Ecclesiae quoque traditionem cen- » seamus esse dignam; est traditio, nil quaeras amplius ».

(4) Egregie S. Basilius *de Spiritu S. cit. cap.* 27. *num.* 66. *tom.* 3. *pag.* 54. » Ex asservatis, *inquit*, in Ecclesia dogmatibus, et praedicatio- » nibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero no- » bis in mysterio tradita recepimus ex Traditione Apostolica; quorum » utraque vim eamdem habent ad pietatem; nec iis quisquam contradi- » cet: nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quae sint Eccle- » siae instituta » et paulo post *pag.* 55. Nec enim, *inquit*, his conten- » ti sumus, quae commemorat Apostolus, aut Evangelium, verum alia » quoque et ante, et post dicimus, tamquam multum habentia momen- » ti ad mysterium, quae ex traditione non scripta accepimus ». Consu- le Clementem Alexandrinum *stromat. lib.* 1. *num.* 22. *tom.* 1. *pag.* 409., Tertullianum *de coron. cap.* 3. *pag.* 101. *et* 102., S. Cyprianum *epist.* 74. *pag.* 318., S. Athanasium *vit. S. Antonii tom.* 2. *pag.* 689. *num.* 89., Origenem *de principiis lib.* 1. *num.* 2. *opp. tom.* 1. *pag.* 47. *edit. Paris.* 1733., Sanctum Cyrillum Hierosolymitanum *chatech.* 23. *pag.* 332. *num.* 22. *edit. Venet.* 1763., S. Gregorium Nazianzenum *orat.* 12. *tom.* 1. *pag.* 204., S. Ambrosium *lib.* 3. *de fide tom.* 3. *col.* 657. *num.* 128., S. Epiphanium *haeresi* 61. *tom.* 1. *pag.* 511. *num.* 6., S. Innocentium I. *epist.* 25. *ad Decentium num.* 2. apud Constantium *col.* 856., S. Hieronymum *epist.* 71. *ad Lucinium tom.* 1. *num.* 6. *col.* 434., S. Augustinum *tom.* 12. *lib.* 4. *de Baptismo cap.* 24. *col.* 180., S. Joannem Damascenum *de fide orthodoxa lib.* 4. *cap.* 16. *pag.* 282. *tom.* 1. *edit. Venet* 1748., S. Leonem M. *serm.* 8. *tom.* 1. *col.* 29. Mitto ceteros quorum magnus est numerus. Quae haeretici objiciunt contra vim, et auctoritatem Traditionis solide, graviterque refutantur a Theologis, quos inter videndi sunt Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 3. *cap.* 1. *seqq. pag.* 86. *seqq. edit. Patav.* 1727., Tournelyus *praelect. theolog. de Deo et divin. attribut. tom.* 1. *quaest.* 4. *de tradition. pag.* 61. *seqq. edit. Neapol.* 1765. Constantius in *praefat. ad epist.*

Roman. Poetif. par. 2. *num.* 51. *pag. LVI.*, Billuartius *Summa S. Thomae de regul. fidei dissert.* 2. *tom.* 1. *pag.* 37. *seqq. edit. Venet.* 1778. Natalis Alexander *Histor. Eccles. saeculo II. dissert.* 16. *tom.* 3. *pag.* 443. *seqq. edit. Venet.* 1776. Pertinet etiam ad Traditionis necessitatem ostendendam disciplina *arcani*, quam ab ipsa Christi, et Apostolorum memoria repetit, quamquam egregie, praeter ceteros, illustravit Emmanuel Schelestratus peculiari dissertatione *de disciplina arcani*, et post eum copiose de eadem egit Gerbertus *in Mantiss. ad Princip. Theolog. exegetic.*

§. II. Traditio vel Divina est, vel Apostolica, vel Ecclesiastica. Divina est, quae a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis instinctis Spiritu Sancto viva voce ad posteros transmissa est (1). Apostolica, quam Apostoli tamquam Ecclesiae Praefecti; Ecclesiastica, quam aut Summi Pontifices, aut Concilia, aut SS. Patres reliquerunt. Rursus aliae sunt traditiones, quae ad fidem, aliae, quae ad mores, aliae, quae ad disciplinam pertinent; quaedam perpetuae sunt, quae tamdiu stabunt, quamdiu stabit militans Christi Ecclesia, quaedam temporales, quae scilicet tantum ad certum tempus sunt institutae; denique aliae sunt universales, hoc est ubique receptae, et aliae locales, seu particulares, quaa tantum certis locis addictae sunt.

(1) Multi sunt, qui Apostolicas Traditiones in *mere Apostolicas*, et *Divino-Apostolicas* dividendas putant; illas vocant, quae ab Apostolis, tamquam Ecclesiae praefectis originam dicunt, has vero, quae a Christo immediate Apostolis, ab his vero Ecclesiae viva voce datae, atque ad nos usque transmissae sunt. Verum haec divisio naturam, atque originem confundit traditionis cum modo, per quem ea propagatur. Quidquid a Deo procedit divinum est neque discrimen aliquod inducere potest modos, quo ad nos delatum est, cum ejus originem divinam esse constat. Quare omnis Traditio, quam Apostoli aut a Christi ore acceptam, aut instinctu Spiritus S. ad nos transmiserunt, ut Christi praecones, et Christi nomine loquentes, divina haberi debet. Ac si aliam Traditionum divisionem educere velimus ex modo, quo ea propagatur, quasdam etiam Ecclesiasticas Traditiones *Divino-Ecclesiasticas* appellabimus, quandoquidem etiam Ecclesia Divinas Traditiones ad nos transmittit.

§. III. Traditio Divina certam, fallique nesciam auctoritatem, ac fidei regulam constituit, quia est verbum Dei, uti Scriptura sacra, quae fidei regulam, certamque auctoritatem facit, non quod scripta, sed quod Dei verbum est. Traditio Apostolica tantam habet auctoritatem, quan-

tam habent decreta, quae Apostoli tamquam Ecclesiae Rectores ediderunt. Traditionis vero Ecclesiasticae eadem est vis, quae legum ecclesiasticarum. Apostolicae, et Ecclesiasticae Traditiones abrogari possunt, eisque recte derogatur, sed de Divinis Traditionibus non est ita. Nam hae semper firmae, immotaeque esse debent, et ubique observandae sunt, atque ad catholicum dogma pertinent, easque Ecclesia non tollit, sed tantum interpretatur, atque ab humanis Traditionibus secernit. Ergo Divina Traditio est, quae talis ab Ecclesia judicatur (1). Nimirum cum Ecclesia, quae errare non potest, aliquid tamquam de fide retinet, aut ubique observandum docet, quod nonnisi a Deo institui potuit, id ad Divinam Traditionem transmissam ad nos per Apostolos (2) referendum est. Sic Divinae Traditionis sunt Baptismus parvulorum, vis Baptismi haereticorum, perpetua virginitas Genetricis Dei, aliaque similia, ejusdemque Traditionis est etiam dogma catholicum, quod tria sacramenta Baptismus, Confirmatio, Ordo iterari non possint. Similiter cum Patres priorum saeculorum uno omnium consensu aliquid non scriptum tamquam de fide docent, atque huic doctrinae adversarium tamquam haereticum damnant, Divina haec Traditio habenda est.

(1) Ut Traditiones divinae ab humanis discernantur, necessaria est auctoritas aliqua, quae rem totam definiat, et cui sine erroris metu adhaerere possimus. Haec autem auctoritas uni Ecclesiae data est, eaque nec falli, nec fallere quemquam potest. Quare omnis Traditio, quae hujus judicii caret auctoritate, in pretio haberi nequit: et apposite S. Augustinus in celebri illa de rebaptizandis haereticis controversia *lib.* 2. *cap.* 32. *contr. Crescon. opp. tom.* 12. *col.* 544. » Non accipio, *inquit*, quod de » baptizandis haereticis, et schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc » Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit ».

(2) Ecclesia post Apostolorum aetatem non habet novas revelationes, sed omnia fide tenenda Apostolis a Deo sunt revelata sive ore Christi, sive instinctu Spiritus S., secundum Christi promissiones Joannes *cap. XIV. et XVI.* Itaque cum Ecclesia aliquid definit a Deo traditum, a fide divina credendum, haud sane condit novum articulum fidei, sed ad eam pertinere definit, quod jam traditione continebatur. Nam in illa traditio est omnium, quae credenda sunt: verum ut constet, aliquid ex fide esse, declaratione opus est ejusdem Ecclesiae, quae illud promit *ex divite depositorio*, ut inquit Iraenus, atque omnibus aperte proponit.

§. IV. Ut Apostolicae Traditiones ab Ecclesiasticis distinguantur, tenenda est Augustini regula, quam supra exposuimus (1), nimirum Apostolica auctoritate traditum haberi debere, quod ab universa Ecclesia observatur, semperque observatum est, neque a Conciliis institutum constat. Cum vero aliquid similiter traditum, non scriptum in tota Ecclesia retinetur, neque ejus rei initium exploratum est, id certe vel Apostolis, vel oecumenicis Conciliis adscribi debet (2). Contra quod obtinet non universe, sed tantum in certis regionibus, id neque ab Apostolis, neque a generali Concilio repetendum est; sed pertinet ad peculiares illas traditiones, quae variae, dissimilesque sunt, et in quibus observandis ab unoquoque suae sunt retinendi Ecclesiae mores (3).

(1) Vide quae supra dicta sunt *Cap.* 12. §. 9. *pag.* 245.

(2) S. Augustinus *epist* 54. *ad inquisit. Januar. cap.* 1. *tom.* 2. *col.* 164. Atque huc ipse Augustinus refert statuta » quod Domini passio, et re- » surrectio, et adscensio in coelum, et adventus de coelo Spiritus Sancti » anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit, quod » servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia ». Hujus quoque universalis Traditionis illustre exemplum est » in biduo ante Pascha » absque divinorum sacramentorum celebratione transigendo » quam in tota Ecclesia semper observatam, et exemplo Apostolorum inductam ostendit Innocentius I. *epist.* 25. *num.* 7. *ad Decent. Episc. Eugub.* apud Coustantium *epist. Rom. Pontif. col.* 859., et apud Gratianum *can.* 13. *dist.* 3. *de consecration.* his verbis: » Utique constat Apostolos biduo isto et in » moerore fuisse, et propter metum Judaeorum se occuluisse. Quod uti- » que non dubium est, eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ec- » clesiae habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari ». Quomodo autem Traditio ab Ecclesia Romana ad alias transire deinceps possit, et vim ubique obligandi consequatur, docet ipse Innocentius *loc. cit. num.* 2.

(3) De his peculiaribus Ecclesiarum Traditionibus Augustinus *loc. cit.* habet haec: » Alia vero, quae per loca terrarum, regionesque varian- » tur, sicuti est, quod alii jejunant Sabbato, alii non; alii quotidie com- » municant corpori, et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt . . . » totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla » est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo » agat quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit ».

§. V. Consuetudo jus est inductum populorum moribus, et usu diuturno. Nam lex humana ab hominum voluntate procedit, neque interest, num ea verbis, an factis declaretur. Fit autem manifesta haec voluntas rebus ipsis, et factis, cum homines constanter aliquid opere

complent, aut compleri permittunt; unde oritur consuetudo, quae vim, legis habet, modo honesta sit, laudabilis, ab omnibus diu servata, tacito aut expresso Legislatoris consensu introducta (1). Cujus quidem recte inductae, probataeque consuetudinis tanta vis est, ut per eam etiam juri scripto derogetur, eodem modo, quo antiquiores leges tolluntur per eas, quae postea latae sunt (2). Atque haec consuetudo est, quae dicitur *contra jus*, quaeque ab ea differt consuetudine, quam *praeter jus* appellamus. Haec nimirum juri scripto non adversatur, sed jus ipsa constituit, quod minime scriptum est. Solet et aliud describi genus consuetudinis, quam vocant *secundum legem*, quia scilicet cum lege consentiens est. Sed quid attinet memorare consuetudinem, cum scriptam habemus legem, quae viget, atque ab omnibus observatur?

(1) Cap. 8. *et.* 11. *de consuet. L.* 32. 33. 40. §. 1. *ff. de legib.*
(2) L. ult. *ff. de constit. Princ.*

§. VI. Consuetudo ut legis vim, et auctoritatem consequatur, opus habet frequentia actuum, per quos inducatur (1), voluntate ejus inducendae in illis, qui eam servare debent (2), consensu Legislatoris, qui novum hoc jus observari consentiat (3), diuturnitate temporis, quod in consuetudine contra jus esse debet annorum quadraginta, decem vero in consuetudine praeter jus, quod longum tempus in jure est (4). Cum haec servata sunt, non modo consuetudo legi vim adimit, sed etiam tantam habet auctoritatem, ut ei recentiori lege non derogetur, nisi id nominatim conscriptum, cautumque sit (5). Decreta tamen Concilio Tridentini contraria consuetudine tolli non possunt (6); neque umquam rata firma habenda est consuetudo, quae juri naturali, ac divino repugnat (7).

(1) Confer Cujacium *observ. lib.* 10. *cap.* 1. *opp. tom.* 3. *col.* 525. *edit. Mutin. seu Venet.* 1758.
(2) L. 35. *ff. de legib.* Ceterum consuetudo vim nullam habet, si quid populus agat voluntarie, ac sine animo suscipiendae obligationis; quemadmodum pii quidam, diuturnique usus jejunandi, aut orandi, cum desit voluntas populis, nullam obligationem inducunt.
(3) Cap. 18. *de praeben.*

(4) Vide-sis Interpretes *in Cap.* 25. *de verbor. signif.* *Cap.* 5. *de offic. ordinar. in* 6., et *Leg.* 2. et 3. *Cod. quae sit long. consuet.*

(5) Cap 1. *de Constit. in* 6. Hinc Tridentini Patres in decretis reformationis omnes contrarias consuetudines, etiam immemorabiles, expresse abrogare voluerunt, ac simili methodo utuntur omnes Legislatores, tum profani, tum ecclesiastici, cum novas constitutiones emittunt.

(6) Pius IV. *Constit. in Principis* 109. *in Bullar. Roman. ult. edit. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 214.

(7) Hinc rejicitur consuetudo, quae Ecclesiae gravamen infert *Cap.* 1. *de consuet.*, qua quis ad peccandum, ac bona dissipanda inducitur, *Cap.* 4. *eod.*, qua simplex Sacerdos conferret sacramentum Confirmationis, *Cap.* 4. *eod.*, qua laeditur ecclesiastica libertas Auth. *cassa et irrita Cod. de Sacros. Eccles.*

§. VII. Consuetudines vel generales, vel particulares sunt, quarum illae omnium, hae vero particularium usu Ecclesiarum invaluerunt. Sic generalis erat consuetudo, ut die dominico ob memoriam Christi resurrectionis Christiani stantes orarent, seque a jejuniis abstinerent; contra specialis erat consuetudo Ecclesiae Romanae, ut die Sabbati jejunium servaretur. Multa hujusmodi exempla occurrunt; ex quibus etiam patet antiquae disciplinae severitatem saepius mitigatam, ac relaxatam fuisse justa consuetudine, quae rectae fidei, bonisque moribus non adversatur. Ita olim in Quadragesima jejunium usque ad vesperam produci solebat, quae disciplina etiam aetate S. Bernardi, hoc est saeculo XII. obtinebat (1); licet eadem in aliquibus saltem locis ante hanc aetatem mitigari caepisset (2). At nunc illud circa meridiem solvitur. Quin etiam addita est tenuis vespertina refectio, per quam nihil de jejunii vi, ac natura detrahitur, ac vires corporis usque ad diem alteram sustinentur. Horae canonicae, ut ipsum earum nomen indicat, statis horis persolvebantur; sed nunc in more positum est, ut non omnes, etiam publice, distinctis temporibus recitentur. Lapsi quoque in graviora crimina absolutionem non obtinebant, nisi primum poenitentiam egissent; at nunc, antequam eadem peragatur, absolutio conceditur (3). Sic hodie non amplius obtinent solemnes poenitentiae stationes, et sic alia antiquitatis instituta contrariis moribus exoleverunt. Multa sunt alia generis ejusdem, quae *liberas habent observationes*, ut in re simili ajebat Augustinus, et in quibus mitior

illa, quae nunc obtinet disciplina, sine ullo offensionis metu, ab unoquoque retinenda est.

(1) S. Bernardus *serm.* 3. *in Quadrages. num.* 1. *opp. tom.* 2. *pag.* 45. *edit. Venet.* 1765. » Hactenus usque ad nonam, *inquit*, jejunavimus so- » li; nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, re- » ges, et principes, clerus, et populus, nobiles, et ignobiles, simul in » unum dives, et pauper ».

(2) Ratherius Veronensis Episcopus *Synodic. ad Presbyteros etc. num.* 15. *col.* 420. *edit. Veron.* 1765. » Auctoritate etiam paschalis festi- » vitatis, *inquit*, compellente monemus . . . . ut secunda, tertia, » quarta, et quinta feria hebdomadae majoris jejunetis usque ad nonam ». Quem in locum observant Fratres Ballerinii, primum hoc esse certi Auctoris testimonium mitigati praecepti Quadragesimalis jejunii usque ad nonam, cum hoc antea usque ad vesperas produceretur; Sed Ratherio, qui saeculo decimo vixit, recentior Bernardus memorat quadragesimale jejunium, uti nunc vidimus, usque ad vesperas productum: ex quo intelligimus, antiquam hanc disciplinam non ubique eodem tempore fuisse sublatam. Concilium Rothomagense an. 1072. *can.* 21. *tom.* 12. *Concil. Labbaei col.* 213. post nonam sub Vesperarum initium jejunium solvi permisit. Cujus haec verba sunt „ Ut nullus in Quadragesima prandeat, ante- » quam, hora nona peracta, vespertina incipiat; non enim jejunat, qui » ante manducat ».

(3) Merito hinc ab Alexandro VIII. *num.* 16. 17. *et* 18. *tom.* 9. *Bullar. ult. edit. Roman. pag.* 97. damnatae, et proscriptae sunt duriores, asperioresque sententiae quorumdam Theologorum, quibus praeivit Petrus de Osma Theologiae in Salmaticensi Academia Professor, quique ajebant ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni Christi lege institutum, hodiernam autem disciplinam concedendae absolutionis ante actam poenitentiam pro abusu habendam esse. Similem errorem in synodo Pistoriensi Scipionis de Ricciis condemnavit Pius VI. *in Const. Auctorem fidei* §. *XXXV.* Consule quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *sect.* 4. §. 80. *et not.* 2. *pag.* 141. *et* 142.

DE JURE ECCLESIASTICO PUBLICO, AC PRIVATO.

CAPUT XVII.

§. I.

Praeter Jus Canonicum scriptum, et non scriptum, aliam quoque divisionem juris ejusdem constituunt, qui sunt in his studiis, doctrinisque versati. Nimirum aliud esse docent jus ecclesiasticum, quod publicum, aliud, quod privatum appellant (1). Publicum vocant, quod pertinet ad statum totius Ecclesiae, reique publicae administrationem, privatum vero, quod commoda respicit, atque utilitatem singulorum. Eamdem hanc divisionem Jurisconsulti ponunt in jure profano, et aliud quidem esse statuunt jus civile, aliud vero jus civitatis (2). Hoc sane publicum jus est, quia nimirum proprium est civitatis, atque imperii, statumque complectitur totius reipublicae, ac civitatis. Jus civile privatum est, quoniam ea comprehendit, quae singulos cives attingunt, uti sunt testamenta, contractus, donationes, cetera generis ejusdem. Nihil horum respicit statum, incolumitatemque civitatis, quae sarta tecta est; qualiscumque sit inter singulos cives modus contractuum, testamentorum, donationum. At si reipublicae administrandae ratio pervertatur, si tollantur Magistratus, aut eorum minuatur auctoritas, publicum hoc negocium est, quod non spectat ad cives singulos, sed ad totam societatem universe.

(1) Confer Gregorium Zalwein *Princip. Jur. ecclesiast. quaest.* 1. *cap.* 1. §. 6. *tom.* 1. *pag.* 13. *edit. August. Vindelic.* 1763.

(2) L. 1. *ff. de justit. et jur.*

(3) Consule Cujacium *in L.* 1. *ff. de just. et jur. opp. tom.* 7. *col.* 4. *seqq. edit. Venet.* 1758., et Donellum *de Jur. Civili lib.* 2. *cap.* 5. *seqq. opp. tom.* 1. *col.* 207. *seqq. edit. Lucae* 1762.

§. II. Simili modo in Ecclesia duplex rerum ordo, statusque distinguitur; alter scilicet privatus, qui ad unumquemque pertinet Christianum hominem, et alter publicus, qui ad totam spectat Ecclesiam. Multa enim sunt, quae hominem quemvis attingunt, ejusque rebus ita consulunt, ut ex iis minime pendeat vel ordo generalis, vel totius Ecclesiae incolumitas. Omnia haec in primis sunt instituta propter bonum singulorum fidelium; atque in hos tantum omne redundat commodum, vel incommodum, res vero publica Ecclesiae neque si observentur, utilitatem, neque si negligantur, jacturam aliquam facit. Contra sunt multa, quae aut Ecclesiae fundamenta constituunt, aut pertinent ad statum Ecclesiae, ejusque administrationem, et ordinem, ad ejus Rectores, et Ministros, eorumque jura, officia, cetera generis ejusdem. Haec quidem omnia non unius, aut alterius Christiani hominis commodo, sed propter bonum, atque utilitatem totius corporis sunt constituta.

§. III. Sic Ecclesiae status ita est a Christo Servatore ordinatus, ut eam regant Apostolorum successores Episcopi, atque ut omnibus unum praesit caput, Petri successor, qui centrum unitatis est omnium particularium Ecclesiarum. Est etiam divina lex, ut hic princeps, et caput omnium, cui tota credita Ecclesia est, tantam habeat potestatem, quanta est necessaria ad regendam Ecclesiam universam; Episcopis vero sit potestas, eaque capiti obnoxia, quam postulat rectae administrationis ratio in eo regionis tractu, quem singuli ab Ecclesia regendum acceperunt. Sunt haec juris ecclesiastici publici, quoniam non singulos, sed corpus universum, statumque Ecclesiae respiciunt. Inde profluet ecclesiasticae Hierarchiae tum Ordinis, tum Jurisdictionis ratio, inde jura, et officia Romani Pontificis, Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum, Episcoporum, horumque electiones, et translatio-

nes; inde Ecclesiae potestas, jus legum ferendarum, habendorumque Conciliorum modus. Huc etiam referenda sunt ea; quae de fide traduntur, ejusque judicibus, de Liturgia, de sacramentorum administratione, sacrisque ritibus, ac caeremoniis, de Ecclesiae disciplina, de festis diebus, jejuniis, asylo templorum, ceterisque similibus, quae propria sunt ecclesiasticae potestatis, et administrationis. Cuncta haec ad jus ecclesiasticum publicum diriguntur.

§. IV. At jus privatum, uti diximus, faciunt quae non statum, et incolumitatem totius Ecclesiae, sed tantum singulos homines, aut eorum certum genus respiciunt. Huc spectant quae de vita, et honestate clericorum (1), de recto ecclesiasticorum redituum usu, de Canonicorum disciplina, eorumque conventibus, ordine, gradibus, officiis, de Regularibus institutis, de Ordinum interstitiis, de aetate Ordinandorum, de titulo Ordinationis, de irregularitatibus plerisque, de pluribus ab uno clerico non retinendis beneficiis, de piis fidelium oblationibus sunt constituta. His addendae sunt causae matrimoniales, et beneficiales, in quibus privata jura persequimur, cetera demum, quae non totius reipublicae, sed privatorum sunt. Cuncta haec ad jus publicum referri nequeunt, quoniam non spectant ad Ecclesiae universitatem, ejusque formam, atque administrationem, aut ad ejus praefectos, eorumque officia, et potestatem; sed contra privati juris sunt, quia mores ordinant privatorum, atque in recta eorum gubernatione sunt posita.

(1) Consule Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *de reform.*

§. V. Non omnia, quae publici juris sunt, simili prorsus modo ubique observantur. Quae a Divina institutione procedunt, ubique sunt eadem, ac plane similia, neque moribus, aut humana aliqua lege mutari possunt. At quae libere sunt ecclesiasticae institutionis, non a Christo, sed ab Ecclesia pro accepta divinitus auctoritate praescripta varia esse possunt, et varia sunt revera pro diver-

sitate Ecclesiarum. Nam ea pertinent ad illam ecclesiasticae disciplinae partem, quae est Ecclesiae potestati, ac judicio commissa, et quam ubique eamdem esse nihil necesse est. Quae quidem dissimilitudines ex differentibus causis factae sunt. Nam oriri potuerunt, vel ex primis Ecclesiarum fundatoribus, scitisque particularium Conciliorum, morumque varietate; vel ex diligentiori custodia veterum canonum, atque institutorum, a quibus aliae Ecclesiae recesserunt; vel ex studio redeundi ad antiquam disciplinam, dum aliis contra placuit novam retinere; vel ex temporum, rerumque vicibus, quae Ecclesias aliquas ad constituendum jus novum coegerunt; vel denique ex peculiari aliquo Sedis Apostolicae beneficio, ac privilegio. Hinc intelligimus, disciplinam ex. gr. in Hispania receptam argumento esse non posse, quod eadem etiam in Germania, aut in Galliis obtineat; cum unaquaeque natio suam peculiarem habeat, et suam retinere unaquaeque debeat (1).

(1) Bene Ratherius Episcopus Veronensis *praeloquior. lib. 3. tit. 5. col.* 81. *edit. Veron.* 1765. » Licet consuetudines, *inquit*, pro ritu, et » proprietate gentium sint discretae; uno spiritu omnes consecrantur, si» cut et uno Baptismate omnes lavantur ».

DE ANTIQUIORIBUS CANONUM COLLECTIONIBVS.

CAPUT XVIII.

§. I.

Sacrarum, divinarumque rerum curam, et administrationem a Christo fuisse creditam Ecclesiae, eamque divinitus accepta potestate condendi leges, quae ad illas pertinerent, semper usam fuisse, hactenus ostensum est. Hae leges tractu temporis unum in corpus collectae sunt,

ne incerto vagarentur, atque ut omnibus exploratae fierent; atque ita illae prodierunt canonum collectiones, ex quibus *Juris canonici corpus* efficitur. Principio vix ullas oportuit novas leges emittere; cum veteres illi Christiani Traditione potissimum, ac Scriptura regerentur. Sed labentibus annis cum multa quotidie inciderent, quae certis regulis indigebant, eae porro conditae sunt, ut iis Christianorum mores, atque instituta dirigerentur, quod factum ab Ecclesia est non modo post Constantinum, cum Christiana Religio dominaretur, sed etiam cum Ethnici Principes imperium tenerent, vexarentque crudeliter eos, qui se Christianorum sacris addixerant. Hinc aucto in dies canonum numero, visum est eos ex multis conciliis collectos in unum corpus conferre; quod primum facere coeperunt Graeci, quos postea Latini imitati sunt. Nobis propositum non est omnes persequi canonum collectiones, quae usque ad hanc nostram aetatem prodierunt; praecipuas tantum indicabimus, in ceteris magna cum laude versati sunt viri docti, atque in primis Fratres Ballerinii, qui omnium in hoc argumenti genere industriam, diligentiamque superarunt.

§. II. Multae hujusmodi collectiones singulis fere aetatibus editae sunt; sed non eadem omnium methodus, idemque institutum est. Quaedam enim canones integros, quaedam contractos, aliae solos canones, aliae et leges describunt, atque hae a Graecis *Nomo-canones* appellantur. Quod attinet ad methodum, in antiquioribus servata est, ut plurimum, ratio temporum, in recentioribus materiarum; scilicet ad certa capita, et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur. Nos primum celebriores ex antiquis collectionibus expendemus, postea recentiores, quibus constat corpus Juris Canonici, quo nunc in scholis, et in foro utimur.

§. III. Antiquissima, cujus mentio fit in ecclesiasticis monumentis, est collectio *Canonum Apostolorum*, seu *Apostolicorum*, quos aliqui ab ipsis Apostolis conditos, atque a Clemente Petri discipulo, et successore editos putarunt (1).

Sane, dubitari non potest, quin Apostoli Ecclesiae bene administrandae gratia certas regulas, seu canones constituerint, et eas quidem regulas, verbo traditas, credibile est literis fuisse consignatas, et Canonum Apostolorum nomine inscriptas. Sed non inde efficitur; ut, quae nunc eo nomine circumfertur, collectio Apostolis adscribenda videatur. Scilicet regulis illis ab Apostolis initio traditis, posteaque scripto mandatis plures labentibus annis factae sunt accessiones, et ita absoluta collectio, qualis nunc est, eaque retinuit titulum, quem initio habebat, *canonum Apostolorum* (2). Ea sane recentioris aetatis est; et vero cum ejus nulla sit mentio apud illos, qui res gestas Apostolorum diligentissime collegerunt (3); cum in ea multa sint, quae cum illorum aetate componi nulla ratione possunt (4), et quaedam etiam, quae Ecclesiae doctrinae adversantur (5); cum demum viri fuerint doctrina, et auctoritate graves, qui canones ea comprehensos apocryphos judicarunt (6); certum omnibus, exploratumque est, illum neque Apostolis, neque Clementi adscribi posse (7). Idem esto judicium *de libris octo Apostolicarum Constitutionum*, quae ejusdem Clementis nomine in manus hominum pervenerunt (8).

(1) Fuit haec pene recepta Graecorum sententia Certe in hac fuisse opinione Joannem Antiochenum, non obscure ipse declarat in epigraphe ante hos canones descripta: » Sancti Domini Discipuli, et Apostoli octo» ginta quinque canones Clementis opera ediderunt «. Eadem videtur fuisse sententia Concilii Trullani *can.* 2. uti ad hunc canonem animadvertunt Balsamon, et Zonaras apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 159. *edit. Oxonii* 1672. Quin etiam S. Joannes Damascenus *de fin. orthodox. lib.* 4. *cap.* 17. *tom.* 1. *pag.* 284. *edit. Venet.* 1748. canones Apostolorum inter libros hagiographos S. Scripturae recensendos putat, quod ab eo minus considerate dictum observat Baronius *ad an.* 102. *num.* 10. *tom.* 2. *pag.* 18. *edit. Lucae.* Quam Graecorum sententiam etiam aliqui ex Latinis sequuti sunt, veluti Turrianus *ad ver. Centur. Magdeburg. lib.* 1., et Panvinius *in tabulis conc. praemis.. vit. Pontif. Platinae.*

(2) Consule Petrum Coustantium *praefat. in epist. Rom. Pontif. n.* 51. *pag. LVI.*, et Fratres Ballerinios *in append. ad opp. S. Leonis M. cap.* 1. *pag.* 5. *tom.* 3. *edit. Venet.* Itaque minus recte Gabriel Albaspinaeus *lib.* 1. *observ.* 13. *pag.* 32. *edit. Neapol.* 1770. Latinos arguit imperitiae, quod eos canones *Apostolorum* vocarunt, cum tantum *Apostolicos* vocare debuissent, quoniam eorum aliquot a viris Apostolicis conditi sunt. Fateor enim rectissime dici *Apostolicos Canones*; sed ex iis, quae observata sunt, perspicue colligitur, quare etiam *Apostolorum Canones* recte appellentur. Videndus Beveregius *Coll. canon. Eccles. primitiv. illustrat. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 11.

(2) Nullam eorum canonum mentionem uspiam faciunt Eusebius Caesariensis, S. Hieronymus; et ceteri, qui in conservanda ecclesiasticorum Scriptorum memoria diligentissime versati sunt.

(4) Apostolorum, ac S. Clementis aetate recentiores sunt Cantores, Lectores, Hyppodiaconi, similiter recentiora sunt annua concilia metropolitana, divisio Parochiarum, distinctio bonorum Ecclesiae a bonis Episcopi, quorum omnium meminerunt canones Apostolorum, 15. 26 37. 40. 43. 69. apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 10. 16 25. 27. 29. 45. *edit. Oxonii* 1672. Neque vero, quod Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *de sacram. ordin.* tum Hyppodiaconos, tum Lectores, ceterosque minores ordines refert ad Ecclesiae initium, id argumento esse potest, quod iidem ordines Apostolorum aetate instituti fuissent. Nam quid proprie sit *Ecclesiae initium* in Synodo Tridentina non constat; et hinc S. Thomas *in supplem. par.*3. *quaest.* 37. *art.* 2.; aliique minores hos ordines procedente tempore sibi Ecclesiam constituisse docent, uti demonstratum est *cap.* 10. §. 3. *et* 9. *not.* 2. *et* 3. *pag.* 199. *et* 210.

(5) Ita *can.* 46. *et* 47. haereticorum baptismus irritus declaratus, et *can.* 50. trina mersio in baptismo necessaria dicitur ad vim sacramenti; quod utrumque Ecclesiae doctrinae non congruit. Canon autem quintus, quod facile intelligit quisquis ecclesiasticas antiquitates novit, nihil habet, quod Romanae Ecclesiae doctrinae adversetur. Non enim ex eo colligi quidquam potest adversus caelibatum clericorum, quod post Balsamonem, et Zonaram putavit Guillelmus Beveregius *loc. cit. tom.* 2. *pag.* 18., ut genio indulgeret hominum, quorum partes, et studia sequebatur.

(6) Isidorus Hispalensis apud Gratianum *can.* 1. *dist.* 16. apocryphos vocat canones Apostolorum. Quod non ita intelligendum est, quasi ipse falsos, ac plane rejiciendos eosdem canones judicaverit; sed quia pro certo habuit, eos ab Apostolis conditos non fuisse, multaque habere, quae neque Apostolorum aetati, neque Romanae Ecclesiae institutis conveniunt. Etiam in *can.* 3. *ead. dist.*, quem canonem Gratianus tribuit Leoni IX. P., sed revera tribuendus est Humberto Sylvae candidae Episcopo, et ipsius Leonis Legato, uti ostendit Berardus *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti tom.* 2. *par.* 2. *cap.* 81. *pag.* 310. *edit. Venet.* 1783. Apostolici canones apocryphi declarantur, *exceptis quinquaginta*. Contra *in can.* 4. *dist. ead.* canones illi approbantur; sed hic canon ex officina prodiit Isidori Mercatoris.

(7) Ea de re late, inter ceteros, agunt Doujatus *Praenot. Canon. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 284 *edit. Venet.* 1735., Pagius in *Baronium ad an.* 102. *num.* 10. *pag.* 19. *tom.* 2. *edit. Lucae*, Cavaeus *Script. Ecclesiast Histor. literar. in Clement. saec. Apostol. tom.* 1. *pag.* 29. *edit. Oxonii* 1740., Petrus de Marca *Concord. Sacerd. et Imper. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 81. *seq.*, Beveregius *in praefat.* ad suas in hos canones adnotationes, quae extant *in fin. tom.* 2. *Synodic. sive Pandect. canon. pag.* 1. *seqq. edit. Oxonii* 1672. *et in Cod. Canon. Eccles. primitiv. vindic.*, Cotelerius *PP. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 429. *edit. Amstelod.* 1724.

(8) Binae hujus Pontificis extant epistolae, quas viri docti veras judicant; altera integra est, alterius vero tantum fragmenta supersunt. Tum illa, tum haec referuntur a Constantio *in epist. Rom. Pontif. pag.* 9. *seqq.* Harum epistolarum veritatem late demonstrant Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *cap.* 12. *art.* 12. *tom.* 3. *pag.* 41. *edit. Venet.* 1776., et Mamachius *dissertationibus*, *de septem Diaconis*, *deque epistolis ad Corin-*

thios, *et martyrio S. Clementis P. M. dissert.* 2. edita Romae an. 1749., cum theses defenderet Clemens Chodykiewioz Ord. Praed. Sed libros octo Apostolicarum Constitutionum, et cetera, quae Clementi tribuuntur, ejus revera non esse, ostendunt Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. in Clemente Rom. opp. tom.* 7. *pag.* 23. *edit. Venet.* 1721., Baronius *ad an.* 32. *n.* 18. *tom.* 1. *pag.* 96. *edit. Lucae*, ibique-Pagius *in critic. ad an.* 100. *num.* 8. *pag.* 17. *tom.* 2., Perronius *traité de S. Sacrement liv.* 2. *du S. Sacrement de l' Eucharistie chap.* 2., Petavius *ad Epiphanium exposit. fidei lib.* 3. *num.* 10. *pag.* 290. *edit. Paris.* 1622., Christianus Lupus *Synodor. general. par.* 3. *in can.* 2. *Concil. Trullan. opp. tom.* 3. *pag.* 55. *edit. Venet.* 1724., De Marca *concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. *pag.* 81., Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *dissert.* 19. *pag.* 189. *tom.* 3. *edit. indic.*, Ceillierus *Histoir. des auteurs sacr. etc. tom.* 3. *chap.* 33. *num.* 4. *pag.* 637.

§. IV. Joannes Dallaeus Calvinianus homo cum intelligeret, hos canones, si antiqui habeantur, atque ad primitivam referantur Ecclesiam, maxime adversarios esse causae Calvinianorum, eos quinto demum adulto saeculo in lucem prodiisse, atque a Graeco, eoque haeretico homine non multo ante annum 494. confictos videri defendit. Sed Dallaeum firmiter refutavit Guillelmus Beveregius (1), qui plane ad evidentiam Apostolicorum canonum antiquitatem vindicavit. Hodie omnibus persuasum est, eosdem canones tertio adulto, aut ad exitum vergente saeculo in manus hominum pervenisse (2). Est autem haec collectio composita ex canonibus Conciliorum, quae secundo, ac tertio saeculo habita in Oriente sunt (3); praeterea magna ex parte constat ex Apostolicis traditionibus, atque ex consuetudinibus virorum Apostolicorum usu confirmatis (4).

(1) Beveregius *in praefat. ad adnot. in Canon. Apostolic. tom.* 2. *Pandect. canon. in fin.*, et potissimum *in Cod. Canon. Eccles. primitiv. vindic. et illustrat.* apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 1.

(2) Confer Beveregium *ibid. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. *pag.* 10.

(3) Petrus de Marca *Concord. Sacerdotii et Imper. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. *pag.* 82., et Joannes Doujatus *praenot. canon. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. *pag.* 285. *edit. Venet. indic.* serius evulgatos putant canones Apostolicos, propterea quod in illa de iterando Baptismo ab haereticis collato controversia nullam eorum fecere mentionem Firmilianus, et Cyprianus, qui suam contra Stephanum Summum Pontificem sententiam propugnare potuissent auctoritate eorumdem canonum 46. et 47., in quibus haereticorum Baptismus diserte improbatur. Sed nullum ab his canonibus, qui ceteris neque antiquitate, neque auctoritate potiores erant, quaeri singulare praesidium poterat, quo

controversia illa expediretur. Neque pluris facienda est sententia illorum, qui hos canones editos putant, cum illa de haereticorum Baptismo controversia ferveret, ut nimirum Stephano Pontifici, qui Romanae Ecclesiae traditione, et auctoritate nitebatur, Apostolorum auctoritas opponeretur. Nam canonibus, qui ad eam controversiam pertinent, multo serius tributum est Apostolorum nomen, neque sibi quis persuaserit, Cyprianum, Firmilianum, ceterosque Episcopos rem illam agere voluisse fraude tam gravi, ac tam manifesta, ut tamquam canones Apostolorum praedicarent canones, quorum saltem aliquos a decessoribus suis conditos non ignorabant. Accedit quod his canonibus diserte probatur consuetudo Ecclesiae Romanae de celebrando Paschate; nam *can.* 5. deponi jubetur Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui Paschatis diem ante vernum aequinoctium cum Judaeis celebraverit. Id vero repugnabat sententiae Firmiliani, qui *in ep. ad Cyprianum inter Cyprianicas* 75. *pag.* 319. Romanos in celebrando Paschate errare contendit. An est credibile, Firmilianum tamquam Apostolorum regulas proponere voluisse canones, qui Romanorum sententiam aperte comprobant, suam vero improbant disertissime?

(4) Confer Coustantium et Fratres Ballerinios *loc. indic.*

§. V. Haud tamen haec collectio tota simul, atque ab uno auctore confecta est sed plures diversis tum temporibus, tum locis additiones accepit. Quo factum est, ut *Canones Apostolici* modo plures, et modo pauciores, alibi 85., alibi 50. apud antiquos collectores descripti inveniantur (1). Trullana Synodus probavit canones octuaginta quinque numero (2), et hinc Photius, Alexius Aristinus, Joannes, Zonaras, Theodorus Balsamon, Constantinus Harmenopulus, ceteri demum Graeci, qui postea canonum collectiones evulgarunt, eumdem hunc illorum numerum retinuerunt. Sed Latini tantum quinquaginta numerant canones Apostolorum, quot scilicet in sua collectione descripsit Dionysius exiguus, cujus opera primum Latina Ecclesia eosdem canones cognitos habere coepit (3). Itaque nec plures, nec pauciores habent Gratianus, ac ceteri, qui suam in colligendis ecclesiasticis regulis apud Latinos operam posuerunt (4).

(1) Videndus Beveregius *Cod. Canon. Eccles. primitiv. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. *pag.* 11.

(2) Concilium Trullanum seu Quini sextum *can.* 2. *tom.* 7. *Concil. collect. Labbaei col.* 1343. *edit. Venet. Coleti.*

(3) Unus hic amovendus est obex. In celebri decreto Gelasii Pontificis *de libris recipiendis, et non recipiendis,* mentio fit *Canonum Apostolorum*, eorumque liber inter apocryphos recensetur. Atqui decretum hoc

editum est in Concilio Romano anni 494. seu potius 496. *tom.* 5. *Concil. col.* 396. *collect. ejusd.*, scilicet antequam Dionysius canones illos in sua collectione describeret; ex quo confici videtur posse, Latinam Ecclesiam novisse canones Apostolicos, antequam eos Dionysius ex graeco in latinum converteret. Verum particulam illam Gelasiani decreti, quae pertinet ad canones Apostolorum, non Gelasii esse, sed Hormisdae, qui anno 514., scilicet post Dionysii collectionem. Pontificatum maximum obtinuit, ostendunt Fratres Ballerinii *in appendic. ad oper. S. Leonis M. tom.* 3. *cap. CLI. et seq. par.* 2. *cap.* 11. §. 5. Revera plerique, ac praestantiores codices, qui decretum illud Gelasii nomine describunt, nihil habent de canonibus Apostolicis, contra vero nulli prorsus codices, qui illud Hormisdae adscribunt, iisdem canonibus carent; quod magno argumento est, Hormisdae esse additamenta, quae canones illos comprehendunt. Ceterum in quibusdam codicibus etiam Damaso hoc decretum tribuitur, quod cum animadverteret Stephanus Baluzius *in notis ad Gratianum* apud Antonium Augustinum *de emendat. Gratian. lib.* 2. *dialog.* 20. *edit. Riegger. Venet. pag.* 442. in eam descendit sententiam » Damasum fortassis primum omnium de hujusmodi libris publice statuisse, deinde vero Gelasium renovasse decretum Damasi, illudque auxisse eorum auctorum nominibus, qui post Damasum vixere. Quod idem de Hormisda quoque dici potest ». Cui assentiuntur Jo. Laurentius Bertius *Histor. Eccles. tom.* 4. *dissert.* 12. *cap.* 2. *pag.* 175. *edit. Bassani* 1769., et Fratres Ballerinii *loc. cit.* §. 5. *num.* 6. *et* 7. *pag. CLV.*, qui primam illam decreti partem, quae de Spiritu S. est, referendam putant ad Damasum, qui adversus Macedonium divinitatem Spiritus S. definivit. Sed haeretici, qui sacrorum Bibliorum numerum suo lubitu, ac suarum sectarum commodo circumcidunt, atque amputant, nullam esse contendunt auctoritatem hujus decreti, in quo libri Job, Thobiae, Judith, Machabaeorum, Pauli epistola ad Hebraeos, duaeque epistolae Petri, Joannis tres, Judae una, et Apocalypsis memorantur. Eos inter Joannes Pearsonius *in vindic. epist. S. Ignatii Martyris par.* 1. *cap.* 4. apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 276. *seqq. edit. cit.* incertum illius auctorem existimat, et cum nullam ejus mentionem fecerit Dionysius exiguus in sua collectione, illud refert ad tempora Gelasio, ac Dionysio recentiora, atque editum putat post synodum V., seu Constantinopolitanam II. an. 553. Guillelmus autem Cavaeus *Histor. Literar. Scriptor. Ecclesiast. ad an.* 492. *in Gelasio tom.* 1. *pag.* 463. *edit. Oxonii* 1740. decretum hoc plane despiciendum putat, atque ex eadem prodiisse Isidori officina, ex qua primorum Pontificum Decretales prodierunt. Sed omnia ejus argumenta ex iis, quae dicta sunt, facile diluuntur. Nam his constitutis, nemini mirum videri debet, quod decretum et Damaso, et Gelasio, et Hormisdae adscribatur: quod item in eo memorentur libri Gelasio recentiores; quod denique fiat mentio canonum Apostolorum, quos Dionysius exiguus post Gelasium in Latinum vertit.

(4) In Concilio Romano, quod habitum est anno 769. Stephano III. Pontifice *act.* 4. *tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 485. habentur haec » non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quae suscipit sancta Dei catholica Romana Ecclesia ». Quod etiam constitutum est *can.* 3. *dist.* 16., cujus paulo ante mentionem fecimus. Itaque viri docti in *can.* 2. *dist.* 16. legendum esse animadvertunt *quinquaginta*, non *sexaginta*; quae tamen decretalis Zephirino Pontifici attributa Isidori Mercatoris commentum est.

§. VI. Proximum (1) post canones , qui dicuntur , Apostolorum locum obtinet collectio, cujus fit in Chalcedonensi Concilio mentio (2). Non satis in aperto est , quibus canonibus ea collectio constaret , et forte initio tantum comprehendit canones Nicaenos (3), Ancyranos , Neocaesarienses , atque Gangrenses (4) ; licet postea canones etiam aliarum synodorum adjecti fuerint (5) . Nam primum accesserunt canones Antiocheni , quorum sane incrementum acceperat Codex , qui in Concilio Chalcedonensi lectus fuit ; tum in aliquo Codice Chalcedonenses , et Constantinopolitani , in aliquo Laodiceni , Constantinopolitani , Chalcedonenses. Non enim omnium Codicum eadem est ratio , cum non una mens esset eorum , quorum opera , et voluntate illae in primo Codice accessiones fiebant (6).

(1) Christophorus Justellus *Codicem canonum Ecclesiae universae* , quem Parisiis edidit an 1610. , illum esse putat antiquum Codicem , cujus in Chalcedonensi Concilio fit mentio, et quo ante ipsum Concilium tum Orientalis , tum Occidentalis Ecclesia utebatur. Verum illam *Codicis Canonum Ecclesiae universae* inscriptionem uti nimis speciosam improbant Fr. Florens. *in dissert. de orig. art. et auctor. jur. canon. pag.* 27. *tom.* 1. *edit. Norimberg.* 1756. , et Petrus Coustantius in *praefat. ad epist. Rom. Pontif.* §. 1. *num.* 53. *seqq. pag. LVIII.* , neque haec collectio, qualis est a Justello edita , in ullo antiquo codice reperitur , uti falso putavit Van-Espenius *dissert.* 3. *de pristino cod. Eccles. Rom.* §. 3. *pag.* 13. *edit. Lovanii* 1759., sed eam ipse composuit ex pluribus collectionibus suo arbitratu. Extat hic Justelli Codex *in Bibliotheca Juris Canonici* Guillielmi Voelli, et Henrici Justelli *tom.* 1. *pag.* 29. *edit. Paris.* 1661. , atque hi in praefatione Bibliothecae praemissa Christophorum defendunt , quod gloriosam illam inscriptionem in sua collectione usurpavit. Hoc idem Justelli inventum serio , ac bona fide probarunt Jo. Albertus Fabricius *Biblioth. Graec. tom.* 11. *pag.* 50. *edit. Hambur.* 1705. , Guillelmus Cavaeus *Scriptor. Ecclesiast. Histor. literar. in saecul. V. ad an.* 451. *tom.* 1. *pag.* 486. *edit. Oxonii* 1740. , Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 1. *tom.* 3. *pag.* 200. Sed multa sunt , quae evidenter ostendunt , neque illum fuisse codicem canonum Ecclesiae , neque umquam approbatum fuisse a Romana praesertim Ecclesia , quae ea aetate , praeter Apostolicae Sedis statuta , tantum Nicaenis , ac Sardicensibus canonibus utebatur , quaeque saeculo quinto nondum uti coeperat canonibus Ancyranis , Neocaesariensibus , Gangrensibus , Antiochenis. Quid dicam de canonibus Concilii Constantinopolitani , qui in Justelli codice descripti sunt ? Eos porro ne sexto quidem exeunte saeculo ab Ecclesia Romana receptos fuisse constat ex S. Gregorio M *lib.* 7. *ep.* 34. *ad Eulogium Alexandrin. et Anastasium Antiochenum opp. tom.* 2. *p.* 882. Quin ex iis , quae a Christiano Lupo *in scholiis opp. tom.* 5. *pag.* 351. *seqq. edit. Venet.* 1724. , et a Fratribus Ballerinis *in append. ad opp. S. Leonis par.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *pag.* 55. animadversa sunt , non obscure depre-

henditur, ne a Graecis quidem ante Chalcedonense Concilium Constantinopolitanum fuisse relatum inter generalia, quae ad totam Ecclesiam pertinerent.

(2) In quibusdam Chalcedonensis Concilii actionibus non solum codicis canonum expressa fit mentio, sed etiam aliqui ex eo codice canones recitantur, et quidam etiam distincti numeris, qui perpetuam, et continentem eorum seriem ostendunt; atque id quidem nonnisi in veram, ac numeris omnibus absolutam canonum collectionem quadrare potest. Sebastianus Berardus in opere, cui titulus *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti etc. observ.* 1. *par.* 1. *pag. VIII. seqq.* nullam certam, omnibusque communem fuisse censet canonum collectionem, qua Chalcedonenses Patres usi sunt, sed omnes Episcopos suas ad Concilium detulisse collectiones canonum, quibus unusquisque in sua dioecesi utebatur. Sed utut verum habeatur, loca illa actorum Concilii, quae Berardus expendit, referri posse ad eas peculiares collectiones, quas singuli Episcopi secum detulerant; certe series illa numerorum, quibus erant distincti canones (quae quidem una, et eadem fuit omnibus Concilii Patribus) perspicue demonstrat, eosdem Patres indicasse collectionem unam, quae omnibus nota esset, quaque cuncti universe uterentur. Ita in actione de Caroso, et Dorotheo canonum numeri designantur.» Sancta Synodus dixit, sacri Patrum canones legantur, et » commentariis inserantur ». Sumptoque libro » Aetius Archidiaconus, et » Primicerius magnae Ecclesiae legit » *Canon LXXXIII. si quis Episcopus etc. Canon. LXXXIV. si quis Presbyter aut Diaconus etc.* Sunt duo canones Concilii Antiocheni quartus, et quintus, qui in Codice descripti post canones Nicaenos XX., Ancyranos XXV., Neocaesarienses XIV., et Gaugrenses XX. perpetua numerorum serie a Nicaenis incoepta erant canones LXXXIII. et LXXXIV. *tom.* 4. *Concil. Labbaei col.* 1427. *et seq.* Similiter *actione X.* duo alii canones Antiocheni XVI. et XVII. cum numeris XCV. et XCVI. propriis ejusdem codicis describuntur. Sic etiam Episcopi provinciae Pisidiae in epistola Synodica ad Leonem Augustum, quae inserta est Codici Encyclyco, eumdem Antiochenum canonem quartum laudarunt eo numero, quo in codice descriptus erat, scilicet LXXXIII. Hi porro canones non Antiocheni appellantur, sed tantum codicis numero distinguuntur; quod claro argumento est, Chalcedonenses Patres unum, et eumdem omnes agnovisse codicem, in quo plures conciliorum canones referebantur, et quo ipsi in Concilio usi sunt. Secus enim canones universo Concilio proponi, ac laudari non potuissent secundum numerum, quo in eo codice describebantur. Jam quis auctor hujus collectionis? Id plane incertum est; illud vero exploratum, compertumque esse videtur, eam non publica auctoritate, sed privati hominis studio fuisse compositam.

(3) Nicaenum Concilium, quod primum oecumenicum est, canones edidit XX., et hunc sane numerum vetusti omnes codices retinuerunt, neque audiendi sunt, qui eumdem augendum putarunt, uti ostendunt Pagius in Baronium *ad an.* 325. *num.* 43. *pag.* 149. *et.* 150. *tom.* 4. *edit. Lucae*, Natalis Alexander *Histor. Eccl. saec.* 4. *dissert.* 18. *tom.* 4. *pag.* 387. Christianus Lupus *schol. cap.* 8. *tom.* 1. *opp. pag.* 278. *seqq. edit. Venet.* 1724. Hujus porro amplificandi canonum numeri causa fuere praesertim canones quidam Arabici supra octuaginta, qui saeculo XVI. Concilii Nicaeni nomine ex Aegypto delati sunt, quique extant *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 297. *seqq.* Nimirum Baptista Romanus, sive, uti scribit Assemanus *Biblioth. Orient. tom.* 1. *cap.* 12. *pag.* 195. *edit. Romae* 1719. Baptista Elianus e societate Jesu, Pio IV. Pontifice, ex libro Patriarchae Alexandrini canones illos Alexandriae descripsit, atque in Europam detulit, et latine reddidit,

eosque primi Franciscus Turrianus, et Alphuusus Pisanus ex eadem societate evulgarunt. Octuaginta numero sunt, quos Turrianus una cum suo prooemio in vulgus emisit, sed Abrahamus Ecchellensis Maronita e Libano, praeter viginti vulgatos, octuaginta quatuor edidit cum notis, ac dissertatione, atque illis quidem adjecta sunt *Decreta*, et *Constitutiones de Monachis*, et *Anachoretis* quindecim, *aliae variae Ecclesiasticae Constitutiones* undeviginti: et *Sanctiones*, et *Decreta alia ex quatuor Regum ad Constantinum libris decerpta* vigintiquinque, quae omnia Nicaeni Concilii nomine ab Ecchellensi edita sunt. Assemanus *loc. cit.* memorat Arabicos hos canones numero septuaginta tres, quos Marutas Episcopus Tagritensis in Syrorum sermonem convertit. Atque illi quidem omnes, Turrianus scilicet, Pisanus, et Ecchellensis eosdem canones Nicaeno concilio adscribendos putant, quamquam Ecchellensis sic statuat: » omnes eos canones, diatyposes, seu constitutiones, in quibus omnes conveniunt Orientales nationes, authenticos esse, et legitimos Nicaenos, in quibus vero » non item, supposititios, et nothos ». Quin etiam fatetur ipse Ecchellensis, quosdam ex iisdem canonibus a Melchitis fuisse corruptos, et quosdam insertos, quosdam demum esse, qui alicui sectae, aut nationi probantur, ab aliis vero rejiciuntur. Sententiam hanc Abrahami Ecchellensis in medium revocavit Cardinalis de Aguirre *tom.* 1. *Concil. Hispan. dissert.* 8. eamque si non plane certam, tamen certo proximam esse defendit. Sed longe aliud visum est viris ecclesiasticarum rerum peritis, qui Arabicos illos canones Nicaeno concilio adscribendos negant, et id quidem, praeter eos, quos supra descripsi, ostendunt Beveregius *in append. ad tom.* 2. *Synodic. pag.* 210. *seqq. edit. indic.* Christianus Lupus *tom.* 1. *scholior. dissert. prooem. cap.* 4. *pag.* 22., Doujatus *Praenot. canon. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. *seqq.*, Ceillerius *Histoir. general des auteurs sacr. ecclesiast. tom.* 4. *chap.* 17. §. 34. *seq. pag.* 607. *seq.*, Berardus *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti par.* 1. *cap.* 7. *pag.* 60. *edit. indic.* Sed omnium diligentissime in hoc argumenti genere versatus est Eusebius Renaudotius in opere *la Perpétuité de la foi liv.* 9. *chap.* 2. *et* 6. *pag.* 648 *et* 683 *seqq. edit. Paris.* 1713.; qui quidem luculentissime ostendit, nullo modo Arabicos illos canones a Nicaenis Patribus conditos fuisse. Quod cum fixum, certumque maneat, reliquum est, ut videamus, quo auctore, quaque aetati hi canones primum in aspectum hominum venerint. Guillelmus Beveregius *loc. cit.* Arabicos canones 84., sive 80. longe post Nicaenum Concilium a Nestorianis, et a Melchitis conditos fuisse arbitratur. Scilicet subjecta Mahumetianis Alexandria, totoque Aegypti regno, et combusta jussu Homaris ejus civitatis bibliotheca, plane negligi, atque omitti coeperunt studia doctrinarum, quae tandiu in ea regione floruerant. Itaque in magna illa ignorantia literarum, qui Christianam adhuc Religionem colebant in plures divisi suot sectas, sed omnes tamen in Nicaeni Concilii fide consentiebant, ejusque canones magno in pretio habebant. Quo factum est, ut Melchitae, et Nestoriani canonibus illis viginti, quos Nicaeni Patres ediderant, alios adjungerent octuagintaquatuor, partim cum iis viginti consentientes, partim ex aliorum conciliorum decretis excerptos, eosque Nicaeni concilii nomine in lucem emitterent. Haec de his Arabicis canonibus Beveregii sententia est. Sed longe accuratius, ac verius Eusebius Renaudotius *loc. indicat.* rem totam explicavit. Principio autem sic statuendum est, Arabicos canones, quamquam hi a Nicaenis Patribus editi non sint, haud tamen esse contemnendos, uti multis visum est; quoniam non fraudis faciendae causa alicujus hominis ingenio conficti sunt, sed magnam partem

continent disciplinae Ecclesiarum Orientalium. Ea de causa eosdem probatos novimus sectis omnibus, licet hae regionibus, opinionibus, institutisque dissederent. Certum autem videtur, ex Graecis exemplaribus hos canones Arabice fuisse redditos, quod non tantum ex stylo, sed etiam ex Graecarum vocum, quae ibi occurrunt, copia manifestum est. Quare simillimum veri est, fundum hujus Arabicae collectionis fuisse collectionem aliquam ex vetustissimis illis, in quibus primum descripti erant Nicaeni, deinde ceteri Graeci canones Conciliorum IV. ac V. saeculi nullo notati nomine, et eadem cum Nicaenis numerorum serie dispositi. Mirum autem videri non debet, si calamitosis iis temporibus, quibus Orientales Mahumettanorum jugo premebantur, non eos, quos vertebant, canones accurate distinxerint, sed omnes indiscriminatim Niceno concilio attribuerint; cum Nicaenos appellatos viderent canones, qui primum in collectione locum habebant, nec alium legerent titulum in reliquis canonibus, qui continuo Nicaenos sequebantur. Quod si canones aliqui sunt (et hujus quidem generis sunt praecipue postremi) qui ad nullum ex antiquis conciliis referri possunt, ii porro non sunt fraude confecti, ita ut despiciendi videantur; sed ecclesiasticam continent disciplinam, qua Arabes ea tempestate regebantur. Cuncta haec Renaudotius solide, graviterque persequitur. De aetate, deque auctore hujus collectionis hoc dici potest, eam primum, ut videtur, compositam fuisse a Melchitis, sive Orthodoxis, neque ullas in ea partes habuisse Nestorianos, quoniam in ea referuntur conciliorum Ephesini, et Chalcedonensis canones, quos Nestoriani, et Jacobitae rejecerunt; eamdemque postea Christianos Orientales ceteros a Melchitis mutuatos fuisse. Neque illud minus perspicuum videtur esse, eamdem lucubratam fuisse ante orta dissidia Romanam inter, et Graecam Ecclesiam, cum non sit verisimile, iisdem ortis Graecos ea collectione complecti voluisse canones, qui Primatui Romani Pontificis apertissime favent, uti praesertim est sententia *canonis* 44. ex recensione Ecchellensis. Ac ne ambigi quidem potest, quin Arabici canones prodierint ante editam collectionem Isidori Mercatoris, quae in lucem venit medio circiter saeculo IX., quoniam Isidorus eorumdem canonum plus semel mentionem fecit. Omnes autem Orientales Ecclesiae, quod etiam testatur Josephus Aloysius Assemanus in *Praefat. ad lib. de Catholic. seu Patriarch. Chaldaeor. et Nestorian. pag. XLVII. seqq.*, ab annis amplius nongentis iis canonibus utuntur; et quamquam aliquatenus interpolati sint, tamen disciplinam continent, quae confirmata erat usu quotidiano, quaeque sumpta ex antiquioribus conciliis accomodata erat ad recentiorem aetatem. Ceterum ex ipsa hac collectione deprehenditur Ecclesiarum, ac Sectarum Orientis consensus, ac studium in retinenda, colendaque Ecclesiae traditione, contra ac a Protestantibus factum est. Cumque Orientales Arabicos illos canones tamquam Nicaenos, et oecumenicos habeant, suaque a catholica Ecclesia discessione antiquiores, facile intelligitur, eos ex suarum Ecclesiarum traditione ad antiquissima Ecclesiae tempora referre quidquid iis canonibus constitutum est. Quae igitur hi canones habent de Ecclesiae politia, de Hierarchiae ordine, aliisque Divinis, aut Apostolicis institutis, ea ex illarum quoque traditione Ecclesiarum a remotissima antiquitate auctoritatem habent.

(4) Dubitari non posse videtur, quin hic codex quarto adulto saeculo in lucem prodierit, quoniam in eo Gangrenses canones referuntur. Nam Concilium Gangrense post dimidium IV. saeculi habitum est, ponendumque videtur medio illo tempore, quod est inter annum 362., ac 370. Confer Ballerinios *Append. ad S. Leonem M. opp. tom. 3. par. 1. cap. 4. §. 1. pag. XXII. seq.*

(5) Consule Fratres Ballerinios *loc. cit. num.* 5. *pag. XIII. seq. edit. ejusd.*

(6) Quod cum retineatur, facile componi poterunt dissidia; quae inter eruditos sunt, de antiquissimo Graecorum Codice, quem Chalcedonense Concilium memorat. Nam quidam codices majorem, et quidam minorem habent numerum canonum, atque omnes ex hac codicum multitudine. et varietate eruditorum controversiae exoriuntur. Ego in codice in concilio Chalcedonensi lecto tantum descriptos arbitror canones quatuor conciliorum, quorum paulo ante facta mentio est. Sed plures deinde huic codici factae sunt accessiones, eaeque dissimiles, uti ferebat ingenium, ac studium eorum, a quibus hujusmodi accessiones fiebant. Inde orta est illa codicum diversitas, unde illae doctorum hominum controversiae prodierunt.

§. VII. Exemplo Orientalis Ecclesiae etiam in Occidente canonum collectiones fieri coeperunt, nationesque omnes suas habuerunt; quas inter omnium antiquissimus fuisse videtur codex canonum Ecclesiae Africanae, qui quidem canones tanti habiti sunt, ut ex latinis codicibus in graecum translati etiam in graecis collectionibus descripti fuerint. Romana Ecclesia ante Nicaenam synodum non aliis usa videtur regulis, quam Sacris Scripturis, et Traditione; ac tota fere disciplina moribus, et consuetudine magis, quam jure scripto plerisque in rebus regebatur. Si qua opus erat nova regula, quam res nata postulabat, ea praesertim a Summis Pontificibus proponebatur, quorum decreta, ut omnibus legis loco essent, in archivo, seu scriniis Sedis Apostolicae servabantur. Sed post habitam Nicaenam synodum ejus canones latine redditi sunt; atque iis Latina Ecclesia uti coepit una cum Sardicensibus (1).

(1) Innocentius I. *in epist. 7. ad Cler. et Popul. Constantinop.* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col.* 799. habet haec » quod autem ad » canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui » Nicaeae definiti sunt, quos solos sectari, et agnoscere debet Ecclesia catholica ». Ipse Innocentius *epist.* 5. *ad Theophilum Alexand. ibid. col.* 790. » Tu igitur, *inquit*, si judicio confidis, siste te ad synodum, » quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub te- » stibus Nicaeni Concilii canonibus (alium enim canonem Romana non ad- » mittit Ecclesia) securitatem habebis contradictionis expertem ». Cum Nicaenos canones Innocentius memorat, intelligit etiam Sardicenses, quoniam hoc concilium tamquam Nicaeni appendix habebatur. Ex utroque hoc Innocentii loco manifestum est, usque ad eam aetatem Romanam Ecclesiam

Nicaenos tantum canones agnovisse. Non defuerunt tamen, qui ea verba aliter intelligenda putarent, sed eos copiose refellunt Fratres Ballerinii *loc. cit. cap.* 1. §. 1. *et* 2. *pag. LI. seqq.*

§. VIII. Labentibus autem annis Graecorum codex, quem saepius laudarunt Chalcedonensis Concilii Patres, in Latinum sermonem conversus est; et duae quidem ante Dionysium hujusmodi versiones circumferebantur, altera, quae antiquior videtur, et *Isidoriana*, altera, quae forte paulo recentior est, ac *prisca* appellatur (1). Alteram hanc versionem indicare videtur Dionysius Exiguus, cum inquit, *se confusione priscae translationis offensum* ad novam versionem animum appulisse. Dionysius autem hic, cui Paschalis Cyclus, et Aera annorum Christi vulgaris refertur accepta (2), instituto Monachus fuit, quintoque, ac sexto Ecclesiae saeculo floruit (3). Modestiae causa, non quod corpore pusillus esset, esse *Exiguum* appellavit (4), sed vir fuit omni doctrina, et virtute ornatissimus. Hortatu et consilio Laurentii Romanae Ecclesiae magni Diaconi, et Stephani Salonitani in Dalmatia Episcopi novam Graecorum canonum versionem absolvit, suaque collectione complexus est L. canones Apostolorum, tum sub una numerorum serie canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, deinde Chalcedonenses, quibus ex latino autographo subjecti sunt Sardicenses XXI. (5), ac tandem Africani distincti in numeros CXXXVIII. Atque his quidem prima pars collectionis Dionysianae comprehenditur. Pars altera, quae serius in lucem prodiit, comprehendit epistolas decretales Summorum Pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Coelestini, Leonis, Gelasii, Anastasii, quibus postea decretales etiam aliorum Pontificum aliena opera accesserunt. Forte hae Decretales a Dionysio eductae non sunt ex scriniis Sedis Apostolicae, quoniam in iis et aliae plures extabant, quas ille omisit, licet summi momenti essent, atque ad ecclesiasticam disciplinam pertinerent.

(1) Isidoriana versio nomen accepit ab Isidoro, qui eam forte ex antiquiori Hispanica collectione descripsit. Prisca autem Graecorum canonum

antiqua interpretatio ea vocari solet, quam ex antiquo MSS. Codice vulgarunt Henricus Justellus, et Guilelmus Voellus *in Biblioth. Jur. Canon. tom.* 1. *pag.* 277 *edit. Paris.* 1661. Eam diligentius cognitam, emendatam iterum ediderunt Fratres Ballerinii *in appendic. ad opp S. Leonis M. tom.* 3. *col.* 481. *seqq.*

(2) Cum inter Occidentales, atque Orientales Ecclesias multae de tempore celebrandi Paschatis ortae, ac saepius renovatae contentiones fuissent, Dionysius circa annum Christi 525. Paschales Cyclos, sive Circulos ex Alexandrinorum rationibus commentatus est, rejecto Victorii Aquitanici, aliorumque Latinorum calculo, illorumque canonem induxit in Ecclesiam Romanam, atque ita fecit, ut idem esset utriusque Kalendarii usus, et nullae amplius essent inter Romanos, et Alexandrinos ea de re controversiae, Cyclum autem ipse instituit non, ut Victorius, annorum 532., sed annorum 95., quem cyclo S. Cyrilli jam deficienti attexuit; et cum Cyrillus ad annum Christi 531. suum cyclum deductum ex more sui temporis per annos Diocletiani perduxisset, Dionysius maluit ab Incarnatione Domini annos numerare, atque ita primus fuit, qui hanc annorum numerandorum rationem Christiano Orbi proposuit, quemadmodum ex altera ipsius Dionysii epistola ad Petronium ostendit Petavius *de doctrin. tempor. lib.* 11. *cap.* 2. *et* 3. Dionysianum hunc cyclum X saeculo emendandum suscepit S. Abbo Floriacensis Abbas, qui cyclos annorum Incarnationis dominica ab incarnati Verbi initio ad sua usque tempora, secundum Evangeliorum fidem emendavit, atque ad annos postea circiter mille quingentos nonagintaquinque produxit; qua de re videndus Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Benedicti in vit. S. Abbon. saec. VI. tom.* 8 *pag.* 45. *edit. Venet.* 1733., qui Abbonis cyclos illos esse indicat, qui inter Ven. Bedae opera referuntur. Communis sententia est, errasse Dionysium in figendo anno Dominicae Incarnationis; et Ceillerius quidem *loc. cit. chap* 8. §. 3. *tom* 16. *pag.* 224. eum a Dionysio constitutum judicat quatuor ante annos, quam revera Dei filius humanam carnem assumpserit. Verum superiori saeculo V. Cl. Henricus Sauclementius peculiari opere Romae edito cum titulo *De vulgari aerae emendatione libri quatuor* cum magna doctrinae copia defendit, aeram Christianorum, quae nobis vera, atque omnis expers erroris habenda est, sex annos praevertere oportere aeram illam vulgarem, qua nunc utimur Confer quae diximus *in Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 5. §. 3. *not.* 1. *tom.* 2. *pag.* 271. *seqq.* Ceterum de hoc Dionysio loquuntur Cassiodorus, qui suppar ejus aetati fuit, et consors studiorum *divinar. literar. cap.* 23 *pag.* 551. *tom.* 1. *edit. Rothomag.* 1679., Trithemius *de Scriptor. Ecclesiast. num.* 207. *in Biblioth. eccles. Fabricii circ. med. pag.* 57. *edit. Hamburgi* 1718., Bellarminus *de Scriptor. Eccles. opp. tom.* 7. *pag.* 201. *edit. Venet.* 172.., aliique complures. Ejus autem opera indicantur a Guillelmo Cavaeo *Scriptor. eccles. histor liter. saec. VI. tom.* 1. *pag.* 513., et Ceillerio *Histoir. general. des auteurs sacr. et ecclesiast. tom.* 16. *chap.* 8. *pag.* 220.

(3) Dionysius Romam venit Anastasio II. Pontifice, qui usque ad annum 498. Pontificatum tenuit. Aut sub eo, aut sub ejus successore Symmacho, primam suae collectionis partem edidit; sed pars altera certe post Anastasii obitum vulgata est. Nam in ea sunt Anastasii epistolae, non item Symmachi, et cum Dionysius dicat, se *praeteritorum Sedis Apostolicae Praesulum constituta collegisse*, perspicuum est, Anastasio mortuo in manus hominum pervenisse partem alteram, qua ejus epistolae continentur.

(4) Eodem hoc *exigui* nomine plures alii, ac praesertim Monachi, quorum e numero Dionysius erat, modestiae causa sese appellare consueverunt. Sic Anastasius Bibliothecarius sese *exiguum* vocat *in Apologia pro Honorio ad Joannem Diaconum tom* 6. *Concil. collect. Labbaei col.* 1521. cujus epigraphe est haec: » Carissimo Fratri Jo. digno Christi Levitae » Anastasius Exiguus in Christo salutem ». Etiam S. Bonifacius Moguntinus sese *exiguum* appellare solebat, uti deprehendi potest ex ejus epistolis 9. 11. 15. 18. 20. 23. *in Biblioth. PP. tom.* 13. *pag.* 73. 74. 75. 76. 78. 80. *edit. Lugdun.*, atque inter has epistolas aliorum quoque exempla sunt, qui simili de causa sese *exiguos* appellabant. Quin et mulieres eodem utebantur nomine, uti patet ex epistola Caesariae Arelatensis apud Martenium *Thesaur. nov. anecdot. tom.* 1. *col.* 3, *edit. Paris.* 1717., Atque id etiam sibi vult Hincmarus Remensis, eum *in epist.* 17. *ad Nicolaum I. P. pag.* 246. *tom.* 2. *edit. Sirmondi Paris.* 1645. memorat literas *exiguitati meae directas*; ex quibus intelligimus, fuisse pluribus commune nomen hoc *exigui*, et modestiae causa usurpari consuevisse.

(5) Sardicenses canones, uti a viris doctis animadversum est, graece, et latine editi fuerunt, eosque Dionysius ex primo latino exemplo, uti Africanos, sumpsit, non autem ex graeco in latinum convertit.

§. IX. Parti alteri hujus collectionis deinceps aliena opera adjectae sunt decretales Summorum Pontificum Hilarii, Felicis, Simplicii, Hormisdae, Symmachi, et Gregorii Junioris; et hunc quidem codicem ita auctum Hadrianus Pontifex obtulit Carolo M., cum Romam venit (1). Haec collectio Hadriana vocatur, non quod ab Hadriano absoluta fuerit (2), sed quod ab eo Carolo M. tradita est; eaque a pura Dionysiana collectione distinguitur non tantum in altera parte, in qua illae sunt additae Pontificum decretales, sed etiam in parte prima, quae complectitur canones conciliorum. Cum eam Carolo dedit Hadrianus, nulla publica auctoritate donavit, sed tamen quodammodo approbare visus est; ex quo factum, ut Apostolicam quamdam auctoritatem, praesertim apud Gallos, obtinuerit, et passim *Codex canonum* appellaretur. Hinc falsas Decretales Isidori Mercatoris multi rejiciendas putarunt, *quia in Codice Canonum non haberentur adscriptae* (3), quo quidem nomine Hadrianam collectionem designari manifestum est (4).

(1) Carolus M. Hadriano Pontifice ter Romam venit; ei vero in primo ejus adventu traditam collectionem putat Coustantius *loc. cit.* §. 8. *n.* 128, *pag. CVIII.* Videndus est etiam Cajetanus Cennius *Monument. dominat.*

Pontif. Comment. praeb. de Hadrian. epist. §. 14. *tom.* 1. *pag.* 299. *seqq. edit. Romae* 1760. Alter autem ex duobus codicibus, quos Carolo M. Hanianus tradidit, descriptus est a Canisio *Thesaur. monumen. eccles. tom.* 2. *par.* 1. *pag.* 266. *seqq. edit. Antuerp.* 1725.

(2) Haud satis exploratum est, quo primum tempore Dionysianae collectioni illa facta fuerint additamenta, quorum recentiora ad Gregorium II. pertinent, sed eadem ante Hadrianum jam facta fuisse constat: quoniam Zacharias P. *in epist. ad Pippinum, et Episcopos, Abbates, et Proceres Francor.*, quae est *epist.* 7. *in collect. concil. Labbaei tom.* 8. *col.* 241. *num.* 3., canones aliquot recitat *ex Concilio Africano*, alios vero *ex Concilio Carthaginensi*, quae Africanorum canonum inscriptio, et distinctio Hadrianae collectionis propria est.

(3) Sic Nicolaus I. *ep.* 42. *ad univers. Episc. Gall. tom.* 10. *concil. Labbaei col.* 282.

(4) Hincmarus Remensis *ep. ad Hincmar. Laudunen. pag.* 543. *tom.* » 2. *edit. Sirmondi Paris.* 1645. decretales respuit Isidori Mercatoris, ac » tantum retinendos defendit canones » quos Apostolica Sedes . . . . . . » et omnis catholica Ecclesia canones appellat: quique . . . . . in nostris » codicibus, quos ab Apostolica Sede Majores nostri acceperunt, sequen» dos » descripti sunt. Ex quo recte colligit Constantius *loc. cit.* §. 8. *num.* 131. *pag. CX.*, quod qui a nobis Hadrianus Codex vocatur, ex usu, et consuetudine sermonis apud Romanos, et Gallos recepti *Codex Canonum* appellaretur.

§. X. Eo loco res fuit usque ad VIII. saeculum; exinde vero intelligimus, ea aetate Romanam Ecclesiam aliquas habuisse canonum collectiones, sed eas privatorum hominum studio perfectas, nullam vero fuisse, quae publicam auctoritatem obtineret. Revera hujus publici codicis nulla umquam mentio est in literis Summorum Pontificum, qui tantum memorant *archivum*, et *scrinia* Sedis Apostolicae, neque si hic codex extitisset, ea, qua erat, religione Dionysius exiguus fas sibi esse putasset ab eo aliqua ex parte recedere. Accedit, quod cum Dionysianum codicem plerisque in rebus Romana Ecclesia susceperit, id quidem non obscuro argumento est, privatos fuisse antiquiores codices, uti privatus erat codex, quem Dionysius ediderat. Secus enim vetustior codex Apostolica auctoritate susceptus, et confirmatus ob alium a privato homine prolatum Codicem haud sane tam brevi vim omnem amittere potuisset (1).

(1) Late haec omnia persequitur Coustantius *praefat. ad epist. Rom. Pontif. num.* 45. *pag.* 48.

§. XI. Haud tamen desunt, qui ante Dionysium Romanam Ecclesiam publicum codicem canonum habuisse defendunt, idque se conficere posse censent his freti argumentis (1). Ajunt nimirum, non solum Romanam, sed ceteras quoque Ecclesias publico codice carere non potuisse; primum ut omne falsi crimen removeretur; deinde ut omnes noscerent, quibus canonibus parere, quos contra despicere, ac repudiare deberent; postremo ut per codices ecclesiasticae leges promulgarentur, quoniam promulgatae haberi non poterant, nisi essent in publico, receptoque codice descriptae (2). Sed nullo opus erat codice, ut Pontificiae leges promulgarentur; imo vero longe alius erat earum promulgandarum modus. Scilicet mos erat Summorum Pontificum sua in synodis decreta condere, eaque ita promulgare. Quod si aut aliqui Episcopi abessent, aut synodus non haberetur, illorum decreta ad praecipuos mittebantur provinciarum antistites, qui ea nunciabant Episcopis propinquioribus, atque ita omnibus parendi necessitas imponebatur. In remotiones autem regiones eadem mittebantur per clericos probatae fidei, aut etiam per Episcopos, quorum erat ea nunciare Primatibus proviuciarum; nisi ad alios peculiaribus de causis essent deferenda, et hi quidem cum Episcopis vel singulis, vel in synodo congregatis eadem omnibus communicari, omniumque consensu firmari curabant (3). Hic quidem modus est, quo Pontificia decreta promulgabantur, neque umquam a Pontificibus cautum est, ut ea in codice canonum describerentur.

(1) Sic, inter ceteros, falso putat Van-Espenius in *Dissert.* 3. *de pristin. cod. Eccl. Rom.* §. 5. *pag.* 12. *edit. Lovanii* 1759

(2) Hinc multi hac imbuti opinione modo probant, modo improbant canones, cum eos descriptos, aut non descriptos inveniunt in eo codice, quem publica auctoritate donatum putant. Quod de canonibus Sardicensibus fit praesertim ab iis, qui de eorum vi, et auctoritate [illegible] putant. Cum enim non contineantur quibusdam codicibus, quos ipsi pu-

blicos existimant, ex eo colligunt, eosdem canones non fuisse receptos, cum illi codices obtinebant. Ejus rei exemplum suppeditat Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *art.* 4. *dissert.* 27. *tom.* 4. *pag.* 459., qui facilius nodum omnem solvere potuisset una animadversione, quod scilicet nulli olim publici hujusmodi codices extarent; idroque ex iis decerni non potest, qui olim essent recepti in Ecclesia canones, qui contra non essent. Ita Jacobus Boileau *in libr. de antiq. et major. Episcopor. caus. cap.* 53. *pag.* 378. *seq. edit. Leodii* 1678. fretus auctoritate codicis, quem Justellus suo ingenio inscripsit *Codicem canonum eccles. universae* ea aetate nondum receptas putat appellationes ad Sedem Apostolicam, quae Sardicensibus canonibus stabilitae sunt. Sed codex a Justello editus numquam publicam habuit auctoritatem, ac reliqui similiter, qui circumferuntur, codices privato studio lucubrati sunt; et iden nulla eorum habenda ratio est. Libertates etiam, quas vocant, Gallicanas saepe Scriptores quidam repetunt ex his codicibus, quasi his jus vetus Ecclesiarum universum contineatur. Ex eorum numero est Petrus Puteanus *ad artic.* 41. *Petri Pithaei traité des libertez de l' Eglise Gallicane tom* 1. *pag.* 114. *edit. Paris.* 1715. qui quidem Puteanus *Libertates* tuetur auctoritate Codicis Dionysiani Hadriani P.; quod idem argumentum fusius pertractavit Carolus Fevretus *de l' abus lib.* 1. *chap.* 4. *num.* 15. *seqq. pag.* 36. *edit. Lugdun.* 1677. quos merito redarguit Antonius Charlas *de Libert. Gallican. lib.* 1. *cap.* 5. 6. 12. 13. *tom.* 1. *pag.* 3. *seqq. edit. Romae* 1720.

(3) Hoc quidem modo decreta Pontificum Romanorum cunctis nota, atque explorata fieri consuevisse ostendit Coustantius *loc. cit. num.* 47. *pag.* 49. ex epistolis Siricii ad Himerium Tarroconensem, Innocentii ad Rufum, et alios Episcopos Macedoniae, Zosimi ad Patroclum Arelatensem, et ad Hesychium Salonitanum, Xisti ad Cyrillum Alexandrinum, Leonis M. ad Nicetam Aquilejensem. Sed digna in primis memoratu est Innocentii I. *ep.* 24. *ad Alexandrum Antiochen.* apud Coustantium *n.* 4. *col.* 854., in qua perspicue describitur duplex hic modus, quo Pontificia decreta nunciari, ac promulgari solebant, alter scilicet cum Episcopis in synodo congregatis, et alter seorsim cum singulis. Ait autem Innocentius » Gravitas itaque tua haec ad notitiam Coepiscoporum, vel per » synodum, si potest fieri, vel per harum (literarum) recitationem » faciat pervenire, ut . . . . . . communi omnium consensu, studioque » serventur ». Vide etiam quae supra dixi *cap.* 15. §. 4. *pag.* 304.

§. XII. Ac ne ulla quidem erat publici codicis necessitas, ut procul essent fraudes; quae fieri poterant, nisi eo canones omnes concluderentur. Nam ut omnis abesset adversa suspicio, Romani Pontifices literas dabant a Notariis subscriptas (1), earumque autographa una cum reliquis monumentis, quae ad Christianae Reipublicae utilitatem spectabant, uno in loco retinebant, quem locum *archivum*, et *chartarium*, aut *scrinia Sedis Apostolicae* appellabant. Exinde Pontifices plane cognoscebant, quae latae leges essent, quae edita judicia, quae concessa sin-

gulis privilegia (2). Neque in Romanae tantum, sed aliarum quoque Ecclesiarum proprium erat, ut singulae sua haberent archiva, in quibus synodalia decreta, quaeque ad ea pertinebant monumenta, diligenter servabantur. Ita si qua esset fraudis suspicio, si quid minus certum, et exploratum, si qua dubitatio oriretur, omnis plane lustratis archivis controversia dirimebatur. Quin et formidolosis persequutionum temporibus omnes Episcopales Ecclesiae habebant haec archiva, in quibus acta, decreta, cetera similia custodiebantur. (3).

(1) Videndus Alexius Symmachus Mazzochius *in Kalendar. Neapol.* 29. *Mart. not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 129. *edit. Neapol.* 1744., ubi et alia sunt, quae ad hos Notarios pertinent.

(2) Consule Mabillonium *de re diplomat. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 8. *pag.* 7. *edit. Paris.* 1681. *et lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. *pag.* 240.

(3) Quamquam omnes Ecclesias sua archiva habuisse constet, quorum, praeter ceteros, mentio est apud Gregorium Turonensem *Histor. lib.* 9. *cap.* 42. *pag.* 526. *edit. Basileae* 1568., et Ratherium Episcopum Veronensem *de contemt. canon. par.* 2. *col.* 369. *edit. Veron.* 1765., id tamen de Romana Ecclesia clarius etiam, et illustrius est; qua de re late disputant Coustantius *loc. cit. num.* 44 *pag. XLV. seqq.*, et Cajetanus Cennius *in dissertationibus Italicis Pistorii editis an.* 1778. *tom.* 1. *dissert.* 1. *pag.* 65. *seqq.* Porro S. Hieronymus *advers. Ruffinum lib.* 3. *num.* 20. *opp. tom.* 2. *col.* 549. Ruffinum ipsum de literis ab Anastasio I. ad Joannem Jerosolymitanum datis dubitantem ad *chartarium* vocat. In epistolis Gregorii M. multa extant, ex quibus patet, quem ad usum ecclesiastica archiva pertinerent; eaque Innocentius III. ineunte saeculo XIII. consuluit, ut intelligeret, quid a Nicolao I. cum Bulgaris actum fuisset, cum ipsi ad Apostolicam Sedem confugerunt. Atque hoc quidem *archivum*, seu *scrinium*, et *chartarium* Sedis Apostolicae diu fuit loco publici Codicis, quo Ecclesia Romana carebat, atque iis tantum, quae rite constituta in hoc archivo extabant, publica haerebat auctoritas. Quare multa moliendo faciunt ut nihil agant Van-Espenius, et ceteri, qui neminem ante Dionysium Pontificias decretales collegisse existimant, ut inde illud educant consequens, quod antea tantum conciliorum canones, non item decreta Summorum Pontificum auctoritatem obtinuerint. Fac verum esse id quod ajunt de Pontificiis decretalibus primum a Dionysio collectis, id tamen vetustae eorum auctoritati nihil detrahit. Cum enim privati codices nihil iis addere, aut adimere possent, quid intererat Sedis Apostolicae, sive ejus decretales in iis essent descriptae, sive essent omissae? Vis earum non ex his privatis collectionibus, sed ex Pontificum potestate, atque ex ipso authographo in archivo servato repetebatur. Quid ponderis adjecit Dionysius decretalibus, quas collegit? Nihil omnino, cum esset homo privatus, neque ab se privato studio lucubrata collectio publicam umquam auctoritatem obtinuerit. Decretales vim omnem consequebantur ex jure Summorum Pontificum, a quibus editae fuerant: et ideo vis earum plane eadem erat, antequam a Dionysio colligerentur,

et postquam ab eo collectae, atque unum in corpus redactae sunt. Certe Siricius *ep.* 1. *ad Himerium Tarraconen.* apud Coustantium *epist. Rom. Pontif.* §. 20. *col.* 637., postquam Himerium hortatus est *ad servandos canones, et tenenda decretalia constituta*, generalem illam sententiam pronunciat, quod » statuta Sedis Apostolicae, vel canonum venerabilia defi» nita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum ». Etiam Leo M. *ep.* 4. *cap.* 5. *opp. tom.* 1. *col.* 616. *edit. Venet.* 1753. memorat *decretalia constituta Decessorum*, et comprovinciales Episcopi Metropolis Arelatensis datis ad ipsum Leonem literis *opp. S. Leonis tom.* 1. *ep.* 65. *cap.* 2. *col.* 995. non ex aliquo canonum codice, sed ex *scriniis* Sedis Apostolicae decretorum Zosimi P. vim omnem, et auctoritatem repetunt, uti observant Fratres Ballerinii *not.* 11. *in dissert.* 12. *Quesnelli opp. S. Leonis tom.* 3. *col.* 697. *et* 698., quos etiam consule *in appendic. par.* 3. *cap.* 1. §. 2. *pag. CLXXVIII. eod. tom.* 3. Ex his etiam quae de archivis, aut *scriniis* dicta sunt, clare perspicitur, quam merito Franciscus Salmonius *de l' étude des Conciles par.* 1. *cap.* 3. §. 1. *pag.* 106. *edit. Paris.* 1724. vetera synodalia monumenta ab omni falsi suspicione vindicet contra haereticum hominem Balthassarem Lydium, cui venit in mentem paradoxum illud ingens, quod *Conciliorum codices magna ex parte sunt corrupti.*

§. XIII. Ex his, meo quidem judicio, plane ad evidentiam efficitur, Romanam Ecclesiam usque ad Dionysium Exiguum nullum habuisse codicem cononum, qui publica auctoritate potiretur; cum ejus loco essent *scrinia* Sedis Apostolicae, in quibus authographa servabantur. Dionysius privato quidem studio, uti diximus, suam collectionem absolvit; sed cum eam illis, quas descripsimus, accessionibus locupletatam approbare visus fuerit Hadrianus Pontifex, eadem aliquo modo Romanae Ecclesiae codicem constituere, atque in communi usu adhiberi coepit. Hinc etiam, facile est judicare quo in numero habendae sint collectiones, quas Christophorus Justellus (1), Petrus de Marca (2) Paschasius Quesnellius (3) ediderunt; quibus omnibus nulla umquam publica auctoritas tributa est. Atque haec quidem ad Romanam Ecclesiam pertinent.

(1) De hac collectione, quam Justellus inscripsit *codicem Canonum Ecclesiae universae*, actum est loco superiori.

(2) Petrus de Marca, Romanam Ecclesiam ante synodum Chalcedonensem tantum Nicaenos canones, quibus et Sardicenses adjungebantur, legis loco habuisse fatetur; sed tamen ait, post eam synodum jussu, et auctoritate Leonis M. novam canonum collectionem fuisse confectam, quae quidem in Occidente viguit per annos plusquam sexaginta, donec Romani ejus collectionis obscuritatem, et confusionem fastidientes, novam a Dio-

nysio Exiguo postularunt. Atque hanc quidem collectionem sese invenisse censuit in duobus manuscriptis codicibus monasterii Rivipullensis in Catalonia. Verum ea profecto longe abest a Leonis aetate, et instituto, et si aliquando ab Ecclesia Romana recepta est, id multo post Leonem fieri potuit, quod optime ostendit Petrus Constantius *in cit. n.* 134. *seqq. pag.* 112. *seqq.* Revera, ut cetera omittam, hujus collectionis praefatio habet *symboli Constantinopolitani formam totam Graecam, et Latinitatem in Ecclesiis praedicare.* Atqui multo serius in Romana Ecclesia symbolum Constantinopolitanum publice recitari coepit, qua de re videndi sunt Severinus Binius *in not. ad Concil. I. Constantinopol. tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 972., et Joannes Bona Cardinalis *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *tom.* 3. *pag.* 167. *edit. Taurin.* 1753.. in primis autem Bernardus de Rubeis *de sacr. Forojul. ritib. cap.* 6. *num.* 4. *pag.* 209. *edit. Venet.* 1754., *et in dissert. de Symbol. Constantinopolit.*, quae cum *vita Gregorii Cyprii Patriarchae C. P.* vulgata est, a quo contraria Mabillonii, Martenii, aliorumque argumenta refutantur. Potius haec collectio videtur pertinere ad Hispanos, apud quos citius, quam in aliis Latinorum Ecclesiis, symbolum illud publice decantari coepit, uti constitutum fuit Concilio Toletano III. *can.* 2. *tom.* 6. *concil. Labbaei col.* 706.

(3) Paschasius Quesnellus antiquissimum Romanae Ecclesiae codicem canonum se invenisse ratus, eum vulgavit *in appendic. ad opp. S. Leonis*, ejusque vetustatem, ac veritatem demonstrare conatus est *in dissert. in S. Leonem.* Sed eum, praeter ceteros, solide graviterque refutarunt Fratres Balleriuii *loc. cit. tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 8. *pag. CXXII. et in adnot. et observ. ad dissert.* 12. *Quesnelli pag.* 685. *seqq.* Extat de *vetustis canonum collectionibus dissertationum sylloge* cura Andreae Gallandii Venetiis an. 1778, ubi plura collecta sunt opera virorum eruditorum, qui in hoc argumenti genere versati sunt.

§. XIV. Reliquarum Ecclesiarum codices canonum, qui maxime celebrantur, sunt Codices Ecclesiae Africanae (1), Hispanicae (2), Gallicanae (3); atque hae quidem collectiones plures numero sunt, cum plures semper fuerint, qui de canonibus unum in corpus redigendis laboraverint. Inter eos, qui ad colligendos canones privato studio animum appulerunt, locum obtinet vel in primis nobilem, atque illustrem Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiae Diaconus, qui suam collectionem *canonum breviationem* inscripsit (4), quoniam in ea canones breviter, ac summatim complexus est. Iisdem temporibus floruit Martinus Bracarensis Episcopus, cujus est collectio divisa in partes duas, quarum altera, quae ad Episcopos, clerumque universum pertinent, altera, quae sunt laicorum propria, comprehenduntur (5). His duobus recentior Cresconius Africanus Episcopus duas edidit collectiones, cujus alteri titulus est *Breviarium*

canonum, alteri *concordia*, seu *liber canonum* (6). Atque hi primi sunt, qui canonum summam dederunt; eosque habita ratione materiarum ad certa capita redegerunt, quos postea simili modo Regino, Anselmus, Burchardus, Ivo, Gratianus, ceteri recentiori aetate imitati sunt.

(1) Plures Africanorum canonum collectiones sunt, quas post Harduinum memorant Fratres Ballerinii *loc. cit. par. 2. cap. 3. pag LXXIV. seqq.* Unam ex his ediderunt Christophorus, et Henricus Justellus, cum titulo *Codex canonum Ecclesiae Africanae*, rati, omnes eo codice comprehendi canones, quibus tamquam jure proprio Africana Ecclesia regebatur; et hanc eamdem inscriptionem alii etiam eorum exemplo retinuerunt. Sed hi non animadverterunt, hanc collectionem auctorem habere Dionysium exiguum, neque certe complecti jus universum Africanae Ecclesiae proprium; quandoquidem neque eos omnes comprehendit canones, qui a synodo Carthaginiensi anno 419. Aurelio Episcopo habita vel conditi, vel ex antiquioribus conciliis repetiti, lecti, recogniti, actisque inserti fuerunt. Nam illud erat in more positum, institutoque Ecclesiae Africanae, ut cum Episcoporum totius Africae concilium habebatur, in eo relegerentur, atque in actis describerentur decreta superiorum conciliorum, eaque omnia tamquam recentioris illius concilii acta ederentur. Quin etiam cum haec agebantur, vetustiora illa decreta, si opus esset, ad recentiorem disciplinam accomodari solebant, eaque nomine Episcoporum, qui Concilio praesentes erant, in vulgus emittebantur. Id etiam in Concilio an. 419., quod paulo ante memoravi, factum est; et tamen Auctor collectionis, quam Justelli evulgarunt, non omnia describit, quae in ea comprehensa sunt; tantum abest, quod ea jus universum Ecclesiae Africanae complecti videatur.

(2) Hispanos ab antiquissimis usque temporibus suum habuisse codicem canonum certum est, et hic codex, ut mihi quidem videtur, eorum Episcoporum consensu receptus, et probatus publicam auctoritatem obtinuit, adeout jus universum Hispaniarum constitueret. Fortasse initio saeculi sexti eo codice res ecclesiasticae Hispanorum administrari coeperunt. In ea sane regione mos erat, qui initium habuit post quintum saeculum, et saltem ad septimi saeculi exitum perseveravit, ut synodis pridem habitis adjungerentur recentiorum decreta synodorum, omniaque in uno, et eodem codice describerentur; quod est a Cardinali de Aguirre *tom. 2. Concil. Hispan. pag. 297. in not. ad Concil. Bracarense I. an.* 561., et a Constantio *loc. cit. num.* 149. *pag.* 122. observatum. Quem codicem in principio Synodi coram omnibus a Diacono legi consuevisse testatur ipse Cardinalis de Aguirre *loc. cit. pag.* 356.; et certe eumdem extitisse multa ostendunt ecclesiastica Hispaniarum monumenta, de quibus videndi sunt Justellus *Biblioth. Jur. Canon. tom. 1. pag.* 24., Coustantius *loc. cit.*, et Fratres Ballerinii *de collection. canon. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 1. *pag.* 195. *et par.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. *seqq. pag.* 258. Collectio haec, exemplo Dionysianae, divisa erat in partes duas, quarum altera canones conciliorum, altera Summorum Pontificum decretales epistolas continebat; initio brevior erat, sed plures tractu temporis accessiones accepit. Nulla hujus antiquissimae primigeniae collectionis ad nos exemplaria pervene-

runt. Vir clarissimus Faustinus Arevalus in egregia, numerisque omnibus absoluta editione operum S. Isidori Hispalensis, quae Romae incohata est anno 1797., ac brevi absolvetur, auctoritate, et sumptibus Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Francisci Lorenzanae Literarum Patroni munificentissimi *tom.* 2. *pag.* 160. *seqq.* descripsit integrum tractatum Fratrum Balleriniorum *de Hispanica collectione*, quam exquisitis notis locupletavit. Habes eo in loco omnia, quae ad hoc argumentum pertinent; atque in primis *pag.* 173. *seqq.* quaeritur diligenter, quo tempore ea collectio lucubrata fuerit, et num S. Isidoro Hispalensi adscribenda videatur.

(3) Gallicanam Ecclesiam non caruisse codicibus canonum, cum quibus eam Episcopi regerent, certum est. Imo plures hujusmodi codices, eosque inter se dissimiles extitisse constat; quod claro argumento est, nullum ex iis fuisse, qui publicam auctoritatem obtineret. Secus enim nihil opus fuisset tot codicibus, neque illa eorum dissimilitudo haberetur, neque privati homines, qui illos exararunt, fas sibi esse existimassent ea praetermittere, quae publico codice continebantur. Itaque tenendum est, Gallicanam Ecclesiam ante receptam saeculo VIII. Dionysianam, seu potius Dionysio-Hadrianam collectionem canonum, ac decretorum Summorum Pontificum nullum certum habuisse codicem canonum, quo inesset publica auctoritas, et qui in usu communi totius Ecclesiae Gallicanae versaretur. Quod contra Petrum de Marca, Christophorum Justellum, Natalem Alexandrum, quorum alia est opinio, ostendunt Coustantius *loc. cit. num.* 46. *pag.* 48., et Fratres Ballerinii *de collection. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. *pag.* 129. Utebantur autem in Galliis Episcopi non tantum regulis, quae prioribus generalibus concilii, sed etiam regulis, quae Gallicanis synodis erant constitutae. Qua in re Jacobus Sirmondus *in praefat. ad Concilia Galliae* rectissime animadvertit, quod cum ex tot codicibus, quibus Gallia abundat, nullus sit, qui omnes Gallicanas synodos complectatur, omnesque inter se dissimiles sint, exinde conficitur, nullum in Galliis fuisse codicem canonum universe receptum, qui jus ecclesiasticum totius nationis constitueret. Quare inanis est labor Paschasii Quesnelli, qui *dissert.* 16. *in S. Leonem* contra Petrum de Marca demonstrare conatur, Dionysianam collectionem ante Carolum M. Regem, et Hadrianum I. in Galliis receptam non fuisse loco publici codicis, quo antea gens illa utebatur. Nam si publicus hujusmodi codex plane nullus erat, qui fieri potuit, ut ei Dionysiana collectio sufficeretur? In eadem cum Quesnello sententia est Van-Espenius *jus ecclesiast. univers. par.* 3. *cap.* 1. §. 4. *tom.* 5. *pag.* 66. *edit. Lovanii* 1732. Quamquam vero post Hadrianum, et Carolum M. Dionysiana collectio publicam auctoritatem obtinuerit, tamen dubitari non posse videtur, quin et antea Galliis nota fuerit, locumque habuerit inter privatas collectiones, quas numero plures in ea regione circumferri consuevisse monuimus, qua de re videndi sunt Sirmondus *laud. praefat. ad Concil. Galliae*, et Ballerinii *observat. et not. in cit. dissert.* 16. *Quesnelli pag.* 907. *tom.* 2. *opp. S. Leonis.*

(4) Floruit Fulgentius Ferrandus gente Afer Justino, et Justiniano Imperatoribus, ac Fulgentio Ruspensi Episcopo Magistro usus est, sub cujus auspiciis in Sardinia exulantis monasticam ingressus est, egitque vitam. Denique in Africam reversus Carthaginiensis Ecclesiae Diaconus creatus est. Ejus *breviationem canonum* primum Parisiis edidit cum Cresconii *breviario* Petrus Pithoeus an. 1588. Prodiit etiam cum

Codice canonum Dionysii exigui Paris. an. 1609. et cum eodem a Justello edito Paris. 1628., atque in *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 1. *pag.* 448., ubi etiam hujus Breviationis index valde antiquus adjungitur. Omnia Ferrandi opera cura Fr. Chiffletii Divione vulgata sunt an. 1649.

(5) Martinus gente Pannonius, uti testatur Gregorius Turonensis *Histor. Franc. lib.* 5. *cap.* 38. *col.* 247. *edit. Paris.* 1699., cum adolescens esset, Hierosolymam petiit, ut sancta loca lustraret. Inde solvens in Gallaeciam Hispaniae citerioris provinciam appulit, ubi plures e Servorum gente ad catholicam fidem convertit: et varia condidit monasteria, ipse Dumiensi a se fundato praefuit usque ad annum circiter 560., quo Bracarensis Episcopus creatus est. Edidit autem pro Ecclesiae Hispanica canonum collectionem, in quam contulit graecos canones latine redditos, et multa etiam ex latinis fontibus expressit. Sed saepe antiquos canones ad recentiorem disciplinam accomodavit, et ideo saepe multa addidit, aut detraxit, quod observant Romani Correctores *ad can.* 18 *dist.* 18., et Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dial.* 10. 11. 12. *pag.* 117. *seqq. edit. Venet. cit.* Gratianus multa in decreto capitula descripsit, quae extant in collectione Martini Bracarensis, non cum ejus nomine, sed cum inscriptione, et *Concilio Martini Papae*, quemadmodum et Ivo Carnotensis eadem inscripsit ex decretis Martini Papae, quod recte est a Romanis Correctoribus *in can.* 15. *dist.* 18., et ab Antonio Augustino *loc. cit.* animadversum. Extat haec collectio apud Voellum et Justellum *loc. cit. in appendic. tom.* 1. *pag. VII.*, ac de ea late disserit Florezius *Hispan. sac. tom.* 4. *pag.* 151. *seqq.*

(6) Vitam agebat Cresconius, sive, ut alii malunt, Crisconius Africanus Episcopus VII. Ecclesiae saeculo Leontio Imperatore, a quo in Africam contra Saracenos missus est Joannes Patritius, cujus ipse Cresconius *bella*, et *victorias* hexametris versibus descripsit; quod opus nunc periit. Scripsit autem de re canonica tum *Breviarium*, tum *Concordiam*, quod utrumque revera Cresconii esse ostendunt Fratres Ballerinii *in append. opp. S. Leonis M. tom.* 3. *de antiq. collection. par.* 4. *cap.* 3. *pag. CCLIV. seqq.*, quamquam aliud censuerit Coustantius *in cit. praefat. ad Epist. Rom. Pontif.* §. 7. *num.* 124. *et seqq. pag. CV. et seq.*, et utrumque ediderunt Voellus, et Justellus *in Biblioth. Jur. Canon. tom* 1. *pag.* 456. *et in appendic. ejusd. tom. pag. XXXIII.* Ferrandi ordo concinnior, atque accuratior est, quam Cresconii, uti Justellus, et Voellus observarunt; sed ipse Cresconius primus inter Latinos fuit, qui canonum collectionem in titulos distribuit. Vetustum codicem, in quo haec inserta sunt: *concordia canonum a Cresconio Africano Episcopo digesta sub capitulis trecentis. Iste nimirum Cresconius bella, et victorias, quas Johannes Des. Patricius apud Africam de Saracenis gessit hexametris versibus descripsit sub libris . . . . . .* sese Romae in Bibliotheca Vallicelliana inspexisse narrat Mabillonius *Musei Italici tom.* 1. *pag.* 68. *edit. Paris.* 1724. Eumdem hunc codicem, atque alios praeterea laudant etiam Fratres Ballerinii *loc. cit.*

§. XV. Sed noscenda prae ceteris diligenter est collectio Isidori *Mercatoris*, seu *Peccatoris* (1), quae IX. Ecclesiae saeculo prodiit (2). Homo hic, de cujus pa-

tria, instituto, vita nihil certi statui potest (3), suam hanc dedit collectionem, in qua cum veris monumentis, quae a Codice Hispanico, Hadriano, aliisque locis arripuit (4), multa falsa commiscuit, quorum quaedam ab aliis accepit, et quaedam ipse finxit ingenio suo. Ea vero, praeter quinquaginta canones Apostolorum ex Hadriana collectione descriptos, comprehendit potissimum epistolas Summorum Pontificum a Clemente usque ad Sylvestrum, quae omnes ab Isidoro confictae sunt, exceptis duabus Clementis ad Jacobum literis (5), tum canones plurium conciliorum (6), postremo pontificias literas ab ipso Sylvestro usque ad Gregorium M., et alias item epistolas, ac monumenta, quorum pars aliunde assumpta vera, ac germana est (7), pars una cum actis Concilii V. et VI. Romani sub Symmacho ab Isidoro excogitata, et inventa est.

(1) In codicibus quibusdam *Mercatoris*, in aliis vero *Peccatoris* nomen descriptum est. Quo factum est, ut quidam hanc collectionem alicui Episcopo tribuendam putarent, quoniam *Peccatoris* nomine esse Episcopi appellare solebant, ut demissum de se animi judicium ostenderent, uti patet ex Concilio Carpentoractensi an. 527. *tom.* 5 *concil. Labbaei col* 805., Vasensi III. an 529. *tom.* 5. *col.* 823., Parisiensi III. an. 557. *tom.* 6. *col.* 495., Turonensi II. an. 567., *tom.* 6. *col.* 547., Matisconensi I. an. 581. *tom.* 6. *col.* 663., atque ex monumentis Ecclesiae Cenomanensis apud Mabillonium *veter. analect. pag.* 267. *seqq. edit. Paris.* 1723. Verum Carolus Blascus, qui commentario Neapoli edito an. 1760. *de collectione canonum Isidori Mercatoris* accurate, et copiose de hac collectione disseruit, observat *cap.* 6. *pag.* 46. *et* 47, quod Episcopi fere semper addebant nomen *Praesulis*, aut *Episcopi*, cum illud *Peccatoris* vocabulum usurpabant. Quin etiam Chorepiscopi, cum eodem utebantur nomine, addebant et dignitatem suam, per quam distinguebantur, uti ex epistola Thegani Chorepiscopi Trevirensis ad Hactonem ipse Blascus ostendit. Nomen hoc potius Monachorum proprium erat; et si certum esset, Isidorum potius *Peccatoris*, quam *Mercatoris* nomen praesetulisse, inde aliqua educi posset conjectura, quod Isidorus Monachus vel fuerit, vel voluerit videri. Sed perdifficile est id ostendere ad veritatem; potius ipsa operis ratio, quae omnis fere in eo est posita, ut Episcopis consulat, et ab iis arceat accusationes, aliquam probabilem affert conjecturam, propter quam ea collectio alicui Episcopo tribuenda videatur.

(2) Recentius monumentum, quod Isidoriana collectione comprehenditur, est Concilium Parisiense anni 829., quare ante hoc tempus illa edita non videtur. Sunt qui eam serius prodiisse arbitrantur, nimirum circa tempus, quo Benedictus Levita Capitularium libros vulgavit, hoc est circa annum 845., et ideo prima falsarum decretalium

mentio est in Synodo Carisiaca apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. tom.* 2. *col.* 62. *edit. Venet.* 1773. Hincmarus Remensis *in opuscul. adv. Hincmar. Laudonen. cap.* 24. *pag.* 476. *tom.* 2. *edit. Paris.* 1645. de hac collectione habet haec » librum collectarum epistolarum ab Isidoro de » Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi, sicut » et in capitulis regiis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illo re- » pleri fecit ». Quae Hincmari verba multos in eam rapuere opinionem, ut crederent, hujus collectionis auctorem fuisse Riculfum Episcopum Moguntinum, atque ante annum 814., quo ipse ex hac vita migravit, in manus hominum pervenisse. Sed cum in ea quaedam describantur Riculfi aetate recentiora, manifestum est, eamdem Riculfo adjudicari non posse. Forte Hincmarus deceptus est testimonio Benedicti Levitae Moguntini, qui *in praefation. ad tres libros Capitularium* 5. 6. et 7. ab se editos circa annum 845. apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. tom.* 1. *col.* 537. scripserat » haec vero capitula . . . . . . spar- » sim invenimus, et maxime in sanctae Mogontiacensis Metropolis Ec- » clesiae scrinio a Riculfo ejusdem S. Sedis Metropolitano recondita, » et demum ab Autcario secundo ejus successore, atque consanguineo » inventa reperimus, quae in hoc opusculo tenore suprascripto insere- » re maluimus ». Inter capitula vero, quae ab eo in his libris descripta sunt, quaedam occurrunt ex epistolis apocryphis antiquorum Pontificum, quaedam ex pseudo-synodis Symmachi, et fere omnia capitula ad Angilramnum Hadriano Pontifici tributa; quae tamen sine ullo auctoris nomine indicantur. Neque vero Benedictus ea ex capitularibus sumpsisse videri potest; cum ex veris capitularibus ne unum quidem sit, in quo commentitia illa Isidori monumenta referantur. Itaque cum Benedictus, qui Levita fuit Ecclesiae Moguntinae, primus, aut fere primus Isidorianis mercibus usus fuerit, nonnulli existimant, totum illud commentum antiquarum decretalium ab eo fuisse excogitatum, ac Riculfo tributum, ut eidem auctoritatem conciliaret, omnemque ab eo falsi suspicionem removeret. Confer Blascum *de collection. canon. Isidor. Mercator. cap.* 6. *pag.* 45. *seqq.*, Fratres Ballerinios *in appendic. indic. par.* 3. *cap.* 6. §. 4. *pag. CCXXII. seqq.*, Zaccariam *in Anti-Febron. tom.* 2. *dissert.* 3. *cap.* 3. *seqq.*

(3) Quae de auctore Isidorianae collectionis dici solent, conjecturae sunt; cum ea de re nihil certi affirmari possit. Illud compertum, exploratumque est, eam neque S. Isidoro Hispalensi, neque Hispano scriptori adscribi posse, sed a Germano-Franco homine prodiisse. Est autem ingeniosa, ac valde laudanda conjectura Caroli Blaschi, qui diatriba *de Papissa Joanna* Neapoli edita an. 1778. hujus fabulae originem ab Isidori collectione repeti posse arbitratur. Inquit enim, fortasse aliquem fuisse Isidorianae fraudis non ignarum, qui cum videret, falsas decretales pro veris haberi, quasi per aenigma fraudem detegere conatus est. Itaque dictitare coepit, fuisse Papissam Joannam nomine, eam peperisse etc. Aenigma hoc, in quo dissolvendo Oedipo conjectore opus erat, non recte intellectum primum uti fabula vulgari, ac denique tamquam vera historia haberi coepit. Ingeniosa inquam haec conjectura, et in illa tam incerta hujus fabulae origine probabilis conjectura est.

(4) Noscendi sunt fontes, a quibus Isidorus accepit ea, quae in sua collectione descripsit; quoniam apocrypha habenda sunt omnia, quae in illis non inveniuntur. Fontes autem praecipui sunt collectio Hadriana, et Hispanica, ac vetus collectio a Quesnello edita, cujus

supra facta mentio est. Quaedam arripuit ab Historia Tripartita, atque ab aliis locis, quos indicant Bartolus *Instit. Jur. Canon. cap.* 18., et Fratres Ballerinii *loc. cit.* §. 5. *pag. CCXXV. seqq.*

(5) Quinque sunt literae S. Clementis in Isidori collectione, duae ad Jacobum, quae jam a Graeco aliquo confictae fuerant, et a Ruffino latine redditae, easque saeculo V. laudavit Concilium Vasense *can.* 6. *col.* 717. *tom.* 4. *concil. Labbaei.* Has literas Isidorus excerpsit ex Gallicanis collectionibus, sed ipse tamen eas suis additamentis vitiavit. Reliquae tres ex ejus ingenio prodierunt.

(6) In hac parte comprehenduntur concilia, praeterea *Constitutio Constantini ad Sylvestrum*, quae falsa habetur, reliqua vera, et germana sunt omnia, eaque desumpta ex auctiori collectione Hispanica originis Gallicanae.

(8) Multa in hac parte sunt falsa veris admixta, quae omnia accurate discriminant Fratres Ballerinii *cit. par.* 3. *cap.* 6. §. 5. *pag. CCXXV.*, et Blascus *cap.* 2. *pag.* 9. *et seq.* Hinc omnes Pontificum Siricio antiquiorum epistolae, quae sola Isidori fide nituntur, falsae habentur. Literas autem, quae verae sunt, S. Damasi ad Paulinum ille secuit in partes tres.

§. XVI. Paulo post hanc collectionem, quam modo descripsimus, prodierunt Capitula, quae ab Hadriano I. P. exarata, et Angilramno Metensium Episcopo tradita dicuntur (1). Continent haec Capitula easdem falsas decretalas, quae ab Isidoro vulgatae sunt, eaedemque saepe sententiae, atque eadem verba in ipsis occurrunt; quod non obscuro argumento est, unum et superioris collectionis, et Capitulorum auctorum esse Isidorum (2). Forte hic totius fraudis architectus, ut ab se inventae decretales facilius probarentur, finxit haec Capitula, eaque Hadriano Pontifici attribuit sperans ejus gratia, et auctoritate futurum neminem, qui suis illis inventis repugnaret. Certe collectio illa, quam Carolo M. Hadrianus obtulit, nullam plane habet ex falsis decretalibus (3), et hae multa continet ab ejus moribus, et instituto aliena, ac primum in aspectum hominum venerunt post obitum Hadriani, qui in exitu saeculi VIII. vita functus est (4). Quas igitur ea in re partes habere Hadrianus potuit?

(1) Stephanus Baluzius *in praefat. ad dialog. Ant. Augustini num.* 4. *pag.* 6. *edit. Lucae*, et Natalis Alexander *Histor. Eccles saec. VIII. cap.* 1. *art.* 9. *tom.* 6. *pag.* 11. *edit. Venet.* 1776. ea Capitula Angilramno Metensium Episcopo tribuenda arbitrantur. Sed vera operis in-

scriptio Hadrianum, non Angilramnum auctorem praefert; et Hincmarus Remensis *opusc. adver. Hincmar. Laudanen. cap.* 24. *tom.* 2. *pag.* 475. *edit. indic.* diserte tradit, eadem Hadriani nomine vulgata, atque Angilramno Metensi tradita fuisse. Sed neque Hadrianus, neque Angilramnus horum capitulorum auctor haberi potest; et certe verus canonum codex, quem Carolo M. obtulit Hadrianus, nihil habet ex putidis illis mercibus, sed veras complectitur epistolas Summorum Pontificum a Siricio ad Gregorium. Quod late ostendun Ballerinii, et Blascus *loc. cit.*

(2) Decreta Pontificum Romanorum, ex quibus praesertim ea capitula collecta dicuntur, non alia fere sunt, nisi falsae Isidori decretales, in quibus eaedem sententiae, et eadem saepe verba occurrunt, uti ex Antonii Augustini notis in eadem capitula, quae extant *tom.* 3. *ejus oper. edit. Lucae* 1767. *pag.* 349. *et seq.* deprehendi potest. Qui consensus earum decretalium, et capitulorum non obscure demonstrat, eumdem omnium architectum fuisse. Quare in Isidori collectione haec Hadriani capitula reperiuntur, et in antiquissimo Vaticano Codice 630. in appendice descripta sunt, quoniam, ut observant Fratres Ballerinii *loc. cit.* §. 2. *num.* 8. *pag. CCXIX. et CCXX.*, haec capitula secundis Isidori curis adjecta sunt, cum abessent a collectione, quae antea vulgata fuerat. Videndus est etiam Blascus *in diatrib. de Capitulis Hadriano I. P. vulgo tributis ad calc. commentar. de collect. canon. Isidor. Mercator. pag.* 221.

(3) Recte observant Fratres Ballerinii, quod in antiquo codice Vaticano *num.* 1338. vetus extat exemplar collectionis, quae revera ab Hadriano data fuit Carolo M, cum Romam venit, in eoque post indicem eorum, quae in codice comprehenduntur, habentur haec » Iste » codex est scriptus de illo authentico, quem D. Hadrianus Aposto» licus dedit gloriosissimo Carolo Regi Francorum, et Longobardo» rum, ac Patricio Romanorum, quando fuit Romae ». In hac autem collectione nullae prorsus occurrunt falsae decretales, sed quidquid ea continetur ex veris, germanisque fontibus sumptum est. Initio describuntur canones, *qui dicuntur SS. Apostolorum*, postea concilia Orientalia, Africana, Gallicana, Hispanica, postremo referuntur decretales Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Caelestini, itemque pars illarum decretalium, quae a S. Leone M. editae sunt. Vera haec est Hadriani collectio, non ea, quae multos post annos Isidori ingenio excogitata in lucem venit. Atque hoc quidem loco notanda est impudentia Van-Espenii, qui nihil omittit, ut odium expleat, quo fertur in Sedem Apostolicam, et ideo de his capitulis inquit *in Comm. in canon. et dec. jur. vet. ac nov. par.* 3. *sect.* 1. *dis.* 2., quod si ea ab Hadriano non confecta, probata saltem sunt, ut nova inde jura Romani Pontifices consequerentur. Si ea probata Hadriano sunt, cur eadem neque ipse Hadrianus, neque ceteri Pontifices, qui eum consequuti sunt, per tria pene saecula laudarunt? Primus enim Summus Pontifex, qui ea capitula laudasse videtur, fuit Leo IX., qui medio saeculo XI. vitae usura fruebatur, nimirum postquam eam Burchardus Hadriani nomine in sua collectione descripserat. Verum omnis nunc ea de re sermo conticescat necesse est, cum constet, ea capitula post Hadriani obitum fuisse conficta ab auctore decretalium, quae Isidori nomine circumferuntur.

(4) Hadrianus I. ex hac vita migravit an. 795. Atqui Isidorianae decretales editae sunt an. 829., vel etiam, ut quibusdam placet, an.

845., et qui etiam eas citius prodiisse credunt, haud tamen anno 814. antiquiores faciunt. Post hoc tempus edita sunt Capitula Hadriani nomine, quod hodie viris eruditis plane compertum, exploratumque est. Qui fieri igitur potuit, ut Hadrianus Pontifex, qui multo antea decesserat, falsas decretales, ut inquit Van-Espenius, approbaret?

§. XVII. Isidori collectio paulatim in usu esse coepit, cum in illa rerum caligine nemo esset, qui falsas crederet decretales, quae in ea continentur. Primus Hincmarus Remensis, qui eas antea probaverat, postea rejiciendas credidit, propterea quod sibi maxime adversabantur in causa, quam agebat adversus Hincmarum Laudunensem, atque hujus facti rationem dedit, quod in codice canonum non invenirentur (1). Simili de causa rejectae sunt ab Episcopis Gallicanis in causa Rothadi Episcopi Svessionensis, qui in synodo provinciali depositus Apostolicam Sedem appellaverat.

(1) Hincmarus Remensis *epist. ad Hincmar. Laudunen. tom.* 2. *pag.* 543. *et seq edit. Paris.* 1645. Recte tamen respondit ipse Nicolaus *epist.* 42. *ad Episcop. Gall. in oper. Hincmari Remensis tom.* 2. *pag.* 627. non ideo despiciendas esse decretales; quod in codice canonum descriptae non essent, quoniam earum auctoritas non ex eodem codice, sed ex earumdem auctoribus, qui Summi Pontifices habebantur, erat repetenda, quod etiam animadvertit Fleuryus *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. *origin. jur. ecclesiast.* Quare Wenilo Archiepiscopus Senonensis cum literis, quae ejus nomine datae sunt ad Nicolaum apud Labbeum *tom.* 9. *Concil. col.* 1530., ageret de observanda epistola Melchiadis, id tantum quaerendum duxit, num ea apud Summum Pontificem, hoc est in archivo Romanae Ecclesiae reperiretur.

§. XVIII. Serius Romae haec collectio innotuisse videtur; et Leo IV., qui Pontificatum obtinuit ab anno 847. usque ad annum 855., cum responderet Episcopis Britanniae (1), decretales memorat eorum Pontificum, quibus tunc in ecclesiasticis judiciis Romana Ecclesia utebatur; sed nullam plane mentionem facit decretalium Siricio antiquiorum, quas collectio Isidori complectitur, licet earum plures ad haec judicia pertineant. Imo neque Nicolaus I., qui post Leonem Pontificatu maximo functus est, Isidori merces umquam laudavit, aut approbavit (2). Quod vel unum argumentum plane refellit calumniam eorum, qui

aliquas in ea collectione Pontificum Romanorum partes fuisse arbitrantur.

(1) Extat haec epistola apud Sirmondum *tom. 3. Concil. Galliae pag. 72. edit. Paris.* 1629.
(2) Confer Ballerinios *loc. cit cap. 6. pag. CCXV.*, et Blascum *loc. cit. cap. 4. pag.* 31.

§. XIX. Hodie inter omnes constat, falsas esse decretales, et monumenta, quae ex penu Isidori Mercatoris educta sunt. Nam I. Dionysius exiguus ne unam quidem habet ex tot decretalibus, quas Isidorus literis consignavit. II. Nullam usquam earum mentionem faciunt Scriptores ecclesiastici, qui per octo priora saecula floruerunt, et Concilia, quae per eam aetatem habita sunt, quamquam pro re nata easdem pluries indicare debuissent. III. Multa in iis occurrunt recentiora aetate Pontificum, quibus illa adscribuntur, uti sacrorum Bibliorum sententiae secundum vulgatam, leges ex utroque codice petitae, posteriores canones conciliorum, ac decretales Summorum Pontificum, et cetera generis ejusdem. Nec praetereundum, quod eadem collectio Isidori Hispalensis nomine vulgata est; et tamen post ejus obitum plura sunt habita ex iis Conciliis, quae in ea referuntur (1).

(1) Ita octo Concilia Toletana a V. ad XIII., et unum Bracarense mortuo Isidoro celebrata sunt, eoque vivo nondum habitum fuerat Concilium oecumenicum VI., cujus in praefatione mentio est.

§. XX. Haud tamen inventa Isidori ita sunt aestimanda, quasi ipse, sublata antiqua disciplina, insuetam, ac plane novam induxerit. Fraus hujus hominis in eo est posita, quod ipse vetustis Pontificibus decretales attribuit, quae eorum revera non sunt, et recentiorem disciplinam aliquanto antiquiorem fecit; sed nullum jus novum, ac non antea receptum constituit (1). Hinc pleraque monumenta excerpta sunt ex sententiis SS. Patrum, ex constitutionibus, quarum certa fides, et auctoritas est, ex canonibus conciliorum, Romanisque legibus,

quae sane novi juris, novaeque disciplinae non sunt, cetera vero eam plerumque exhibent disciplinam, quae jam antea obtinebat. Atque hinc intelligimus, quamobrem opus hoc ignoti hominis nullas in Ecclesia turbas excitarit, nullas dederit causas querelarum, imo ubique fere receptum, probatumque fuerit; quod sane fieri non potuisset, si veteri amoto jure, quo omnes utebantur, jus novum, et usque ad eam aetatem inauditum praescribi noluisset. Quare et vanae, et injustae sunt querelae illorum, qui per Isidorianas decretales fractos putant ecclesiasticae disciplinae nervos, jus novum inductum, perturbata Episcoporum, et provincialium conciliorum jura, novamque in Sedem Apostolicam collatam potestatem. Nihil horum factum est ab Isidoro, qui tantum descripsit jus ab aliis constitutum, aut jam suae aetatis more, et consuetudine receptum.

(1) Egregie, praeter eos, quos indicavi *in Instit. Jur. Canon. in prolegom. cap. 5. §. XXI. not. 1. tom. 1. pag. 76. seqq.*, argumentum hoc pertractavit V. Cl. Joannes Marchettius *Critica della storia ecclesiastica e de' discorsi dell' Ab. Claudio Fleury tom. 1. art. 1. §. 1. seqq. pag. 2. seqq. edit. Romae* 1784. Sic quod falsis decretalibus continetur, non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari id jam antea receptum fuisse ostendunt Julius I. P., Socrates, Sozomenus, Auctor Historiae Tripartitae: Idemque jus universe obtinebat, cum Chalcedonensis oecumenica synodus habita est. Mitto reliqua, quae solide ab ipso Marchettio expenduntur. Vide quae supra scripsi *cap. XV. §. 14. et not. 7. pag. 315.*

§. XXI. Praecipuam hujus collectionis evulgandae causam explicat ipse Isidorus, aperte declarans, sese illa collegisse monumenta, ut omnes ab Episcoporum accusationibus deterreat (1); tum vehementius invehitur in eos, qui Episcopos audent accusare, et multa proponit, per quae hujusmodi accusationes difficillimae evadant. Huc fere omnia revocantur, et eadem ubique triumphat cura, et solicitudo, ne Episcopi accusentur. Quod maxime perspicitur in capitulis Hadriano tributis, quae veluti summam exhibent falsorum monumentorum, unde potissimum excerpta sunt. Nam plerisque eorum provisum est, ne quis accuset Episcopos, ne facile accusatores audiantur, ut qui sint, removeri, ac judices recusari mul-

tis ex causis possint. Hic porro finis est, et haec summa totius collectionis (2); adeout nodum in scirpo quaerere videantur, qui Isidorianam collectionem editam putant, ut ejus opifex Romanorum Pontificum auctoritatem amplificaret. Quamquam enim Apostolicae Sedis amplitudo, et auctoritas pluribus commendetur, haud tamen hoc Pseudo-Isidori propositum, atque institutum fuit, neque ea Sedes, cujus jura, et privilegia certissimis nituntur monumentis, falsis illis decretalibus indigebat (3).

(1) Postquam in praefatione Isidorus documenta indicavit, ex quibus sua collectio conficitur, hanc eorum colligendorum ratione affert » Quatenus ecclesiastici ordinis disciplina in unum à nobis coacta, atque digesta, et sancti Praesules paternis instituantur regulis, et obedientes Ecclesiae ministri, vel populi spiritualibus imbuantur exemplis; et non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate, et cupiditate depressi accusantes sacerdotes depresserunt ». Quod multis persequitur acerbe objurgans illos, qui Episcopos accusant, *ut se per illos excusent vel eorum bonis ditentur*, ac multa hujusmodi judiciorum incommoda describens illud urget, Episcopos accusatos, et rebus suis spoliatos, aut gradu motos, aut e sede pulsos ad dicendam causam cogi non posse, nisi primum fuerint restituti, et quaedam addit de accusatoribus, et accusationibus rejiciendis.

(2) Consule Ballerinios *cit. par.* 3. *cap.* 6. §. 3. *num.* 10. *pag.* *CCXX.*, et Blascum *loc. cit. cap.* 7. *seqq. pag.* 62. *seqq.* Quod etiam ante ipsos observaverat Fleuryus *Histor. Eccles. lib.* 44. *num.* 22. *tom.* 9. *pag.* 501. *edit. Paris* 1691. » La principale, *inquit*, matiere de ce décretales sont les accusations des Evêques; il n'y en presque aucune, qui n'en parle, et qui ne donne des régles pour les rendre difficiles. Aussi Isidore fait assez voir dans la preface, qu' il avoit cette matiére fort a coeur » idemque tradit Van-Espenius *comment. in quaest.* 7. *caus.* 2. ubi de Gratiano disserens inquit » hic rursus adducit varia fragmenta fictarum decretalium, quae praecipue ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatae apparent ». Sed vide fidem, et inconstantiam hominis; cujus in Sedem Apostolicam perpetuae calumniae sunt. Adversus hanc, quam ipse noscit, veritatem inquit *Jur. eccles. univers. par.* 3. *tit.* 3. *cap.* 4. *num.* 16. Isidorianam collectionem pertinere *praecipue ad amplificandam Sedis Apostolicae auctoritatem.*

(3) Confer Baronium *ad an.* 865. *num.* 8. *pag.* 18. *tom.* 15. *edit. Lucae.* Falsitatem monumentorum, quae collectio Isidori complectitur, praeter Hincmarum, aliosque antiquiores, agnoverunt etiam, atque indicarunt ex catholicis Antonius Contius, Antonius Augustinus, Bellarminus, Baronius, Bona, Perronius, Petrus de Marca, Cajetanus Cennius, aliique complures, quod argumentum recte persequuntur Ballerinii, Blascus *loc. cit.*, Zaccaria *Anti-Febron. vindic. dissert.* 3. *tom.* 2., Marchettius *loc. cit. art.* 1. §. 1. *num.* 2. *pag.* 4. *seqq.*

§. XXII. Sunt et aliae penes Graecos, atque Latinos

canonum collectiones, quas quasi praeterenntes indicabimus, ne singulas curiosius expendentes nimii efficiamur. Graeci in honore habent Joannem Antiochenum cognomento Scholasticum, qui floruit VI. saeculo, scripsitque canonum collectionem tributam in titulos quinquaginta, et nomocanonem, in quo canones cum civilibus legibus conferuntur (1); et hoc aetate recentiores Photium Patriarcham Constantinopolitanum praecipuum auctorem schismatis, quo Graeci a Latinis sejuncti sunt, qui Joannis exemplo similiter nomocanonem evulgavit (2), et Simeonem Logothetam, Theodorum Balsamonem, Alexium Aristinum, Arsenium, Harmenopulum, Michaelem Psellum (3). Latini cum laude commemorant incerti auctoris collectionem, quae titulum praesefert *Canonum poenitentialium*, re tamen vera complectitur rem ecclestasticam universam (4); item opus Reginonis Monachi Benedictini *de ecclesiastica, et Religione Christiana* (5); *et magnum decretorum volumen* Burchardi Wormatiensis (6); et opus Anselmi Lucensis, cui tribuitur *authentica, et compendiosa collectio regularum, et sententiarum SS. Patrum, et authorabilium, Conciliorum*, ac praeterea opusculum ex pluribus SS. Patrum scriptis excerptum (7); denique collectiones Cardinalis Deusdedit (8), et hujus aetati supparis Ivonis Carnotensis, qui et *excerptiones ecclesiasticarum regularum*, et *Panormiam*, vel *Pannomiam* evulgavit (9). Mitto ceteras, ut veniam ad Gratiani collectionem, per quam apud Latinos superiores omnes exaruerunt.

(1) Utraque haec Joannis Sholastici collectio extat apud Voellum et Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 2. *pag.* 499. *seqq.*

(2) Etiam Photii nomocanon, et collectiones Alexii Aristini, Simeonis Logothetae, Arsenii, Balsamonis ab iisdem Voello, et Justello referuntur *loc. cit. pag.* 673. *et seqq.*

(3) De his omnibus videndus Doujatus *praenot. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 9. *et seqq. pag.* 303. *et seqq. edit. Venet.* 1735.

(4) Codicem hunc, quem pridem manu scriptum inspexerat Joannes Morinus, primus in lucem edidit Lucas Dacherius *Spicileg. vet. Scriptor. tom.* 1. *pag.* 510. *seqq. edit. Paris.* 1723. Est autem divisus in libros tres, quorum primo agitur *de poenitentibus, et de poenitentii*, altero *de judiciis*, tertio *de ordinationibus, gradibus, et officiis Clericorum, atque Episcoporum.* Aliae quoque memorantur collectiones, quae

Canonum Poenitentialium titulo inscribuntur, ac de quibus agunt Fratres Ballerinii, qui integro *tom. 3. append. ad oper. S. Leonis M.* vetustas collectiones omnium diligentissime descripserunt.

(5) Regino Prumiensis Monasterii Abbas hortatu Radbodi Trevirensis Archiepiscopi anno, ut creditur, 906. suam collectionem absolvit tributam in libros duos; quorum primus *de personis* agit, *rebusque ecclesiasticis*, alter *de laicis*. In ea conficienda usus est collectione Dionysiana, Hispanica, et forte etiam Isidori Mercatoris, decretis Summorum Pontificum, canonibus Conciliorum, et sententiis SS. Patrum, quibus etiam civiles leges adjunxit petitas tum ex Codice Theodosiano, tum ex Capitularibus Regum Francorum. Collectionem hanc Joachimus Hildebrandus edidit *Helmstad.* an. 1659.; tum *Parisiis* an. 1671. Stephanus Baluzius, qui eam praefatione, ac notis illustravit.

(6) Burchardus gente Germanus, patria Hassus, Olberti postea Abbatis Gemblacensis discipulus, Monachus Lobiensis, tandem anno 996. Franconi fratri germano in Episcopatu Wormatiensi successit. Ejus collectio, quae *decretorum volumen* inscribitur, prodiit initio saeculi XI., divisaque est in libros viginti; ejusdem vero compendium absolvit, seu potius ex ea sumpsit, quae ad officium Sacerdotum pertinent, incertus auctor, cujus opus describit Canisius *Thesaur. monument. eccles. tom. 3. par. 1. pag.* 397. *seqq. edit. Antuerp.* 1725. Multa ex Reginone sumpsit Burchardus, haud tamen ejus nomen indicavit, uti observat Baluzius *in praefat. Reginon.* Erratis autem, in quibus haeserat Regino, sua etiam addidit, praesertim ex falsis Isidori decretalibus; quaedam etiam ex veteri, novoque Testamento, atque ex libris poenitentialibus accepit.

(7) Praeter alia scripta, quae referuntur a Canisio *loc. cit. pag.* 369. *seqq.*, etiam canonum collectio Anselmo tribuitur, propterea quod codices M. S. Bibliothecae Vaticanae, et S. Germani ejus nomen praeseferunt. Sed quia neque scriptor vitae Anselmi, quem Baronius laudat, neque Sigebertus, ac Trithemius, qui Anselmi acta, et scripta enarrant, ullam faciunt mentionem hujus collectionis, in eaque praeterea decreta extant Honorii II., Innocentii II., Calixti II., Gregorii II., quae post Anselmi obitum prodierunt, merito dubitatur, num Anselmus hujusce collectionis Auctor revera sit.

(8) Deusdedit Presbyter Cardinalis tituli Apostolorum in Eudoxia a S. Gregorio VII. creatus duo scripsit opera, quorum primum est *de privilegiis, et auctoritate Ecclesiae Romanae, Statusque Ecclesiastici, et adversus rerum Ecclesiasticarum invasores, Simoniacos, et schismaticos*; divisumque est in partes quatuor. Extat hoc opus manuscriptum in Bibliotheca Vaticana, atque aliqua ejus fragmenta a Baronio referuntur. Opus alterum similiter tributum in quatuor partes, complectitur canonum collectionem, cujus consilium, ac partitionem fontesque, unde ea sumpta est, indicat ipse Deusdedit in epistola ad Victorem III., qui anno 1086. Summus Pontifex creatus est, annoque sequenti ex hac vita migravit. Ex quo deprehendimus aetatem, qua haec collectio vulgata est. Fratres Balleriuii *in tract. de collection. tom. 3. opp. S. Leonis M. par. 4. cap. 14. pag. CCC. seq.* describunt hanc epistolam, cujus tamen aliqua, quae in eam Scriptoris culpa irrepserunt, menda indicat Franciscus Antonius Zaccaria *dissert. Italic. 4. par. 2. tom. 2. pag.* 174. *seqq. edit. Rom.* 1780., qui etiam refert singula capita, quibus tota collectio continetur. Idem Zaccaria *loc. cit. par.* 1. aliam quoque laudat antiquiorem collectionem, quae extat in vetusto Codice Capituli cathedralis Ecclesiae Mutinensis, quamque ipse ad VII., aut VIII. saeculum pertinere arbitratur.

(9) Utraque haec collectio edita est aut in exitu saeculi XI., aut initio saeculi XII. *Excerptiones ecclesiasticarum regularum* nunc vulgus appellat *decretum*, quod divisum est in libros septemdecim; *Panormia*, quae tribuitur in libros octo, veluti ejus compendium est, atque ita appellatur quasi omnes comprehendat normas vitae, ac disciplinae ecclesiasticae. Bellarminus *de Scriptor. eccles. tom.* 7. *opp. pag.* 351. *edit. Venet.* 1721., Antonius Augustinus *de quibusd. collector. canon. cap.* 30. *pag.* 241. *et* 242. *tom.* 3. *opp. edit. Lucae*, Natalis Alexander *Histor. eccles. saec.* 1. *append. ad dissert.* 20. *num.* 9. *pag.* 201. *tom.* 3. *edit. Venet.* 1776., Joannes Molinaeus, qui decretum cum epistolis Lovanii edidit an. 1561., in *praefat.*, aliique complures disputant, num Ivo Panormiae auctor revera sit. Sunt enim qui hoc opus Hugoni cuidam Catalaunensi tribuendum putant: sed Stephanus Baluzius illud Ivoni vindicat. Hujus, et Burchardi fidem, atque auctoritatem multis in rebus sequutus est Gratianus; ideoque in eosdem incidit errores, in quos illi pridem inciderant.

§. XXIII. Fuit autem Gratianus Monachus ex Ordine S. Benedicti, Clusii in Hetruria natus, diuque vixit in Bononiensi coenobio SS. Felicis, et Naboris, ubi circa annum 1151. celeberrimam evulgavit collectionem, quam ipse inscripsit *decretorum canonicorum collectanea*, seu *concordantiam discordantium canonum* (1). Quod opus sumptum est ex locis S. Scripturae, ex canonibus quinquaginta Apostolorum, ex conciliis generalibus, ac particularibus, ex decretalibus Summorum Pontificum, ex sententiis SS. Patrum, et complurium Scriptorum ecclesiasticorum, ex libris Juris Civilis Romanorum, Capitularibus Regum Francorum; et rescriptis aliquot Imperatorum, ex historia ecclesiastica, ex Libro Diurno (2), atque ex Ordine (3), Poenitentiali (4), et Pontificali Romano (5). Nunc *decreti* nomine hanc collectionem appellamus; quod tamen minus proprie fit, cum in ea non unum, sed plura decreta referantur (6).

(1) In Ecclesia S. Petronii ad sacellum S. Sebastiani extat hujusmodi inscriptio.

D. O. M.

» Gratiani Clusini Jur. *Caes.* et Pont. enucleatoris prope divini, qui mona-
» chus in martyrum Felicis, et Naboris aede absolutissimum ibidem opus
» Decretorum anno gratiae 1151. compilavit, monumentum; quod illic ca-
» rie, ruderibusque obsorduerat, hic magnificentius renovatum Jo. Fran-
» ciscus Aldobrandus Bononiensis 4. Dictator aere publico restauravit an-
» no salutis 1498. Idib. Junii Joanne Bentivolo 2. D. P. Remp. feliciter
» gubernante «.

(2) Ex Libro Diurno sumptus est *can.* 8. *dist.* 16. Hoc autem nomine appellatur codex, in quo, praeter formulas scribendi, quibus sexto,

septimo, octavo, atque etiam nono saeculo Romani Pontifices uti solebant, continentur etiam ordinationes Summi Pontificis, et Episcopi suburbicarii cum suis omnibus adjunctis, professiones fidei, privilegia, praecepta, concessiones, aliaque generis ejusdem. Hujus libri mentionem faciunt antiqui praesertim canonum collectores, quos inter Ivo Carnotensis *Decret. par.* 4. *cap.* 132. *opp. par.* 1. *pag.* 122. *edit Paris.* 1164., et Gratianus *cit. can.* 8. Uterque habet ex eo libro Romani Pontificis professionem. Joannes Garnerius, qui post Lucam Holstenium, uti paulo post dicam, illum evulgavit *in praefat. num.* 10. *seq.*, editum fuisse putat medio illo tempore, quod inter annum 685., et annum 752. intercedit. Nam postremi, qui in illo memorantur, Summi Pontifices sunt Martinus, et Agatho, quorum alter an. 655., alter anno 682. ex hac vita migravit. Inter generalia Concilia ultimum recensetur sextum, quod habitum est anno 680., quamquam et alia fuissent mentione digna, si jam ea aetate extitissent. Inter Imperatores postremum locum occupat Constantinus Pogonatus, qui ibi dicitur coegisse nuper sextum Concilium; Pogonatus autem obiit anno 685. Itaque Liber Diurnus ante hunc annum collectus non est. Cum autem in eo de ordinatione Summi Pontificis inter formulas numerentur duae, quibus ad Exarchos scribebatur, hi vero instituti fuerint anno 567., pulsi autem anno 752., manifestum est post hunc annum eumdem librum non fuisse conscriptum. Cuncta haec Garnerius expendit, postremo statuit, illum paulo post annum 714. videri compositum, atque esse Marculfi formulis praestantiorem, et recentiorem, modo certum sit, eas scripsisse Marculfum anno 660. Verum Franciscus Antonius Zaccaria, qui de hoc Libro Diurno copiose disputat *dissert.* 2. *tom.* 2. *par.* 2. *Biblioth. Ritual. pag.* CCXXX. *seqq. edit. Rom.* 1776. codicem illum, quo Garnerius usus est, exaratum fuisse putat Gregorio IV. Pontifice, hoc est IX. saeculo, codicem autem, quem edidit Holstenius, aut Garneriano vetustiorem, aut saltem ex antiquiori descriptum existimat. Ut ut ea de re sit, illud certum est, Librum Diurnum origine sua esse antiquissimum, cui tamen identidem pro ratione temporum multa adjecta sunt; uti evenit etiam in Manualibus recentioribus, Breviariis, aliisque similibus ecclesiasticae disciplinae codicibus. Postquam vero ejus libelli loco alia manualia adhiberi coeperunt, adeo obsolevit Diurnus, ut viri eruditi usque ad saeculum decimum septimum vix aliqua ejus exemplaria invenire potuerint. Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dial.* 20. *pag.* 253. *edit. Venet.* 1786. eum librum cum hoc titulo non extare, sed tamen sese aliquot Professionis exempla vidisse affirmat. Baluzius *in not. ibid.* varia ejus exemplaria memorat, unum Romae in Bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiae in Bibliotheca Claromontana Societatis Jesu, tertium quod Joannes Launojus *de Lazari, Magdalena et Marthae in Provinciam appulsu cap.* 10. *observ.* 10. sese vidisse testatur. Vaticanum codicem edidit Lucas Holstenius *Romae an.* 1750. cum hoc titulo: *Diurnus Pontificum, sive vetus Formularium, quo S. Romana Ecclesia ante annos M. utebatur. Lucas Holstenius edidit cum notis. Romae typis Lud. Griniani MDCL.* Rem omnem narrat Franciscus Ant. Zaccaria *cit. dissert.* 2. *par.* 2. *pag.* 252. *seqq.*, qui antiquum unum memorat hujus editionis exemplar ab se visum cum eo titulo ipsius Holstenii manu descripto apud V. Cl. Cajetanum Marinium Vaticanae Bibliothecae Praefectum. Vetus haec Holstenii editio suppressa fuit, ejusque exemplaria delata ad Bibliothecam Vaticanam, ubi latuerunt usque ad Pontificatum Benedicti XIII., cujus auctoritate in lucem prolata sunt; cumque ea carerent titulo, ac postremo quaternione, visum est in iis describere annum 1658,

et Typographum *Josephum Vannaccium* Unum ex his exemplaribus cum ejus anni nota, ejusque Typographi nomine illud est, quod laudat Cl. Liruiius *loc. cit. lib.* 3. *dissert.* 20. §. 2. *tom.* 2. *pag.* 246.; atque hujus similia exemplaria Romae in Casanatensi, aliisque Bibliothecis servantur Editio autem altera Libri Diurni, sumpti fortasse ex codice Collegii Claromontani, absoluta est Parisiis an. 1680. a Joanne Garnerio, qui tres etiam adjecit dissertationes, ac notas doctrinae plenas. Huic editioni supplementum addidit Mabillonius *Museum Ital. tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 32. *seq. edit. Paris.* 1724., qui codicem illum, quo usus est Holstenius, quemque ipse in manibus habuit, vocat *vetustissimum annorum octingentorum exemplar*. Hoc supplemento auctum Garneriaunm diurnum an. 1733. Lipsiae edidit Christ. Godoffredus Hoffmannus *Nov. Scriptor. ac monument. rariss. collect. tom.* 2. *pag.* 268. Sed Jo. Daniel Schoepflinius, cum anno 1741 Basileae suas ederet *commentationes historicas*, *et criticas*, multo melius de Diurno meritus est; collatis diligenter duobus codicibus altero, quem Holstenius, altero, quem Garnerius evulgaverat. Post haec Paulus Josephus a Riegger novam Garneriani Diurni editionem an 1762. Vindobonae curavit, sed in ea nihil antiquae Parisiensi editioni adjectum est. Extant in hoc libro, praeter cetera, nonnullae formulae Gregorio M. antiquiores: quo de genere Cardinalis Thomasius *in praefat. ad Responsoral. opp. tom.* 4. *pag. XII.* putat esse cautionis formulam, quam Episcopi suburbicarii de nocturnis vigiliis quotidie celebrandis ipso suae ordinationis die Romano Pontifici praestabant. Neque vero quod hic liber vocatur *Liber Diurnus Pontificum Romanorum*, putandum est, horum tantum proprium fuisse, aut solas compleeti Romanae Ecclesiae consuetudines. Nam ut observat Antonius Franciscus Vezzosius *in not. ad d. tom.* 4. *opp. Tomasii pag.* 324., initio quidem pro Ecclesia Romana compositus fuit, sed eo deinceps aliae quoque Ecclesiae uti coeperunt, et tamen etiam eum ad earum usum accomodatus fuit, vetus inscriptio servata est.

(3) Ordinis Romani nomine comprehenduntur libri caeremoniarum ecclesiasticarum. quae in Romana Ecclesia diversis temporibus servabantur sive in sacris Episcoporum, ipsiusque etiam Romani Pontificis ordinationibus, sive in divinis officiis celebrandis. Canones, qui ex his libris a Gratiano laudantur, describit Perardus *Gratiani canones genuini etc. par.* 3. *c.* 40. *tom.* 4. *pag.* 449. Joannes Mabillonius *Museum Italicum tom.* 2. solide, et copiose disserit de Ordine Romano, ex eoque nos pauca sumemus, quae praesertim ad rem nostram pertinere videntur. Ipse igitur hunc librum octavo saeculo antiquiorem, atque ad aetatem Gelasii Pontificis referendum arbitratur; et illud praeterea animadvertit, plures olim fuisse Ordinis Romani libros, atque in singulis peculiare argumentum fuisse comprehensum, uti erat liber de Missa Pontificali, liber de Missa Episcopali secundum ritum Ecclesiae Rumanae, liber de Baptismo, liber de Ordinibus sacris etc. Illum autem, de quo hic nobis sermo est, Ordinem Romanum primus typis edidit Coloniae anno 1561. Georgius Cassander, quem deinde paucos post annos sequutus est Melchior Hittorpius. Qui plura ea de re desiderat, adeat Mabillonium *loc. cit.*

(4) Ex Poenitentiali Romano Gratianus laudat *can.* 17. *c.* 17. *q.* 4. Plures autem sunt Poenitentiales libri, de quibus singulis dicere longum esset, ac non necessarium; sed ab eruditis duo Poenitentiales Romani laudantur, quorum alterum ad nos transmisit Halitgarius Cameracensis Episcopus, qui obiit anno 831., alterum edidit Antonius Augustinus, qui illum *in Epitome Juris Canonici* descripsit. Extat autem hujus Halitgarii

opus de vitiis, *et virtutibus*, *remediis peccatorum*, *et ordine*; *vel judiciis poenitentiae*, *sex libris absolutum*. Quinque priores libros ediderunt tum Henricus Canisius *Thesaur. monument. ecclesiast. tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 91. *seqq. edit. Antuerp.* 1725., tum Bibliothecae Patrum collectores *tom.* 14. *pag.* 906., tum denique accuratius ceteris Franciscus Ant. Zaccaria *Biblioth. Ritual. tom.* 1. *append. II. pag.* 253. *seqq.* Sextum autem librum, qui nihil est aliud, quam Romanae Ecclesiae *Liber Poenitentialis* ab Halitgario depromptus ex ejus Ecclesiae scriniis, primus in lucem emisit Stewartius *supplemen. ad Canisium loc. cit. pag.* 132. *seqq.*, deinde Hugo Menardus *in not. ad sacrament. S. Gregorii M. not.* 679. *opp. ejusd. Gregor. tom.* 3. *col.* 462. *seqq.*, et Joannes Morinus *in append. ad libr. de poeniten. p.* 5. Ipse autem Halitgarius *in praefatione* fatetur, ignorare sese, *a quo sit editus* Liber hic poenitentialis; neque certe videtur fuisse antiquus Poenitentialis Liber Ecclesiae Romanae, saltem plurima Halitgarii aetate addita fuisse nemo inficiabitur, uti observat Basnagius *in praefat. loc. cit. num.* 6. *pag.* 86. Alterum Poenitentialem librum, uti diximus, evulgavit Antonius Augustinus ex Bibliotheca Michaelis Thomasii Episcopi Ilerdensis, eumque Romanum appellavit, quod ab Urbe Roma delatus fuerat. Forte Gratianus Halitgarii fidem sequutus Romanum Poenitentialem vocavit librum, unde sumpsit *cit. can.* 17.

(5) Romanum Pontificale Gratianus laudat *in can.* 8. *caus.* 35. *q.* 9., quamquam non omnia, quae in eo canone leguntur, in Pontificali inveniantur, uti observat Berardus *Gratiani canones etc. par.* 3. *cap.* 38. *pag.* 447. Hoc autem Pontificale, quo continentur vitae Pontificum Romanorum, nomen praesefert Anastasii Bibliothecarii, qui floruit IX. saeculo; sed revera de ejus auctore magna inter eruditos facta sunt divortia sententiarum. Lucas Holstenius, qui cum novam, emendatiorem Pontificalis editionem pararet, morte occupatus perficere cogitata non potuit, unam Nicolai I. vitam Anastasio adscribendam putabat, incerto autem auctori Pontificum ceterorum vitas. Joannes Ciampinius *in Examine libri Pontificalis* ab Anastasio Gregorii IV., Sergii II., Leonis IV., Benedicti III., et Nicolai I. vitas conscriptas existimat, Pontificum autem reliquorum, qui Nicolaum sequuti sunt, vitas diversis Auctoribus attribuit. Emmanuel Schelestratius, qui partem laborum Holstenii ex ipso ejus authographo vulgavit *Antiquit. Eccles. illustr. tom.* 1. *dissert.* 3. *pag.* 400. *seq.* ejusdem Holstenii sententiam sequitur; quod etiam facit Franciscus Blanchinius, qui splendidam Romani Pontificalis editionem Romae curavit cum praefatione, prolegomenis, et virorum eruditorum notis, quam editionem post obitum Francisci absolvit Josephus ejus ex fratre nepos. Petrus Lambecius *in lib.* 2. *comment. Biblioth. Caesareae cap.* 8. *num.* 277. primam hujus historiae de vitis Pontificum Romanorum originem non tantum Damaso antiquiorem esse statuit, sed etiam a prima Notariorum Sedis Apostolicae per Clementem institutione repetendam censet; quod etiam congruit cum iis, quae cum Blanchinio *in praefat. num.* 17. *et* 21. observat Ceillierus *Histoire des aut. sacr. et eccles. tom.* 19. *chap.* 27. *num.* 11. *et* 12. *pag.* 419. *seq.* En igitur quam habeant originem vitae Pontificum Romanorum, quas Pontificale complectitur; a quovis demum homine eae collectae habeantur. Post illam, quam memoravimus, Blanchinii editionem, prodiit etiam in lucem Liber Pontificalis cura, et studio Ludovici Antonii Muratorii, cum novis variis, exquisitisque lectionibus *in tom.* 3. *par.* 1. *Scriptor. Rerum Italic.*; praemissis Schelestrati, Ciampinii, et Blanchinii de hujus libri, et auctoritate lucubrationibus, ac sententiis eruditorum virorum. Addidit postea ipse Muratorius *in parte secunda ejusdem tom.* 3., et in-

ipsa *parte prima* supplementa ad vitas Pontificum Romanorum, quas deduxit usque ad annum 1500. Inter illustres Pontificalis editiones in primis digna cura et observatu est praeclara illa, et accurata, quam absolvit Joannes Vignolius, quaeque Romae prodiit *an.* 1724. divisa *in tomos tres*. Neque illud omittendum, quod in hoc Pontificali multae insertae sunt a vero alienae narrationes, de quibus videndae sunt Editorum notae.

(6) Gratiani opus minus proprie *Decretum* appellatur, cum in eo non unum, sed plura decreta comprehendantur, sed usus fori, et scholarum fecit, ut eidem haec appellatio tribueretur. Consule Antonium Augustinum *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dial.* 1., et Baluzium *in not. pag.* 2. *seqq. edit. Venet.* 1786.

§. XXIV. Divisa est tota haec Gratiani collectio in partes tres, quarum prima de personis praesertim agit, continet *distinctiones* 101., et sub qualibet distinctione plures *canones*, aut *capita*, quae ita laudantur ex. gr. *can. omnes dist.* 1., hoc est capite, seu canone, qui incipit *omnes*, quique extat in 1. distinctione, vel per numerum canonis *ex. gr. can.* 3. *dist.* 1. Pars altera judicia complectitur, eaque tributa est in *causas*, quae sunt numero 36., in unaquaque causa sunt plures *quaestiones*, in quibus singulis plura *capita*, aut *canones* comprehenduntur. In altera hac parte allegantur priora capitis, seu canonis verba, vel ejus numerus, praeterea causae, et quaestiones ex. gr. *can.* 2. *caus.* 8. *quaest.* 2., vel *can. nemo. caus.* 11. *quaest.* 3. In hac Decreti parte *in caus.* 33. *quaest.* 3. tractatus extat *de poenitentia*, qui in distinctiones septem divisus est. Cum hujusce tractatus canones indicantur, ne confundantur cum canonibus primae partis, qui eodem modo procedunt, additur *de poenitentia*, et causa nequaquam citatur *ex. gr. can. quem poenitet dist.* 1. *de poeniten.* Denique de rebus agit pars tertia, eaque tractatum habet *De consecratione* distributum *in quinque distinctiones*, quarum canones, seu capita laudantur hoc modo *can. tabernaculum dist.* 1. *de consecrat.*, vel *can.* 1. *dist.* 1. *de consecrat.* Additur *de consecratione*, ut pateat laudatum canonem ad partem tertiam pertinere. Percipi vix, ac ne vix quidem potest, quid sibi Gratianus sua hac partitione voluerit. Non enim justam aliquam videtur habuisse causam, propter quam postremas distinctiones a primis discerneret, aut varias quaestiones modo sub cau-

sarum, modo sub distinctionum titulo expenderet. Unica causarum, ac distinctionum differentia apparet, quod in distinctionibus, quasi more praeceptoris, ab una ad aliam materiam fit progressus; sed in causis quaedam facti species proponitur, deincepsque fit satis quaestionibus compluribus, quae ex facto oriuntur. Verum illo distinctionum causarumque discrimine nihil opus erat, cum omnia vel per solas causas, vel per distinctiones commode expediri potuissent. Accedit, quod tam in causis, quam in distinctionibus eaedem ferme res explicantur; itaut auctor videatur oblitus eorum, quae jam alio loco pertractaverat.

§. XXV. Duo potissimum in Gratiani codice hodie sunt, quae nobis eumdem exhibent paulo diversum ab eo, quem auctor ediderat. Primum consistit in additamentis, quae *Paleae* nomine passim occurrunt, alterum in notis numericis, quibus singula capita, seu canones distinguuntur. Quis auctor sit additamentorum, quae *Paleae* nomine inscripta diximus, incertum est. Sunt enim qui hoc proprium fuisse nomen existimant Auctoris, a quo canones utilitate, atque auctoritate praestantes adjecti sunt, qui canones initio in margine appositi deinceps in libri contextum irrepserunt; et sunt, qui ex verbis *P. alia*, nimirum *Post alia*, quae Juris Canonici studiosi in margine descripserunt, ut significarent, ea capita esse collocanda post ea, quae Gratianus scripserat, errore librariorum factum putant *Paleae* nomen (1). Sed ea de re neque statui certi aliquid potest, neque statuere valde interest. Hoc certum est, has Paleas Gratiani non esse, sed aliena deinde manu accessisse, fuisse primum in margine descriptas, postea translatas in ipsum operis contextum, et vero translatas inordinate, et indiligenter. Ex quo factum est, ut pluries inscriptio canonis, qui proxime Paleam sequitur, ad eamdem referenda videatur, cum revera ad canonem superiorem referri debeat; quia scilicet inter duos hos canones, qui Gratiani sunt, Palea interjecta est (2).

(1) Cur non etiam suspicari quis potest, horum additamentorum auctorem easdem Paleas appellare voluisse, ut significaret, se Gratiani opus plurimi facere: ita ut prae eo nullius momenti essent, quae ab se addebantur? Videndus Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dial.* 2. *cap.* 20., ibique Baluzius *in not.*, ubi etiam habes judicium Romanorum Correctorum *num.* 16. *pag.* 24.

(2) Sic *in can.* 2. *caus.* 9. *q.* 2., ut Romani Correctores monent, olim haec erat inscriptio *idem*, quod significabat, eumdem canonem esse Calixti Pontificis, ex quo superior laudatus fuerat. Vera erat haec inscriptio, ante quam inter *can.* 1., et canonem, qui nunc tertius est, antea secundus erat, Palea interponeretur, quoniam uterque pertinet ad Calixtum, sed canon Paleae nomine interjectus tribuendus est Urbano II., cui revera a Gratiano tribuitur *in can. ult. dist.* 6. *de poenit.* Idem, ut mittam cetera, quae multa sunt, occurrit exemplum *in can.* 2. 3. 4. 5. *caus.* 16. *q.* 2. Post canonem primum Gratianus laudaverat Urbanum II., cujus verba describere volebat, sed canon 2., uti tunc jacet, non est Urbani II., imo ne tertius quidem, quartus, et quintus, qui omnes Paleae nomen praeferunt. Urbani II. est canon 6., ad quem initio Gratianus spectaverat, et quem secundum posuerat, sed interjectis quatuor illis Paleis earum auctor canonem 6. a sua inscriptione, quae est ante canonem 2., separavit. Ex quibus manifestum est, Paleas esse accessiones, quae post editam a Gratiano collectionem factae sunt.

§. XXVI. Alterum accessionum genus positum esse diximus in notis numerorum. His porro Gratianus unum caput ab altero minime distinxit, sed perpetua oratione Patrum sententias suis attexuit; ideoque a veteribus canonum interpretibus Gratianea capita non per numeros laudantur ex. gr. *can.* 1. *dist.* 8., sed hac formula *quo jure dist.* 8. Antonius Contius, et Antonius Demochares primi fuerunt, qui Juris Canonici studiosis sese rem gratam facturos putarunt, si notis numerorum adjectis canones distinguerent. Idipsum ab Antonio Augustino factum est eodem tempore, quo a Contio, sed non eodem ordine, quod et ipse Augustinus profitetur (1). Contii editionem, partitionemque numerorum sequuti sunt, qui hodiernos codices ediderunt, aut renovarunt.

(1) Ipse Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dialog.* 18. *pag.* 221. *edit. Venet. cit.* habet haec » Ego numeros addidi ante eam editionem, neque divinare potui, quid in ea scripturus esset Contius ».

§. XXVII. Vix Gratiani opus in lucem prodiit, tanto ab omnibus in pretio habitum est, ut in scholis publice legeretur, atque in foro tamquam pars communis juris proponeretur. Nam ceterarum collectionum in Occidente vix

ulla amplius habita ratio est, omnesque ad Gratianum interpretandum, aut illustrandum industriam suam converterunt. Plures autem fuere causae, propter quas ea collectio tanto hominum plausu exciperetur; et earum quaedam ad rerum illarum statum, temporumque rationem, quaedam ad ipsam operis praestantiam referendae sunt. Scilicet tunc recens invaluerat Scholasticae Theologiae methodus, auctore inter ceteros, vel patrono Petro Lombardo, qua in utramque partem de singulis instituebatur disputatio, omniaque ad concordiam vocabantur. Ea methodo usus est Gratianus; idcirco omnium ad se studia convertit, uti simili modo Petrus Lombardus magnis est cumulatus laudibus, et *Magister* appellatus. Accedit quod eadem aetate Jus civile Romanorum in Italia reviviscere, atque ab omnibus cognosci, ac plurimi fieri coepit, et Gratianus ex eo jure multa sumpsit, quibus opus suum locupletavit; quod praeterea codex editus, ac facile receptus Bononiae, quo omnes jurisprudentiae addiscendae causa confluebant, haud difficulter recipi, et probari ubique potuit. Sed ipsa operis praestantia magnam ejus commendationem, et hominum existimationem conciliavit. Nam Gratianus summo studio, ac diligentia vetera omnia monumenta conquisivit, iisque omnem fere ecclesiasticam jurisprudentiam complexus est; non ordine servato temporum, sed ratione habita materiarum, quas omnes suo loco illustravit: collectionem dedit multo copiosiorem ceteris, quae antea prodierant: magnoque ingenii acumine, et methodo non solum ad scholarum usum, sed etiam ad forensem exercitationem apta, et accomodata omnia, quae inter se pugnare videntur, ad concordiam vocare studuit.

§. XXVIII. Verumtamen illud accidit perincommode, quod tanta vir sedulitate, tamen, quae illius temporis conditio erat, neque satis fuit antiquitatum gnarus, et rivos sectatus pleraque in opus suum derivavit non ipsis ex fontibus, sed ex mendosis collectionibus Burchardi, Ivonis, ceterorum. Factum hinc est, ut saepe falsa pro veris usurpet, fidem adjungat Decretalibus Summorum Pontificum, quae ab Isidoro Mercatore confictae sunt; confundat cano-

nes quini-sextae in Trullo synodi cum canonibus sextae synodi oecumenicae, sententias Patrum cum decretis Pontificum Romanorum, aut conciliorum, et Patrem unum, aut unum Concilium, atque Pontificem cum alio Patre, Concilio, Pontifice; corrumpat auctorum nomina, et locos, atque illis sententiam adscribat, quam numquam animo conceperunt; quaedam antiquata, et abrogata tamquam sua aetate probata, et usu recepta proponat (1).

(1) Postremum hoc observat S. Antonius Florentinorum Antistes *in Sum. Major. part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8. Ceterum de Gratiani mendis videndus in primis est Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. dialog.* 1. *et seq. pag.* 10. *et seq. lib.* 1.

§. XXIX. Cum haec animadvertissent Antonius Contius, et Antonius Demochares de Gratiani emendatione sedulo cogitare coeperunt. Primum igitur canones omnes, uti diximus, per numeros distinxerunt, ut facilius inveniri, laudarique possent, deinde plures decreto notas, atque emendationes addiderunt. Sed cum multa adhuc essent corrigenda, Pius IV., et S. Pius V. selectis quibusdam viris, quos *Romanos Correctores* vocamus (1), Decreti emendationem commiserunt, quae demum Gregorio XIII. Pontifice fuit absoluta. Etiam Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus eruditum vulgavit opus *de Gratiani emendatione*, quod comprehenditur duobus dialogorum libris (2).

(1) Horum virorum nomina, praeter ceteros, describit Joannes Doujatus *Praenot. Canonic. lib.* 4. *cap.* 13. *pag.* 398. *et seq. edit. cit.*

(2) Praeter eos, quos memoravi, ad Gratiani opus emendandum et alii plures animum adjunxerunt; sed omnium praestantissimum est opus Caroli Sebastiani Berardi comprehensum quatuor voluminibus in quarto, cui titulus = *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti; corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti; difficiliores commoda interpretatione illustrati* = Non multis ab hinc annis Le-Platius disputatione Lovanii edita, novum se inventum in apricum protulisse ratus, plane commentitios, ac nullius auctoritatis esse contendit canones, quos Gratianus ex Concilio Carthaginiensi IV. descripsit. Sed quod nuper Le-Platius, id multo antea conjecerat Christophorus Justellus *in praefat. ad Codic. Eccles. African. tom.* 1. *Biblioth. Jur. Canon. pag.* 317. *edit. Paris.* 1661., multique cum eo Protestantes; et vero fatendum est, hujus concilii nullam extare mentionem in Codice canonum Ecclesiae Africanae, nullam item apud Ferrandum Diaconum, Dionysium Exiguum, ceterosque antiquos collectores. Guilielmus Caveus *Scriptor. eccles. Histor. liter. ad an.* 398. *tom.* 1. *pag.* 369. *edit.*

Oxonii 1740. rem sibi incertam, et obscuram videri affirmat, quod item ait Berardus *loc. cit. par.* 1. *cap.* 15. *pag.* 154. Contra Baronius *ad an.* 398. *tom.* 6. *num.* 67. *pag.* 278. ibique Pagius *num* 18., Perronius *in respons. ad Regem Angliae cap.* 48., Schelestratius *Ecclesia Africana dissert.* 3. *cap.* 8. *pag.* 214. *seqq. edit. Paris.* 1679., Petrus de Marca *dissert. de veter. collection. cap.* 7. *pag.* 140. *et seq. edit. Roboreti* 1763., Tillemontius *Memoire pour servir a l'Histoir. Eccles. tom.* 13. *art.* 123. *et not.* 29. *in Augustin. Vit. pag.* 321. *et* 982. *edit. Venet.* 1732., Ceillierus *Histoir. general. des auteurs sacr. et ecclesiast. tom.* 10. *chap.* 20. *art.* 3. *num.* 13. *pag.* 686. *seq.* verum, ac germanum esse defendunt Concilium Carthaginiense IV., unde Gratianus sumpsit canones, quos in sua collectione descripsit. Ut ut ea se res habeat, hoc certum est, quod licet iidem canones Concilio Carthaginiensi IV. minime adscribi velint, tamen despiciendi, ac repudiandi non sunt, uti visum est Le Platio, Justello, multisque Protestantibus. Nam plures eorum laudantur ab Egberto Eboracensi, Reginone, Buchardo, Anselmo Lucensi, atque aliis; et ritus, qui ad ordinationes pertinent, totidem verbis exhibet Sacramentarium Romanum, quod ex Bibliotheca Reginae Christinae edidit Cardinalis Thomasius, qui ejus auctorem putat Gelasium I. P., quem in exitu saeculi V. obiisse constat, *tom.* 6. *opp. Card Thomasii pag.* 114. *et seqq.*, quamquam et ipse fateatur alios deinceps recentiori aetate accessisse festos dies, quorum descriptio Gelasio tribui nequit. Cujus quidem codicis antiquitatem frustra in discrimen revocare conati sunt haeretici homines Jacobus Basnagius, et Christophorus Matthaeus Pfaffius, quos solide refellit Muratorius *Liturg Roman. vetus dissert. de reb. liturgic. cap.* 5. *pag.* 38. *et seq. tom.* 1. *edit. Neapol.* 1776. Quare omnis, si qui est, Gratiani error consistit in titulo, sive inscriptione, quia nimirum Concilio Carthaginiensi IV. canones adscripsit, qui ejus revera non sunt; verum illi haud sane contemnendi, sed contra plurimi faciendi sunt. Vide-sis Fratres Ballerinios *in append. ad opp. S. Leonis M. tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 3. §. 4 *pag. LXXXVIII. seq.*

§. XXX. De auctoritate Decreti sic habendum est; omnia, quae in eo referuntur, vim eamdem habere ac si seorsim a Decreto spectentur. Itaque loca Sacrae Scripturae, decreta Summorum Pontificum, et generalium Conciliorum, quam sua indole, et natura vim habent, eamdem in Decreto retinent; cetera vero auctoritatem, qua per se carent, in Decretum translata non consequuntur. Sunt qui illud ab Eugenio III. approbatum, et publica auctoritate donatum existimant; sed hoc merum opinionis commentum est, praeterea nihil (1). Numquam enim Romanos Pontifices Gratiani collectionem approbasse constat (2); quin etiam Gregorius XIII., qui antea, cum Cardinalis esset, huic operis emendando a Pio IV., et V. praepositus fuerat, ei pontificiam auctoritatem tribuere noluit, cum illud se Pontifice absolutum, et emendatum in manus hominum pervenit.

(1) Si certum esset, quod ex Kalendario Gymnasii Bononiensis *ad an.* 1152. *Kal. Novembr.* tradit Alexander Macchiavellius *in not. ad Sigonium Histor. Bonon.*, ex eo colligi posset, Eugenium III. facultatem dedisse, per quam Gratiani decretum publice *posset legi, et explicari*. Sed primum nulla hic ejus decreti confirmatio est, ejusque legendi, et explicandi praeceptum nullum; deinde veterum monumentorum, quae a Macchiavellio afferuntur, merito eruditis omnibus suspecta fides, et veritas.

(2) Confer Antonium Augustinum *loc. cit. lib.* 1. *dial.* 3. *pag.* 27.

§. XXXI. Gratiani collectio, quae magna ubique laude celebrata fuit, multos ad eumdem laborem excitavit; et hinc plures ad colligendas Romanorum Pontificum decretales animum adjecerunt. Ex eorum numero dignus in primis memoratu est Bernardus Circa Praepositus Papiensis, ac postea Faventinus Episcopus, qui circa annum 1190. vulgavit *Breviarium Extravagantium*, hoc est decretorum, quae extra opus Gratiani vagabantur. Nam haec collectio non tantum continet antiquiorum Pontificum decretales, canonesque Conciliorum, et Patrum sententias, quae Gratiani diligentiam effugerant, sed et in primis constitutiones Summorum Pontificum post Gratianum editas, nimirum Alexandri III., Lucii III., Urbani III., Clementis III., praeterea canones Concilii Lateranensis III. Collectio haec *prima collectio* appellatur (1).

(1) Paulus Josephus de Riegger *Instit. Jurispr. eccles. pag.* 2. §. 80. *et* 81. *prolegomen. pag.* 78. *seqq. edit. Vindobon.* 1767. et Philippus Hedderichius *elem. jur. canon. sect.* 1. *cap.* 2. *tit.* 7. §. 92. *pag.* 107. *edit. Bonnae* 1778. duas memorant Bernardo Circa antiquiores collectiones Pontificiarum decretalium, quarum altera edita est a Boehemero, altera describitur cum titulo *Appendicis ad concilium Lateranense III. tom.* 13. *Concil. Labbaei col.* 446. *seqq.*, atque hanc Antonius Augustinus suspicatur esse collectionem, quam ab Alano exaratam paulo post dicam. Illa divisa est in titulos 65., quorum priores duodecim canones Concilii Lateranensis III. sine ordine congestos, reliqui decretales Alexandri III., exceptis quibusdam capitulis, complectuntur. Haec autem tributa est in partes duas, quarum prima continet ipsum Concilium Lateranense III., altera decretales Alexandri III., et aliorum quorumdam Summorum Pontificum, atque in Clemente II. desinit. Itaque collectio Bernardi Circa, quae his duabus recentior est, tertia erit; sed ea generatim prima appellatur.

§. XXXII. Non multo post quam Bernardi collectio in lucem emissa fuerat, Gilbertus Abbas, et Alanus Episcopus Antissiodorensis omissas a Bernardo constitutiones collegerunt; sed brevi eorum opera interciderunt. Itaque

ex iis novam absolvit collectionem Joannes Gallensis, seu Vallensis, qui ea complexus est tum eorumdem Pontificum, de quibus diximus, tum Coelestini III. constitutiones. Atque haec *secunda* collectio dicitur; eaque non secus ac *prima* studio privato exarata est.

§. XXXIII. Post Coelestinum III. Pontificatu Maximo functus est Innocentius III., qui cum esset Juris, ac Theologiae peritissimus, valdeque studiosus restaurandae ecclesiasticae disciplinae, plurima de gravissimis rebus constituit. Ejus decreta, quae duodecim prioribus annis edita fuerant, collegit Bernardus major Archidiaconus Compostellanus; atque haec collectio *Romana compilatio* aliquando appellata est. Verum cum in eo volumine quaedam essent descripta, quae minus vigebant usu judiciorum; impetrarunt Romani ab Innocentio, ut Pontificia auctoritate alia collectio fieret, quod negocium commissum est Petro Beneventano Diacono; cujus opera in lucem prodiit tertius Decretalium liber, seu *tertia compilatio*. Atque haec quidem ex ceteris Decretalium collectionibus prima est, quae publicam auctoritatem obtinuerit, quoniam eam Innocentius confirmavit; ceterae collectiones privato studio exaratae nullam certam habebant fidem, nisi iis comprehensa decreta congruerent cum authographis, quae in scriniis Sedis Apostolicae servabantur. Tertiam hanc collectionem brevi consequuta est *Quarta*, cujus incertus est auctor; quaeque continet posteriores Innocentii III. decretales; et canones Concilii Lateranensis IV., quod eo Pontifice habitum est. Postremo *Quinta* collectio decretales complectitur Honorii III., eaque similiter, ut duae superiores Innocentii, Sedis Apostolicae auctoritate vulgata est. Atquae hae sunt quinque veteres decretalium collectiones, quarum priores quatuor Antonius Augustinus, postremam Innocentius Cironius ediderunt, notisque illustrarunt.

DE DECRETALIBUS GREGORII IX. SEXTO DECRETALIUM, CLEMENTINIS, EXTRAVAGANTIBUS.

CAPUT XIX.

I. Collectiones decretalium publica auctoritate evulgatae.
II. Collectio Gregorii IX.
III. et IV. Cur ea Decretalium nomine appelletur? Ejus divisio, et fontes, unde sumpta est.
V. Collectio Bonifacii VIII.
VI. Clementinae.
VII. Extravagantes.
VIII. Glossa.

§. I.

Hodie corpus Juris Canonici, quo in scholis, et in foro utimur, constat ex Gratiani Decreto, Decretalibus Gregorii IX., Sexto Decretalium Bonifacii VIII., Clementinis, Extravagantibus. Gratiani Decretum, uti supra ostendimus, nullam per se habet publicam auctoritatem; sed ea donatae sunt ceterae collectiones, quarum nunc facta mentio est. Quidquid igitur in iis comprehenditur, legem facit; contra quae in Decreto continentur tantum valent, quantum per se ipsa extra Decretum valerent. Nunc de illis agemus Pontificiarum decretalium collectionibus, quae publica auctoritate sunt editae, legemque constituunt. Sit initium a collectione Gregorii IX., quae antiquissima earum est, et per quam obsolverunt quinque illae vetustiores, quas supra memoravimus.

§. II. Prodiit haec collectio, quam proprio nomine *Decretales* vocamus, anno 1234. (1), studio, atque opera S. Raymundi de Pennafort ex Ordine Praedicatorum, cui totum negocium expediendum, et conficiendum a Gregorio commissum fuit. Quod Justinianus in Jure Civili praestiterat, ut ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, atque ex Novellis Constitutionibus, quae deinceps emissae in lucem fuerant, illis etiam additis, quas ipse vul-

gaverat, novum Codicem absolveret, id in Jure Canonico Gregorius praestitit. Justiniani rationem in eo quoque ipse est imitatus, quod ex decretalibus superiorum Pontificum ea sustulit, quae inutilia erant, quaeque antiquata, aut quae inter se pugnare videbantur.

(1) Raymundus ex Hispaniis Romam venit anno 1230., in eaque Urbe jussus a Summo Pontifice trium annorum spatio operam dedit colligendis decretalibus; atque hanc collectionem in manus hominum pervenisse anno 1234., ostendit exemplum a Bremondio editum epistolae Gregorii IX., quae ante ipsas decretales descripta est, dataque nonis Septembris an. 1233. Vide *praefationem* §. 3. *num.* 12. *pag. VII. et notas* 8. *et* 9. *in vitam S. Raymundi pag. XXXII.*; quae omnia praemissa sunt Summae *S. Raymundi de Pennafort edit. Veronae* 1744.

§. III. Inscriptum est hoc opus *Decretalium Gregorii IX. compilatio.* Sunt autem decretales epistolae, quae etiam absolute *decretales*, et *decretalia responsa* appellantur, Pontificiae literae, quibus consulenti rescribitur, et quae decretales dicuntur, propterea quod iis aliquid generatim vim habiturum, re diligenter expensa, decernitur. *Compilatio* idem est ac collectio; quamquam apud purioris latinitatis scriptores alia sit ejus vocabuli significatio (1). Divisa vero eadem compilatio, seu collectio est in libros quinque, quorum ordinem, et res, de quibus agitur in unoquoque eorum, exhibet hic versiculus:

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent, et capita, cum longiora sunt, in paragraphos tribuuntur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capitis, vel numerus, vel utrumque simul, hoc modo ex. gr. *Cap. venerabilem de elect.*, *Cap.* 1. *de Cleric. conjug.*, *Cap. tua nos* 26. *de sponsal. et matrim.* (2).

(1) Compilare Latinis est furari, deripere, atque ita furto fraudare, ut ne pili quidem spoliatis relinquantur. Hoc sensu adversus Verrem idem vocabulum usurpat Cicero *act.* 2. *in Ver. num.* 13. *opp. tom.* 4. *pag.* 212. *edit. Oliveti Genev.* 1743. cum inquit, *consulem, exercitum, provinciamque compilarit.* Similiter *in L.* 9. *ff. ad. L. Jul. peculat.* sacra publica compilare idem est ac diripere. Alio significatu Festus *compilare*, ait *est cogere, et in unum condere.* Hinc a S. Isidoro *etymolog. lib.* 10. *opp. tom.*

3. *pag.* 464. *edit. Cl. Arevali Romae* 1798. compilator dicitur, qui cum suis aliena dicta permiscet, *sicut solent pigmentarii in pila diversa mixta contundere.* Quoniam autem Raymundus sua collectione multa coegit, atque commiscuit, ea recte compilatio appellata est.

(2) In allegandis hujus collectionis capitibus interjici a quibusdam solet verbum *extra* hoc modo *cap. 7. extra de elect.*, ut nimirum pateat caput illud extra Gratiani decretum reperiri. Sed haec minus frequens est allegandi ratio.

§. IV. Complectitur haec collectio non tantum decretales Pontificum Romanorum a S. Gregorio I. usque ad Gregorium IX., sed etiam loca quaedam Sacrae Scripturae, canones Apostolorum, decreta Conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV. generale, multa demum, quae ex Patrum, aliorumque Scriptorum operibus sumpta sunt. Itaque Gratianeae collectionis exemplo potius *Decretorum volumen* appellanda videretur; verum in eam *Decretalium* nomen recte, et apte cadere perspiciet quisquis animadvertat, illius partem maximam conflatam esse ex decretalibus Summorum Pontificum, additis praeterea canonibus generalium Conciliorum Lateranensium III., et IV., qui praesertim auctoritate Alexandri III., et Innocentii III., iisque Concilio praesidibus editi sunt. Contra vero in Gratiani opere multo minor est Pontificiarum decretalium, quam decretorum aliunde excerptorum numerus.

§. V. Prodierunt deinceps et aliae, uit res nata postulabat Summorum Pontificum constitutiones, posteaquam exiit atque in vulgus emanavit Gregorii collectio; et hae sane dignae erant, quae unum in corpus redigerentur, partemque communis juris constituerent. Itaque Bonifacius VIII. anno quarto, postquam Summus Pontifex renunciatus fuerat, usus opera Guilielmi Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Episcopi Bitterensis, et Riccardi de Senis, qui omnes Cardinales postea creati sunt, collegit canones duorum generalium Conciliorum Lugdunensium (1), et decretales Pontificum Romanorum, quae post editam Gregorii IX. collectionem fuerant evulgatae, atque ex iis, suis etiam comprehensis constitutionibus, confecit *sextum decretalium.* Quo nomine Bonifacius suam collectionem appellari voluit, ut significaret, eam esse quasi supplementi loco Gregorianae, quae constat

libris quinque; sed illa etiam ex iisdem numero libris conficitur. Cum ejus capita laudantur (nam Gregorii exemplo Bonifacius tribuit in plura capita unumquemque titulum) in fine additur *in sexto*, ut a capitibus Gregorianae collectionis distinguantur, hoc modo ex. gr. *Cap. concertationi de appellat. in 6.*

(1) Paulu. Josephus de Riegger *loc. cit.* §. 94. *et.* 95. *pag.* 90. *et* 91. et alias duas Bonifacio antiquiores memorat collectiones, quarum alteram ab Innocentio IV., alteram a Gregorio X. exaratam, utramque autem a Boehemero evulgatam tradit. At hae revera non sunt collectiones ex plurium decretis, scitisque absolutae, uti ceteras esse constat: sed decreta sunt duorum generalium Conciliorum Lugdunensium, quorum primo Innocentius IV., alteri Gregorius X. praefuit. Uterque Pontifex decreta Concilii, cui ipse praesederat, ab omnibus observari praecepit datis literis ad Academiam Bononiensem, quae tunc celebritate famae singulari florebat, neque hae literae efficere possunt, ut inter eas collectiones, de quibus agimus, unius, alteriusve concilii decreta referantur.

§. VI. Bonifacio successit Benedictus XI., et huic postea Clemens V., qui partim ex suis epistolis, partim ex decretis Concilii Viennensis, cui ipse praefuit anno 1312., novam decretalium compilationem absolvit. Sed cum morte occupatus eam promulgare non potuisset, proximus ejus successor Joannes XXII. eamdem publica auctoritate donatam edidit VIII. Kalendas Novembres anno secundo sui Pontificatus, hoc est anno 1317. Hae constitutiones *Clementinae* vocantur, quod auctorem habent Clementem V., qui eas vel per se, vel per Concilium Viennense ab se celebratum edidit, quamquam ipse eas cum titulo *Septimi Decretalium* evulgare statuisset. Idem in iis, qui in superioribus collectionibus, ordo servatus est; quinque sunt libri, in quibus plures sunt tituli, et in his plura capita continentur, quae laudantur hoc modo ex. gr. *Clement. si furiosi de relig. domib.*

§. VII. Post Clementinas prodiere *Extravagantes*, quarum nomine omnes, quae extra corpus Juris Canonici vagantur, constitutiones comprehenduntur. Ea de causa, uti demonstratum supra est, Bernardus Circa collectionem suam, qua complexus est decretales Summorum Pontificum, quae Gratiani decreto non continebantur, *Breviarium Extravagantium* appellavit. Sed posteaquam Gregorii IX. collectio

vulgata est, cum in ea comprehensae decretales juris canonici partem facerent, licet Gratiani decreto non comprehenderentur, haud sane illud, quo antea designabantur, retinere potuerunt extravagantium nomen. Hodie duae sunt Extravagantium collectiones, quae in manibus hominum versantur, atque inter partes Juris Canonici referuntur, altera Joannis XXII., altera, quae continet Extravagantes communes, quoniam in ea descriptae sunt decretales plurium Pontificum ab Urbano IV. (1) usque ad Sixtum IV., quo Pontifice haec collectio privato studio absoluta est (2). Illa sane dividitur in libros quinque, sicut Gregoriana, et ejus loca sic laudantur *Extrav. rem non novam de dol. et contumac. inter commun.* At vero Extravagantes Joannis XXII. omnes uno comprehensae sunt libro, atque ita ejus loca indicantur *Extrav. cum inter nonnullos Joannis XXII. de verbor. signific.*

(1) Antiquissima decretalis, quae occurrit in Extravagantibus communibus, est Urbani IV., si vera est inscriptio *Cap. 1. de simon.*
(2) Decretalis omnium novissima extat *in Cap. 2. de reliq. et venerat. Sanctor.*, eaque a Sixto IV. anno 1483. emissa fuit.

§. VIII. Atque hi sunt libri illi, videlicet *Decretum*, *Decretales*, Sextus Decretalium, *Clementinae*, *Extravagantes Joannis XXII.*, *et Communes*, quibus constat corpus Juris Canonici, quo hodie in scholis, et in foro utimur. Est in unoquoque capite *Glossa* (quod verbum sumptum est ex greco γλῶσσα, et latine *linguam*, aut idioma significat) hoc est commentarius, a quo totum opus illustratur, et qui multorum opera absolutus est. Habet hic commentarius eamdem auctoritatem, quam habere potest privati doctoris opinio in legibus explanandis.

DE JURE NOVISSIMO

CAPUT XX.

§. I.

Post illas, quas antea descripsimus, canonum, ac decretalium editas collectiones novae prodierunt, et quotidie in lucem prodeunt Summorum Pontificum constitutiones; absolutae sunt etiam, atque ad eum perductae statum, in quo nunc sunt, Regulae Cancellariae; habitum Concilium Tridentinum, quod non tantum Lutheri praesertim, et Calvini haereses profligavit, sed multa etiam ecclesiasticae disciplinae capita constituit; denique plures etiam a Sacris Congregationibus Cardinalium, praesertim Concilii Tridentini Interpretum, declarationes emissae sunt. Ex his omnibus conficitur jus novissimum, videlicet jus constitutum post evulgatos libros, quibus corpus Juris Canonici constare diximus.

§. II. Primus Gregorius XIII. animum adjecit ad colligendas constitutiones Summorum Pontificum, qui post Sixtum IV. Pontificatum Maximum obtinuerant, atque id negocii dedit viris doctis, quorum esse debebat *septimum Decretalium* evulgare. Sed cum ipse re infecta decessisset, opus illud conficiendum curavit Sixtus V., quo etiam mortuo, denique absolutum, ac typis excussum est Clemente VIII. Pontifice, qui cum Cardinalis esset, ex eorum

numero fuerat, qui ea in re suam operam, studiumque posuerant. Sed obortis eo in opere difficultatibus (1), visum est supprimere exemplaria, quae nunc rarissima sunt, et gravi emenda pretio reperiri vix possunt. Iisdem fere temporibus Petrus Matthaeus Jurisconsultus Lugdunensis edidit *Septimum Decretalium* ab se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret, multa in eo sunt vitia, et plura etiam desiderantur.

(1) Consule Fagnanum *in Cap. cum venissent de judic.*, qui rem totam diligenter enarrat.

§. III. Sunt igitur extra corpus Juris Canonici, quod proprio eo nomine vocamus, sed tamen ipsius Juris partem efficiunt posteriores decretales Pontificum Romanorum, quae *Bullae* nuncupantur *a Bulla*, aut *Sigillo* vel plumbeo, vel aureo, quod una ex parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ex parte altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, qui interdum sericus, interdum cannabis est. Quarum Bullarum duplex genus est. Aliae nimirum sunt Consistoriales, quae expediuntur in Consistorio (1), adhibito consilio Cardinalium, a quibus subscribuntur, et hae aliud praeterea sigillum *ad formam crucis* habere solent. Aliae vero sunt *non Consistoriales*, quae extra Consistorium nullis Cardinalium subscriptionibus emittuntur. Sunt etiam *Bullae dimidiae*, quae ita vocantur, quod in sigillo impressum non habent nomen Pontificis; atque hae ab eodem dantur, antequam consecretur.

(1) Consistorium generatim quivis locus est, in quo consistitur, qua de re videndus Du-Cangius *Glossar. med. et infim. latinit. verb. consistorium.* Sed locus praesertim fuit addictus cubiculariis, qui ibi excubabant potius, quam cubabant, quo paratiores, promptioresque essent ad Domini mandata conficienda. Cum autem in eo loco consisterent qui Principis audientiam praestolabantur, ipseque Princeps ex interiori cubiculo sese illuc conferret, ut subditos audiret, eorumque causas, ac negotia dirimeret, atque etiam pro tribunali sederet, inde factum est, ut Consistorium generatim diceretur locus, in quo Princeps cum suis consistorianis de rebus publicis consulit, atque deliberat. S. Ambrosius *ep.* 24. *num.* 3 *opp. tom.* 3. *col.* 945. *edit. Venet.* 1748. ad Maximi Tyranni consistorium sese ivisse scribit » ubi sedit in consistorio, *inquit*, ingressus sum, adsurrexit, ut » osculum daret. Ego inter consistorianos steti ». Plures sunt civiles leges in consistorio latae, quas memorat Gothofredus *ad L.* 3. *Cod. Theod. de of-*

fic. judic. omn. *tom.* 1. *pag.* 67. *edit. Lipsiae* 1736. Videndus est etiam Cujacius *comment. ad lib.* 12. *Cod. tit.* 10. *opp. tom.* 2. *col.* 784. *edit. Venet.* 1758. Hinc deinceps invaluit, ut Cardinalium consessus coram Summo Pontifice in ejus palatio ad instar Senatus consistorium appellaretur. De eo copiose agit Catalanus *Caeremon. Roman. tit.* 9. *pag.* 330. *seqq. edit. Romae* 1750., ubi etiam habes publici, ac secreti consistorii distinctionem, et utriusque habendi modum.

§. IV. Bullae a Brevibus distinguuntur I. quod haec pro levioribus, illae pro gravioribus plerumque negotiis dari solent; II. quod haec Latino eleganti charactere, illae charactere Longobardico, aut Teutonico scribuntur; III. Brevia per Cardinalem a Secretis Brevium, Bullae in Cancellaria Apostolica expediuntur; IV. Bullae sigillum habent aureum, vel plumbeum pro conditione eorum, ad quos mittuntur, Brevia sigillum cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur *sub annulo piscatoris*; V. denique pro Bullis subobscurae, crassioresque membranae, pro Brevibus albae, et subtiles adhibentur (1).

(1) Vide Constitutionem *Gravissimum* 145. Benedicti XIV. *tom.* 1. *ejus Bullarii pag.* 361. *edit. Romae* 1754.

§. V. Bullas, sive extravagantes Pontificum constitutiones a S. Leone M. usque ad Sixtum V. primus collegit Laertius Cherubinus JC. Romanus, easque comprehendit uno volumine, quod *Bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum hunc librum constitutionibus Pauli V., ac tertiam quoque parabat Bullarii editionem, qua etiam ceterae constitutiones postea latae comprehenderentur. Sed cum morte occupatus cogitata perficere non potuisset, susceptum a Patre opus absolvit Angelus Maria Cherubinus, qui Romae edidit *Magnum Bullarium Romanum* divisum in tomos quatuor, quibus complexus est omnes constitutiones, quas Pater collegerat, et quas omiserat, atque illas in primis, quae post ejus obitum prodierant, usque ad Innocentium X. Quatuor his libris quintum addiderunt Angelus a Lantusca, et Paulus a Roma, qui constitutiones collegerunt, quae superiori tomo praetermissae, quaeque usque ad Clementem X. editae in lucem fuerant.

§. VI. Omnium tamen celeberrimum est *Bullarium Magnum*, quod saeculo superiori vulgatum est a Hieronymo Mainardo tributum in tomos 14., pluresque partes, quodque continet Bullas Summorum Pontificum a S. Leone M. usque ad Clementem XII. Verum in hoc Bullario multa sunt menda, quae Typographi culpa irrepserunt; praeterea plures in eo desiderantur Pontificiae Constitutiones, quae magni momenti sunt, quasque omnino describere oportebat. Est etiam Bullarium, quod constitutiones comprehendit Clementis XI., cui sunt adjecta praecipua quaedam decreta sacrarum Congregationum; itemque Bullarium Benedicti XIV., quod ejus Pontificis constitutiones complectitur, quodque in quatuor tomos divisum est, et sunt item Bullae nondum uno libro comprehensae Clementis XIII., Clementis XIV., Pii VI., Pii VII., qui nunc tenet totius Ecclesiae Principatum, quemque diu Deus servet incolumem Christianae societatis bono. Neque defuerunt, qui Bullarum summam, sive compendium conficerent, qua in re laborarunt Stephanus Quaranta, et Flavius Cherubinus Laertii filius, et novissime Aloysius Guerra, a quo tomis quatuor comprehensa est: *Pontificiarum Constitutionum in Bullario Magno, et Romano contentarum, et aliunde sumptarum epitome.*

§. VII. Regulae Cancellariae originem ducunt ab Joanne XXII., qui primus scripto mandari voluit has leges, ut iis Apostolica Cancellaria regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine, ac viva voce ejus negotia expediebantur. Consequentes Pontifices, ac praesertim Nicolaus V. varie auxerunt has regulas, easque perduxerunt ad eum statum, in quo nunc reperiuntur. Hodie Cancellariae regulae numerantur 72., in quas, praeter ceteros, commentarios scripsit omnium uberrimos, atque accuratissimos, et quatuor tomis comprehensos Joannes Baptista Rigantius. Hae regulae vim habent, quamdiu vivit Pontifex, a quo vulgatae sunt, atque ut convalescant, probari, et confirmari debent; quod paulo post creationem ab unoquoque Pontifice fieri solet. His vero derogatum in multis est per pacta conventa inter Summos

Pontifices, et potentissimos Europae Principes: quae pacta conventa, sive, ut vocant, *concordata*, nos in hoc opere suis locis indicabimus.

§. VIII. Concilium Tridentinum indictum est a Paulo III., quo Pontifice decem habitae sunt sessiones, octo nimirum Tridentini, et duae Bononiae, quam in civitatem sese contulerant Cardinales Legati Concilii, ac plerique Patres fugientes contagionem, qua Tridentum premebatur. A Julio III. Tridenti restauratum est, ac sex habitis sessionibus propter bella intermissum. Denique redintegratum est a Pio IV., novemque celebratis sessionibus an. 1563. absolutum. Constat sessionibus vigintiquinque; habet unaquaeque fere sessio partes duas, quarum una comprehendit capita, et canones, quibus damnantur haereses, et catholicum dogma constituitur, altera, quae inscribitur *de reformatione*, habet decreta, quae disciplinam respiciunt (1). Sessio XXIV. post canones XII. de sacramento matrimonii continet decretum *de reformatione matrimonii*, quod in decem capita tributum est, deinceps capita viginti, et unum decreti *de reformatione* generatim; Sessio autem XXV., praeter alia decreta, et reformationis capita, complectitur decretum de Regularibus, et Monialibus, quod in duo supra viginti capita divisum est.

(1) Hujus Concilii historiam adversus Petri Suavis, sive Pauli Sarpii commenta copiose, accurateque descripsit Sfortia Pallavicinus Cardinalis libro, cui titulus *Historia Concilii Tridentini contra Petri Suavis narrationem*. Ipsum vero Concilium legitimum, et oecumenicum ab omnibus orthodoxis habendum, colendum, et suspiciendum esse, praeter ceteros, ostendit Natalis Alexander *Histor. Ecclesiast. tom.* 9. *dissert.* 12. *art.* 16. *pag.* 556. *edit. Venet.* 1776.

§. IX. Denique ad Jus Canonicum pertinent etiam declarationes Sacrarum Congregationum Cardinalium. Sunt autem hae Congregationes conventus Cardinalium, quibus Pontifex certa negocia cognoscenda, ac definienda committit; et hae quidem vel ordinariae sunt, quae semper stabiles, fixaeque manent, vel extraordinariae, quae scilicet extra ordinem eriguntur pro rerum varietate, et

intereunt finito negocio, cujus gratia erectae fuerant. Inter ordinarias eminet Congregatio *S. Officii*, seu *Inquisitionis*, cujus est ferre judicium in omnibus causis, quae pertinent ad haeresim manifestam, schisma, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus, cetera demum, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur, et in reos horum criminum debitis poenis animadvertere. Dubitari certe non potest, quin Romanus Pontifex, cui totius Ecclesiae gubernatio a Christo Servatore credita est, providere in primis debeat, ut pura, et incorrupta Religio sit, atque ut arceantur, et proscribantur errores, quibus infici possunt animi Christianorum. Quas sui muneris partes semper Summi Pontifices sedulo impleverunt; eaque de causa, ut res tanta diligentius curaretur, recentiori aetate novis exortis haeresibus, et ubique fidei censores, sive *Inquisitores*, et Romae *S. Officii* Congregatio instituta est, ad quam graviora quaeque negocia referuntur (1). Ejus auctor Paulus III. (2), quique eum sunt consequuti Pontifices Paulus IV., Pius IV., S. Pius V., Sixtus V. plures edidere constitutiones, quibus ejusdem officium, et auctoritas declaratur (3). Huic Congregationi ipse praeest Summus Pontifex, eaque constat ex pluribus Cardinalibus, habetque *Assessorem* ex numero Praelatorum, et *Commissarium* ex Ordine Dominicanorum, et plures *Consultores*, atque Ministros.

(1) Multa de haereticae privatis inquisitoribus dixi in *Instit. Jur. Canon. lib.* 4. *tit.* 8. *tom.* 4. *pag.* 101. *seqq.*, et multa etiam dicam opportuniori loco. Vide interim egregium de hoc toto argumento librum V. Cl. Thomae Vincentii Pani Magistri S. P. A.

(2) Paulus III. *Const. Licet ab initio* 41. *tom.* 4. *par.* 1. *pag.* 211. *Bullar. Mainardi.*

(3) Paulus IV. *Const. Cum ex Apostolatus* 37. *ibid. pag.* 354., Pius IV. *Const. Cum nos* 93. *ibid. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 177., S. Pius V. *Const. Sanctissimus* 1. *ibid. pag.* 276., *Const. Inter* 33. *pag.* 325., *et Constit. Cum felicis seq. pag.* 327., Sixtus V. *Constit. Immensa aeterni Dei* 117. *ibid. tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 192., in qua et aliae Congregationes instituuntur.

§. X. Sed et quantum damni afferat, moresque corrumpat pravorum lectio librorum, ignorat nemo; quidque ad hanc pestem avertendam Christianos homines fa-

cere oporteat ex iis, quae Ephesi, praesente, et probante Apostolo, gesta sunt, intelligimus (1). Romani Pontifices, quorum est omnes oves custodire, easque a noxiis pascuis arcere, semper, uti flagitabant partes suscepti muneris, huic rei providere, et consulere studuerunt; et ideo legi, ac retineri vetuerunt malos libros, perniciem, et exitium animorum (2). Primum ea res a Paulo IV. commissa est Congregationi Inquisitionis, cujus esse voluit vetitorum librorum indicem absolvere. Actum deinceps de hoc negocio est hortatu, et jussu Sedis Apostolicae a Patribus Concilii Tridentini, qui vetitorum librorum indicem absolverunt, eumque mittendum curarunt ad Pium IV. Summum Pontificem (3), qui eumdem speciali Bulla approbavit, atque in vulgus emitti jussit (4). Ejus successor S. Pius V. *Indicis* Congregationem instituit, quae notat libros Religioni, bonisque moribus, Ecclesiae legibus adversarios, eosque ab omnibus, nisi impetrata sit venia, legi, ac retineri vetat, at que eorumdem *indicem*, seu descriptionem conficit (5). Constat haec Congregatio ex pluribus Cardinalibus, quorum unus ceteris Praefectus est, habetque Secretarium ex Ordine Praedicatorum; pluresque Consultores, qui libros expendunt, ac suam de his Congregationi sententiam aperiunt.

(1) Actus Apostolor. *cap. XIX. vers.* 19.

(2) Late ea de re egi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 4. *tit.* 7. *tom.* 4. *cap.* 78. *seqq.*

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 25 *in decret. de Indice Librorum.*

(4) Pius IV. *Constit. Dominici gregis* 91. *tom.* 4. *par.* 2. *Bullar. pag.* 174.

(5) Sixtus V., quem multi hujus Congregationis auctorem falso existimant, *cit. Constit. Immensa* ejusdem officium, auctoritatem explicat.

§. XI. Idem Pius IV. etiam Congregationem erexit *Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum* (1), cujus postea Sixtus V. auctoritatem amplificavit (2). Cum enim Tridentini intellexissent, non omnia in Concilio ita declarari potuisse, ut nulla omnino explanatione indigerent, visum est rogare Summum Pontificem, ut cuncta componeret vel alio, ubi opus esset, generali Con-

cilio, vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos ad rem expediendam magis aptos, et idoneos nosceret, aut alia quavis ratione, quam faciliorem, et commodiorem judicaret (3). His Patrum studiis obsequuturus Pius IV. vetuit, ne quis privato arbitrio Tridentina decreta interpretaretur; atque ut re nata omnis in posterum controversia expediri facile posset, totam hanc provinciam Cardinalium Congregationi commisit; quoniam haec sine dubio facilior, et commodior erat rei conficiendae ratio. Est igitur hujus Congregationis Tridentini Concilii decreta interpretari, ac sedulo curare, ut eadem ab omnibus observentur, ut Episcopi dioecesanam synodum habeant, dioecesim lustrent, seseque de ejus statu certiorem faciant, ac statuto tempore adeant ad sacra limina Apostolorum (4). Verum ea, quae ad dogma pertinent, tantum Pontificis Maximi judicio reservantur. Haec quoque Congregatio conficitur ex pluribus Cardinalibus, quorum unus Praefectus est, Secretarius autem est e numero Praelatorum. Hujus Congregationis quasi appendix a Benedicto XIV. (5) creata est Congregatio particularis quorumdam Romanae Curiae Praelatorum, quorum munus, et officium in eo positum est, ut litteras, quae dantur ab Episcopis, ceterisque Praelatis quasi Episcopalem jurisdictionem obtinentibus ad Congregationem Concilii, praesertim cum dioeceseos visitatio conficitur, ejusque status eidem Congregationi significatur, diligenter inspiciant, cunctaque in eorum conventibus exponant; ut communi consilio rebus omnibus accurate perpensis, quae graviora videntur, ad ipsam Congregationem Cardinalium, ac deinde ad Summum Pontificem referantur. Est autem haec particularis Congregatio sapienter instituta, ut citius satisfiat postulatis Episcoporum, quae saepe tardabant multitudo negociorum, occupationesque graviores, quibus ipsa Cardinalium Congregatio distinetur.

(1) Pius IV. *Constit. alias nonnullas* 95. *tom.* 4. *par.* 2. *Bullar. pag.* 178.
(2) Sixtus V. *cit. Const. Immensa.*

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de reform. in decret. de recipien. et observan. decret. Concil.*, cujus haec verba sunt » Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent; praeter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit S. Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negocio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel *commodiore quacumque ratione ei visum fuerit*, provinciarum necessitatibus, pro Dei gloria, et Ecclesiae tranquillitate consulatur ». Placuit haec verba describere, ut his ipsis apertissime refutentur Van-Espenius *Jus Ecclesiast. univers. par.* 1. *tit.* 22. *cap.* 5. §. 2., et Eybellus *Introd. in Jus Eccles. Cathol. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *in nota C. num.* 8., qui hujus Congregationis decretorum auctoritatem infringere conantur, propterea quod eam ajunt fuisse mentem Tridentinorum Patrum, ut Summus Pontifex ea in re non consilio uteretur Cardinalium, sed Episcoporum provinciarum, in quibus oborta lis esset, aut generale Concilium celebraret. Sed nullo egent interprete Concilii verba, quibus res tota Romani Pontificis arbitrio committitur, itaut ei suo lubitu liceat *vel* generale Concilium habere, *vel* vocare Episcopos provinciarum, *vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit* rem totam absolvere. An non multo commodius, multoque facilius provisum est per Congregationem Cardinalium, quam per generale Concilium, quod longum, ac difficile est celebrare, aut per Episcopos provinciarum, quos perincommodum esset, praesertim ex dissitis, remotisque regionibus, ad Urbem vocare singulis vicibus, quibus aliqua difficultas exoritur?

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* decrevit » ut Patriarchae, Primates, Metropolitani, et Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant » Peractae visitationis ratio reddenda, statusque universus dioeceseos significandus est Sac. Congregationi Concilii, et simul omnes Episcopi accedere debent ad limina Apostolorum vel tertio quoque anno, vel quarto, vel quinto, vel decimo, prout minus, magisque ab Urbe distant, uti sancitum est a Sixto V. *Const. Romanus Pontifex* 24, *tom.* 4. *Bullar. par.* 4. *pag.* 173. Qua eadem lege etiam Praelatus ceteros separatum territorium, et quasi Episcopalem jurisdictionem obtinentes teneri voluit Benedictus XIV. *Const. Quod Sancta* 7. *tom.* 1. *ejus Bullarii pag.* 12. *edit. Romae* 1754. Sed hujus argumenti pertractandi alius erit opportunior locus, ubi etiam late agam de hoc jure, quod semper habuit Sedes Apostolica, petendarum, accipiendarumque relationum, ut ei totius Ecclesiae status innotescat. Vide interim, praeter ea, quae supra dixi *cap.* 5. §. 26. *pag.* 110. *seqq.*, Selvagium *Antiquit. Christian. lib.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. §. 7. *pag.* 140. *seqq. edit. Patavii* 1780., et Cl. Marchettum *Critica sopra Fleury art.* 11. c. 7. Illud brevi dicam, magno in errore versari eos, qui primum a Sixto V. Episcopis impositum onus putant certo tempore visitandi sacra limina Apostolorum, cum id multo antiquius sit. Revera S. Gregorium M. Siciliae Episcopis eam veniam dedisse constat, ut cum antea tertio quoque anno Romam ire deberent, in posterum tantum unoquoque quinquennio iter illud susciperent, uti ipse scribit *ep.* 22. *ad Cyprianum Diac. lib.* 7. *tom.* 2. *opp. col.* 866. *seq.* » Novit dilectio tua, *inquit*, hoc olim consuetudine tenuisse, ut

» Fratres, et Coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia conve-
» nirent; sed nos eorum labori consulentes constituisse, ut anam huc semel
» in quinquennio praesentiam exhiberent ». Antiquam ejus rei *consuetudinem* Gregorius memorat; ex quo facile perspicitur, eam multo ante ejus aetatem inductam fuisse. Ac sane Gregorio vetustior S. Leo M. ejusdem rei mentionem facit *ep.* 16. *cap.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 724.; praeterea idem quoque colligitur ex Concilio Romano habito a S. Zacharia an. 743. *can.* 4. *tom.* 8. *Concil. Labbaei col.* 285., a quo sancitum est. » Ut juxta SS. Pa-
» trum, et canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicae Sedis
» ordinationi subjacebunt, qui propinqui sunt, annue Idibus Mensis Maii
» SS. Principum Apostolorum Petri, et Pauli Liminibus praesententur,
» omni occasione seposita; qui vero de longinquo juxta chirographum
» suum impleant ». Quae *chirographi* mentio satis claro argumento est, medio saeculo VIII, jam receptam fuisse disciplinam, per quam electi Episcopi spondere debent, sese certo tempore ad sacra Apostolorum limina adituros. Formula juramenti, quod nunc praestat electus Episcopus, describitur in *Cap. ego N. de jurejur.*, ejusque auctor vulgo habetur S. Gregorius VII.; qua de re late agam opportuniore loco. Innocentius III. ob justas causas veniam tribuit Patriarchae Antiocheno qui sacra limina quarto quoque anno visitare, suaeque Ecclesiae administrationis rationem reddere debebat, sed simul etiam admonuit, ne in posterum suo deesset officio, sicuti narrat Roussel *Histor. Pontific. Jurisdict. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. Alexandro IV. Pontifice deprehensum est, nonnullos Episcopos peculiaria Indulta impetrasse, per quae solvebantur leges visitandi statuto tempore limina Apostolorum, et significandi statum suae dioeceseos; verum ipse Alexander omnia haec indulta abrogavit, uti tradit Raynaldus *ad an.* 1257. *num.* 50. *tom.* 3. *pag.* 13.

(5) Benedictus XIV. *Const. Decet Romanum Pontificem* 8. *cit. tom.* 1. *pag.* 15.

§. XII. Congregatio *Episcoporum*, et *Regularium*, itemque *Sacrorum Rituum* Congregatio a Sixto V. originem ducunt (1). Illa Causas judicat Episcoporum, ac Regularium, permittit ex justis causis ecclesiasticorum bonorum alienationes (quod et praestat Congregatio Concilii), atque etiam in clericos criminosos animadvertit; haec vero sacras coeremonias, ritusque praescribit, expendit virtutes, et merita eorum, qui Beatorum, vel Sanctorum albo adscribendi sunt, eaque omnia curat, quae pertinent ad divina officia, sacramentorum administrationem, cetera generis ejusdem. Utraque conficitur ex Cardinalibus, e quorum Collegio Praefectus est, Secretarius autem ex numero Praelatorum; altera vero et plures habet Consultores. His ortu recentiores sunt Congregatio *de Propaganda Fide*, Congregatio *super Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis*, Congregatio *Regularis Disciplinae*,

illam erexit Gregorius XV. (2), ejusque partes sunt sedulo incumbendi in propagandam ubique Catholicam Religionem, cujus rei gratia sumptu gravissimo in longinquas regiones mittuntur viri ecclesiastici pietate, ac doctrina praestantes, ut ab iis Christi fides ubique nunccietur; alteram Clemens IX. (3), qui eidem facultatem attribuit noscendi, expendendique indulgentias, sacrasque reliquias, ut verae a falsis discernantur, removendique abusus, si qui forte in eas irrepserunt; postremam Innocentius XII. (4), et haec quidem regularem disciplinam moderatur, in eaque custodienda, et observanda elaborat. Nec praetereundae Congregatio *Immunitatis* cujus est videre, ut ecclesiastica Immunitas sarta tecta sit; et Congregatio *Fabricae Sancti Petri*, cujus officium non tantum respicit eamdem fabricam, sed etiam pia Missarum onera, quibus ut satisfiat, ipsa per suos ministros diligenter curat (5). Omnibus his Congregationibus praefectus est Cardinalis; eaeque similiter ex Cardinalibus constant; Congregatio autem *super Indulgentiis*, *Sacrisque Reliquiis* habet et alios insignes doctrina viros, qui Consultores appellantur.

(1) Vide *cit. Constitut. Immensa* Sixti V.
(2) Gregorius XV. *Constit. Inscrutabili* 58. *tom.* 5. *par.* 5. *ejusd. Bullar. pag.* 26.
(3) Clemens IX. *Const. In ipsis* 114. *tom.* 6. *par.* 6. *Bullar. pag.* 348.
(4) Innocentius XII. *Const. Sanctissimus in Christo* apud Guerram *Pontific. Const. epitom. tom.* 1. *pag.* 398. *et Constit. Debitum pastoralis officii* 159. *tom.* 9. *laud. Bullar. pag.* 474.
(5) De hac Congregatione videndus est Benedictus XIV. *Const. Quanta curarum* 53. *tom.* 3. *ejus Bullar. pag.* 236.

§. XIII. Sunt hae Cardinalium Congregationes, quae Ecclesiastica negocia moderantur; sunt et aliae, quae pertinent ad rem civilem, ac rectam Ecclesiasticae ditionis administrationem. Nam Summus Pontifex non tantum Primatum habet in tota Ecclesia divinitus institutum et honoris, et jurisdictionis, sed etiam temporalem obtinet dominationem Romae, totiusque ditionis ecclesiasticae, ad instar ceterorum Principum, qui summo potiuntur imperio. Haec sane dominatio sive ex Principum donatio-

nibus, sive ex populorum consensu, sive ex diuturna praescriptione, sive etiam ex onerosis contractibus repetatur, tam justa porro est, tam legitima, tam firmis nixa rationibus, ut nemini potiora esse possint ad imperandum jura (1). Non eadem civilis dominatio necessario est annexa Primatui Ecclesiae universae, et ea quidem Romanos Pontifices antiquiori aetate caruisse constat, et tamen ipsi semper Primatus auctoritatem a Christo datam in tota Ecclesia exercuerunt. Sed Dei optimi maximi providentia factum est, ut lapsu temporum qui Princeps erat, et caput Ecclesiae, etiam civile imperium obtineret. Quamdiu stetit Romanum Imperium, sua illa ingenti magnitudine totam pene Christianorum societatem comprehendebat; sed postquam Europa in plurimos est divisa Principes, qui omnes summam habent potestatem, atque a nemine pendent in administratione ditionum suarum, si uni, aut alteri eorum Summus Pontifex subjectus esset, illud facile evenire posset, quod reliqui Principes non eum communem omnium Patrem existimarent, ac saepe schismata orirentur. Quin unusquisque Princeps, ne quis eorum alteri concedere videretur, suum in sua ditione Pontificem habere vellet; atque ita illa a Christo suae Ecclesiae affixa unitas sub uno omnium capite tolleretur. Huc sane spectant conatus eorum, qui ut aegre ferunt Primatus vim, et auctoritatem, ita Summo Pontifici temporalem eripi dominationem vellent. Sed eam tueri omni studio debent, qui se catholicos profitentur, quoniam ea salva, et incolumi idem Pontifex, et spiritualem jurisdictionem libere exercebit, et alios Episcopos facile in officio continebit, neque ejus decreta in suspicionem vocari poterunt, quasi ipse in iis emittendis gratificari voluerit Principi, cui subjectus est, neque ulla erit occasio schismatum, quoniam omnibus unum erit, idemque caput, centrumque unitatis, ac summus, et nemini obnoxius totius Ecclesiae Moderator (2).

(1) De temporali dominatione Romani Pontificis copiose agit Cardinalis Orsius *Del Dominio temporale dei Papi*, et Cajetanus Cennius *Monumenta Dominationis Pontificiae, sive Codex Carolinus*, et Justus Fonta-

ninius, et novissime doctissimus Cardinalis Borgia, qui ea quae pertinent ad Beneventi Ducatum, tam solide, graviter, accurate collegit, atque enucleavit, ut nihil jam amplius huic argumento addi possit.

(2) Ita rectissime animadvertit Fleuryus, de quo certe nulla potest esse suspicio, quod ipse Romano Pontifici assentari voluarit. Nam postquam *discours quatriem sur l' Histoir. Ecclesiast.* §. *IX. tom.* 16. *pag. XII. edit. Paris.* 1691. dixerat » pour revenir à l' Eglise Romaine, il seroit tres-» injuste de lui disputer la souveraineté de Rome et d' une prande partie » de l' Italie, dont elle est en possession depuis tant de siecles: puisque » la plûpart des souverains n' ont pas de meilleur titre que la longue pos-» session » §. *X. pag. XV.* habet haec » Je ne vois que l' Eglise Romaine, » où l' on peut trouver una raison singuliere d' unir le deux puissances. » Tant que l' Empire Romain a subsisté, il renfermoit dans sa vaste éten-» duë presque toute la Chrétienté: mais depuis que l' Europe est divisée » entre plusieurs princes indipendans les uns des autres; si le Pape eût été » sujet de l' un d' eux, il eût été à craindre, que les autres n' eussent eu » peine à le reconnoître pour pere commun, et que les schismes n' eussent » été frequents. On peut donc croire, que c' est par un effet particulier » de la Providence, que le Pape s' est trouvé indipendant, et maître d'un » état assez puissant, pour n' être pas aisément opprimé pars les autres sou-» verains: afin qu' il fût plus libre dans l' exercice de sa puissance spirituel-» le, et qu' il pût contenir plus facilement tous les autres évêques dans » leur devoir. C' etoit la pensée d' un grand évêque de notre tems.

§. XIV. Verum nostrum non est in iis, quae ad temporalem administrationem pertinent, immorari. Potius ad susceptam a nobis disputationem spectant *Poenitentiaria*, *Cancellaria*, *Dataria*, de quibus pauca dicenda sunt. *Poenitentiaria*; et veniam tribuit pro gravioribus peccatis Summo Pontifici reservatis, et justis, probatisque de causis lege solvit irregulares propter homicidium; vitiumve natalium, et vim attribuit tum matrimoniis, quae irrita essent propter dirimens, idque occultum impedimentum, tum collationibus beneficiorum, quae simoniace impetrata sunt, et absolvit a censuris, et Regularibus ex una ad aliam Religionem transire, atque etiam ad veterem illam redire permitit. Praeest rebus omnibus Cardinalis, qui *Major Poenitentiarius* dicitur, et cujus nomine rescripta emittuntur, ac plures sub eo Ministri sunt. Praesidet etiam *Cancellariae* Cardinalis, qui *Vice-Cancellarius* appellatur, ejusque inspectione, et auctoritate omnia publica, ac privata negocia expediuntur. Plures in illa Ministri sunt ad conficiendas, scribendas, expediendas literas Apostolicas destinati, atque hi tributi sunt in duo collegia, quorum alterum *de majori*, alterum *de minori*

banca dicitur, atque utriusque est dubia solvere, si quae in expeditione Bullarum exoriantur. Denique etiam *Datariam* regit, et administrat Cardinalis Pro-Datarius, qui sua manu describit *datum*, seu tempus, quo gratia attribuitur, unde factum est *Datariae* nomen, quique pluribus ministris praefectus est. Per eam conferuntur beneficia reservata, aut effecta, et pensiones, dantur *dispensationes*, ut vocant, matrimoniorum, irregularitatum, natalium, aetatis, laxantur vincula juramenti, aut voti, fiunt Ecclesiarum uniones, divisiones, suppressiones; et permissae a Summo Pontifice ecclesiasticorum bonorum alienationes, et cetera, in quibus ab eo gratia concepitur, expediuntur (1).

(1) De Cardinalium Congregationibus late agunt Cardinalis de Luca *in Relatione Curiae Romanae*; et Cohellius *Notit. Cardinal.* Nos omnia, quae his Congregationibus commissa sunt, suis locis pertractabimus; interim haec generatim attigisse sufficiat.

Finis Tomi Primi.

RECENSIO CAPITUM.

TOMI PRIMI.

PROLEGOMENA